




CAROLI CHRISTIANI TITTMANNI

THEOLOGIAE DOCTORIS POTENT. REG. SAX. CONSILIARII ECCLESIASTICI CONSISTORII SVPREMI SENIORIS AD AEDEM CRVCIS DRESDAE PASTORIS DIOECES. DRESDENSIS SVPERINTENDENTIS

MELETEMATA SACRA


SIVE

COMMENTARIVS

EXEGETICO - CRITICO - DOGMATICVS

IN

EVANGELIVM IOANNIS.



Fr. Lücke.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
MDCCCXVI.

PRAEFATIO.

Diu multumque cogitauimus de Meletematibus in Euangelium Ioannis continuandis et absoluendis, quorum particulam in Capita quatuor priora ante hos annos tredecim edidimus in Opusculis Theologicis; admoniti non tantum ab amicis interpretationisque Scripturarum fautoribus, verum etiam ducti excitatique librorum sacrorum studio diuturno et amore plane singulari. Neque enim negare volumus, nos inde a iuuentute nostra insigniter delectatos esse legendis libris sacris, iisque tractandis consumsisse vitae nostrae partem maximam et iucundissimam, atque experientia edoctos didicisse, haec studia literarum adolescentiam alere, senectutem oblectare, secundas res ornare, aduersis perfugium ac solatium praebere. Prae caeteris tamen in deliciis habuimus hunc Ioanneum librum, eumque putauimus, et putamus vel maxime, inter libros sacros omnes obtinere principatum; etenim in hoc libro, si in vllo alio, est Christus; in hoc eum non tantum agentem videmus, sed audimus etiam loquentem, et loquentem quidem maximam partem, posses dicere, vnice, de se, et Patre suo, eiusque decretis ac consiliis de salute humana. Quisquis Iesum cognoscere voluerit, atque intelligere sibique persuadere, quis et quantus sit Iesus, is adeat Ioannem, is lectitet hunc librum! Nec abnuere

volumus, in animo nostro confirmatum esse consilium, edendi integri Commentarii in Euangelium Ioannis, cum videremus, scripta esse super eo a multis multa his ipsis temporibus, a mente Euangelistae, et Iesu, Domini, ipsius, atque a veritate euangelica, immo vero ab omni veritate historica plane abhorrentia, atque adeo maxime iniqua in Dominum gloriosissimum, cumque speraremus, optaremus certe vehementer, conferre aliquid, quo et Euangelii Ioannei dignitas, et Iesu, Domini, maiestas, operis eius salutaris excellentia, ac doctrinae euangelicae veritas vindicari ab iniuriis, vicissim vero intelligi luculentius, et fides in animis legentium certius confirmari posset.

In tractandis autem Scripturis secuti sumus, sequendamque putauimus semper rationem eam, quam omni tempore interpretes non tantum librorum sacrorum, verum etiam auctorum classicorum, in hoc genere principes, hoc est, literarum hebraicarum, graecarum, latinarumque peritissimi, existimarunt esse legitimam, certam et vnice veram, homineque erudito dignam, quae grammatica dicitur, hoc est, eam, quae idoneis literarum copiis adiuta, sensum verborum per vsus loquendi vestigia et alia Grammaticorum praesidia reperire instituit, repertum accommodate ad cuiusque linguae indolem exprimit, rationibus certis e Grammaticorum disciplinis confirmat, atque ex verbis, recte intellectis, rerum scientiam assequitur.

Quam interpretationem si quis dicere voluerit *historicam*, non repugnauerit quidem interpres eruditus. Etenim antiquissimi iam interpretes vsi sunt hac appellatione, saltem commendarunt *sensum Scripturarum*

historicum; sed, quod est bene tenendum, non ea mente, tanquam statuissent, aliam esse interpretationem grammaticam, aliam historicam, alium sensum literalem, vt dicere solebant, historicum alium, verum potius, vt sensum historicum distinguerent a *sensu spirituali*, *morali et mystico*, qualem magna pars interpretum illius aetatis reperisse sibi videbatur in Scripturis; igitur sensum grammaticum et historicum promiscue dixerunt, atque vtrumque existimarunt esse vnum eundemque. In quo haud dubie verum viderunt. Nam grammatica interpretatio profecto est vel maxime historica, propterea, quoniam nititur vsu loquendi; vsus loquendi autem est res historica et pendet ab historia, hoc est, pendet ab obseruationibus Grammaticorum de significatu verborum integrarumque dicendi formularum, ac docet, quid vocabulum quodque, tempore quoque, in disciplina et forma loquendi quaque, apud gentem quamque et scriptorem quemque, in loco et contextu quoque significauerit; quae omnia sunt vel maxime historica, et vnice ex historia cognoscenda. Deinde qui grammaticam interpretationem vnice veram et legitimam dicunt, id non intelligunt sic, tanquam nullum omnino adiumentum interpretandi sit a scientia rerum et historiae; quis enim vnquam existimauerit, auctores classicos, graecos et latinos, intelligi posse explicarique sine historiae scientia multa et magna? immo vero statuunt, interdum etiam interpreti grammatico confugiendum esse ad res, vt veram verborum dicendique formularum vim potestatemque assequatur; idque necesse esse in locis non tantum historicis, verum etiam dogmaticis. Atque illa quidem, loca historica, explicanda quoque esse

historice, repudiandam vero penitus interpretationem eorum mysticam et allegoricam, non potest habere dubitationem aliquam; ac propter hanc vnam causam B. MORVS, interpres et profanarum, et sacrarum literarum excellens, sensum eiusmodi locorum dixit *historicum*, vt eum distingueret a sensu allegorico et mystico, ad consuetudinem interpretum antiquiorum. Et quod attinet ad loca dogmatica, nemo negauerit, immo vero probauerit vel maxime interpres grammaticus quisque, in eiusmodi locis, nominatim in sermonibus Iesu, veluti in eo, quem aliquando habuit cum Nicodemo, itemque in disputationibus Apostolorum, de fide, iustificatione, operibus, et innumerabilibus aliis, respiciendum omnino esse diligenter ad historiam illorum temporum, opinionesque eorum, quibuscum loquerentur viri diuini, atque inde demum intelligi demonstrarique posse verum sensum eiusmodi locorum; quod qui negligerent, non accurate interpretati sunt haec loca.

Tum concedet facile quisque interpres grammaticus et hoc, quod in primis vrgent interpretes recentiores, viros diuinos in explicandis tradendisque capitibus fidei accommodasse se ingeniis suorum temporum, et scripsisse tali modo, quo scripturi non fuissent, si scripsissent alio tempore et hominibus aliis; solet enim laudari in praeceptoribus et exspectatur a bono magistro, vt se accommodet singulis; modo illud est improbandum vehementer, quod inde colligi volunt nostri, quae tali modo tradita reperiantur, non pertinere ad homines christianos omnes, neque adeo dogmata, tali ratione exposita, communia esse et necessaria tempori-

bus omnibus, vt sint norma fidei atque vitae perpetua. Sic tota disputatio Apostoli in Epistola ad Hebraeos de sacerdotio Christi, eiusque comparatio cum Mose, Melchisedeco et sacerdotibus Aaroniticis, instituta est in gratiam ne Christianorum quidem omnium illius temporis, sed tantum in gratiam Christianorum e Iudaeis; ad Christianos e Gentilibus tali modo scribere commode non potuisset Apostolus. Scripsit autem totam Epistolam ad Christianos Iudaicae gentis, qui animis adsuefacti erant ad admirationem Mosis et Aaronis, oculis autem ad pompam sacrificiorum atque Pontificis summi totiusque cultus leuitici, cui nihil simile, aut par reperiebant neque in Christo, neque inter Christianos vspiam, non in doctoribus, non in cultu religioso, sed omnia tenuia, simplicia, omni specie, incurrente in *oculos*, omnique pompa detracta; quae causa fuit praecipua, vt multi, relicta religione christiana, ad Iudaismum reuerterentur, alii labarent. Cuius periculi depellendi, animorumque confirmandorum causa totam illam disputationem suscepit Apostolus, ostenditque, primum, Iesum esse multo maiorem Mose, cuius tanta admiratione tenerentur, tum, si tamen Pontificis verbo et dignitate mouerentur, sacerdotibus omnibus Christum excellere infinitis modis; illos sacrificia obtulisse ex animalibus, quibus parum effici potuerit, quippe peccatorum veniam non impetrauerint, sed significauerint tantum, hunc autem se ipsum dedisse pro hominibus in mortem, non vt significaret, aut confirmaret remissionem peccatorum, sed impetraret; illos vni genti inseruiisse, hunc vniuerso humano generi; illos opus suum facere in terris, hunc in coelis quoque; illos

prodesse tantum ad tempus breue, hunc in aeternum; illos mortales esse et peccatis obnoxios, hunc immortalem et innocentissimum; illos meros homines esse, hunc Filium Dei aeternum, consummatissimum, gloriosissimum, υἱὸν εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον. Hanc igitur disputationem instituit Apostolus in gratiam Christianorum e Iudaeis, sapientissimo consilio, necessitateque permagna et graui eorum periculo commotus, sed eandem quoque contulit ad describendum Iesum, salutis humanae et instauratorem et datorem, atque ad declarandam personae eius maiestatem, operisque, non tantum peracti olim in his terris, sed etiamnum atque in omnem aeternitatem in coelis peragendi, indolem ac praestantiam. Modus quidem disserendi accommodatus erat Christianis, qui e Iudaeis essent, sed res et veritas, quae latebat sub his imaginibus, pertinet ad omnes omnium temporum homines. Quoad modum tradendi accommodarunt se viri diuini sui temporis hominibus, in quo admirari oportet diuinae sapientiae et benignitatis argumentum illustre, sed quoad capita fidei ipsa nullo modo. Quare colligi inde non potest, hanc disputationem Apostoli profuisse et prodesse potuisse tantum illorum temporum Christianis, eaque declarari nihil amplius, nisi hoc, sacrificia per mortem Christi esse abrogata, iisque adeo amplius non esse opus; immo vero continentur hac ipsa disputatione capita fidei, omnibus omnino Christianis et necessaria, et saluberrima, quae sunt et esse debent norma fidei vsque ad finem rerum humanarum. Num recte fecerint Theologi, cum in explicando opere Christi salutari adhiberent modos hos loquendi figuratos, et verba sacerdotis

et sacerdotii pro dogmaticarum notionum vocabulis vsurparent in doctrinae christianae institutione, et non potius melius egissent, si verbis propriis et perspicuis explicassent, quae viri diuini sapientissimis de causis dixerunt impropriis verbis, ea vero est alia quaestio. Id sane est interpretis grammatici, videre, in quibusnam locis viri diuini se accommodauerint suorum temporum ingeniis, quoad modum disserendi, verum etiam verborum tropicorum vim potestatemque, adeoque capitum fidei ipsorum, tali modo traditorum, veram indolem per subsidia grammatica indagare et verbis propriis exponere.

Denique et illud est in promtu, adhibendas quoque esse in interpretando artes reperiendi vsus loquendi subsidiarias, cuiusmodi in primis est scribentis loquentisque consilium et series orationis. Etenim etsi interpretatio legitima omnis ducenda est ab vsu loquendi, eiusque obseruatione et scientia, hic autem, quoniam est ex eo genere, quod in facto ponitur, intelligi alias non potest, nisi ex testimoniis idoneis; accidit tamen interdum, vt testimonia eiusmodi vel omnino non adsint, vel non sufficiant sententiae verborum reperiendae, significationesque plures admittant; veluti in sermonibus Domini, in quibus obscurius et per aenigmata locutus est; vt *Cap. III,* 14. *VIII,* 28. *XII,* 7. 32. aut in quibus vsus est verbis tropicis, quae ex vsu loquendi varias significationes habent; quod fecit Dominus saepissime sapientissimo consilio, v. c. *Cap. VIII,* 12. *VI,* 35. reliquis; aut in quibus vocabula quaedam propter rerum nouitatem nouo sensu vsurpata reperiuntur, qui iis separatim, aut in alio dissimilique contextu positis,

tribui non potest. In hac igitur necessitate confugiendum omnino est ad artes quasdam vsus loquendi vicarias, per quas peruenire liceat ad verum verborum sensum. Sed tamen et haec est interpretatio grammatica; ac primum quidem propterea, quoniam vsurpatae esse reperiuntur hae rationes subsidiariae a Grammaticis omni tempore in omni genere scriptorum; deinde vero etiam, quoniam et hic dominatur vna grammatica, hoc est, vnaquaeque interpretatio, quae per eiusmodi subsidia reperitur, exigenda est ad vsus loquendi consuetudinem, et probanda non nisi tum, si vsus loquendi eam permittit, repudianda vero, vbi idem vsus repugnat.

Atque ita interpretatio grammatica, si ita volueris, dici quidem posset historica; (est enim vere historica;) ita tamen, vt vtraque sit vna eademque; atque hanc si tali ratione intellexeris, interpres grammaticus repugnauerit nullo modo. Haec tamen monere, operae pretium existimabamus, quoniam vidimus, esse etiamnum, qui de interpretatione grammatica exiliter sentirent, putarentque, *eam esse meram explicationem verborum, non rerum*, tanquam niteretur sola scientia verborum, ex vnoquoque vocabulario vtcunque petita; in quo profecto vehementer errant. Grammatica interpretatio continetur quidem verborum explicatione, eaque idonea, deinde tamen etiam rerum ac sententiarum, verbis subiectarum, intelligentia accurata, et requirit linguarum scientiam non qualemcunque, sed exquisitam, multo vsu et longa exercitatione comparatam, subtilitatemque magnam et intelligendi et explicandi, aliamque doctrinam atque eruditionem multam et variam, nominatim quoque historiae, opinionum, studiorum,

morum, institutorum Iudaicae non tantum, sed etiam Romanae Graecarumque gentium cognitionem eximiam.

Verum si sunt, qui eam ab historica discernant, discernique velint, atque praecipiant, aliam esse grammaticam, aliam historicam interpretationem, id non facile probauerit vir eruditus, linguarumque peritus et in explicandis auctoribus graecis ac latinis bene versatus. Quare etiam Ven. KEILIVS, quamuis valde commendasset interpretationem historicam, tamen improbauit nuperrime vehementer opinionem eorum, qui discerni vtramque vellent, immo vero professus est ingenue, nullo modo differre interpretationem grammaticam et historicam, sed potius vtramque esse penitus vnam eandemque; modo existimauit, interpretationem librorum sacrorum rectius appellandam esse *grammatico-historicam*, propterea, quoniam cernatur in definienda re historica, nimirum hac, quid scriptor diuinus cogitauerit, cogitarique a legentibus voluerit, atque ita efficiat, vt idem cogitent hi, quod cogitauerit ille, adeoque caueat, ne inferatur Scripturis sensus, a mente virorum diuinorum alienus; accedere putat et hoc, grammaticae interpretationis nomen obsoleuisse paululum et contraxisse ambiguitatem quandam.

Sed, quod dicamus pace Viri eruditissimi, nobisque amicissimi, ne hactenus quidem videtur *satis* accurata esse appellatio interpretationis historicae. Etenim primum interpretatio grammatica et ipsa versatur vel maxime in indaganda re historica, hoc est, in reperiendo vsu loquendi, dum quaerit ac docet, quonam sensu quodque vocabulum vsurpatum fuerit, explicandumque sit in certo quodam loco apud scriptorem cer-

tum. Deinde interpretari grammatice, quid demum est? nisi, docere per adiumenta literarum, quae cuiusque orationi sententia subiecta sit, seu, efficere, vt alter cogitet eadem cum scriptore quoque. Aut qui tandem iudicari potest demonstrarique, quid cogitauerit scriptor aliquis, cogitarique a lectoribus voluerit, nisi ex verbis eius, eorumque explicatione per subsidia grammatica? Denique qua ratione demum caueri potest, ne sensum inferamus Scripturis, hoc est, ne verbis Euangelistarum et Apostolorum subiiciamus notiones opinionesque nostras, nec affingamus viris diuinis sensus alienos, et veritati coelesti contrarios, nisi per vnam interpretationem grammaticam? In quod vitium, grauissimum sane, cum sensus Scripturis infertur, inciderunt quidem, et nunc quoque incidere solent interpretes dogmatici et philosophici; grammatici autem nullo modo, immo vero hi statuerunt, docuerunt, inculcarunt omni tempore ad vnum omnes vel maxime, non inferendum esse sensum Scripturis. Igitur nullo modo opus est noua appellatione interpretationis historicae, cum in grammatica interpretatione omnia insint, quae in historica inesse putantur, cumque haec ipsa appellatio interpretationis historicae vel maxime ambigua sit, grammaticae autem interpretationis nomen antiquum quidem, neque tamen obsoletum, nullo modo ambiguum, sed certo definitum et perspicuum omnibus. Et quorsum enim tandem dicatur interpretatio grammatico-historica, si vtraque penitus est vna eademque?

Sed plerique omnes, qui commendant interpretationem historicam, adhibendamque esse praecipiunt in

explicandis libris sacris, tanquam vnice veram, eam a grammatica distinguunt, eiusque indolem, quantum quidem ex interpretationibus eorum colligere licet, putant esse hanc. Scilicet dicunt: in explicandis libris N. T. (nam de his in primis sermo est,) non sufficit, indagare vsum loquendi, atque ex eo interpretari verba, oportet potius atque in primis, consulere historiam, hoc est, primum, ingenium et animum scriptoris, characterem dicunt, eiusque de rebus diuinis scientiam; deinde opiniones illius temporis de religione et rebus, ad religionem pertinentibus; denique rerum ipsarum indolem ac naturam; ex his sensum sermonum Christi et Apostolorum quaerere oportet, non e verbis; ex rebus potius notiones verborum petendae sunt, quam ex subsidiis grammaticis; etenim doctrina Iesu et Apostolorum vniuersa repetita est ex historia, hoc est, ex notionibus opinionibusque Iudaeorum et magistrorum Iudaicorum, aliorumque virorum sapientiorum illius temporis; ex horum disciplina et institutione et Iesus ipse, et Apostoli doctrinam suam didicerunt; horum opinionibus innutriti fuerunt, has opiniones tradiderunt, ex his et locuti sunt ad populum, et scripserunt. Hanc dicunt historiam; hanc praecipiunt consulendam esse interpreti ante omnia, ex hac explicanda loca non tantum historica, verum etiam dogmatica, explicandosque libros N. T. vniuersos, et sermones Iesu, eos quoque, in quibus capita fidei et morum praecepta tradidit; ex hac inuestigandam, reperiendam, definiendam esse doctrinam Christi et Apostolorum vniuersam, eiusque indolem cognoscendam; quare videndum esse et quaerendum, non, quid Iesus et Apostoli cogitauerint, aut

dixerint in loco quoque et verbis quibusque, ex dicendi consuetudine explicatis, sed quid cogitare, aut dicere, pro illorum temporum opinionibus, et pro sua ipsorum rerum diuinarum scientia, et potuerint, et debuerint; non; quid Iesus sibi voluerit in hoc vel illo sermone, sed quomodo Iudaei, ipsum audientes, eum intelligere potuerint ac debuerint; non, *quid scripserint* viri sacri, sed *num verum sit*, quod scripserint; non, *quod iis verum visum fuerit*, sed *num verum sit per se*, rebus ope sanae rationis consideratis; non, *quid docuerint*, sed *quid docere potuerint* pro ingenii sui modulo et pro ratione illorum temporum et hominum, quidque fuissent scripturi, si scripsissent alio tempore et aliis hominibus. Hoc fere dicunt libros sacros N. T. interpretari historice, hanc putant esse interpretationem historicam.

Verum haec talis interpretatio profecto videtur esse primum inaudita, deinde lubrica et fallax, porro plane incerta; denique noxia et periculosa.

Primum inauditam diximus. Atque id quidem est in promtu, interpretes grammaticos scriptorum, et sacrorum, et profanorum, statuisse omni tempore atque exemplis docuisse, in historia cuiusque temporis et in rebus quoque, esse adiumentum interpretandi, sensumque verborum reperiendi necessarium et plane egregium, nosque ipsi diximus paulo ante, atque in hoc ipso Commentario docuimus permultis locis. Deinde et illud constat, fuisse interpretes, qui in verbis dicendique formulis Scriptorum sacrorum, in primis Ioannis, reperisse sibi viderentur notiones philosophicas Gnosticorum, Philonis, Platonis, Aristotelicorum quoque et

Stoicorum, easque subiicerent viris diuinis; alios quoque, qui, praetermissa verborum scientia, et vsu loquendi vel neglecto, vel ignorato, in rebus potius, quam in verbis explicandis laborarent, vellentque interpretari verba e rebus et principiis philosophicis, magisque philosopharentur, quam interpretarentur; immo vero tales fuisse omni tempore multos, est notissimum omnibus. Nec denique fugit quemquam, fuisse interpretes Scripturarum, qui se iactarent iudices et arbitros doctrinae, in iis traditae, nec quicquam admitterent in religione, quod non necessariis rationis conclusionibus intelligi posset demonstrarique, ac religionem totam ad philosophiae decreta conformandam esse clamarent. At vero et illud constat, quid viri eruditi disputauerint contra, quemque vsum rationis verum et legitimum esse in Scriptura sacra explicanda, eiusque doctrina exploranda, tradenda, demonstranda, docuerint. Illud autem est nouum et inauditum, aliam esse interpretationem grammaticam, aliam historicam. Vos appello, quicunque estis nostra aetate auctorum graecorum latinorumque explicandorum principes, num statuatis, interpretationem aliam esse grammaticam, historicam aliam? num putetis, in interpretando non verborum, quam potius rerum rationem habendam esse, quaerendum, non, quid dixerit aliquis per verba rite explicata, sed quid dicere potuerit et debuerit pro ratione suorum temporum et opinionibus ante captis, etiam contra loquendi consuetudinem, videndumque, quid dicturus fuisset, aut scripturus, si vixisset alio tempore et inter homines alios? num existimetis, Philosophos et Oratores graecos et latinos nihil quicquam locutos esse et

scripsisse ex suo ipsorum ingenio, sed non nisi ex ingenio saeculi, nec dubitetis, eorum sententiis, decretis, dogmatis subiicere notiones et opiniones plebis? num, dum sustinetis personam interpretis, arrogetis vobis auctoritatem iudicis et arbitri? num vindicetis vobis aliquid amplius, nisi hoc, vt doceatis, quaenam vis ac potestas subiecta sit loco cuique, vt alter cogitet eadem, quae cogitauit scriptor? num concedatis, de vobis, interpretibus grammaticis, statui adeo contemtim, tanquam ars vestra tota requirat nihil amplius, nisi verborum scientiam, e vocabulariis petitam, et regularum grammatices, contineaturque tantum interpretatione vocabulorum, non rerum? Enimuero Scriptores sacros non alia, sed potius vna eademque ratione explicandos esse, quam profanos, statuit ac docet Scripturarum sacrarum interpres eruditissimus quisque. Et tamen putaueris, in explicandis libris sacris N. T. locum habere interpretationem aliquam historicam, a grammatica diversam, in explicandis scriptoribus profanis inauditam? Aut num videmus, interpretes auctorum classicorum quaerere, quaerendumque esse, praecipere, quid verum sit, aut quale sit et quam vere dictum sit? Immo vero vnice quaerunt, quid dictum sit in verbis, rite explicatis. Quid verum sit, id aliunde constat et constare debet. Potest aliquid verum esse per se, quod tamen in verbis non inest; vicissim falsum tibi videri potest aliquid, quod tamen in verbis inest. In libris humanis quot quaeso dicta reperiuntur, quae sint falsa; et tamen etiam falsa recte explicantur explicarique possunt. Multo magis igitur in libris sacris, in primis cum persuasum nobis sit, diuina esse atque adeo verissima,

quae tradantur, reliquum est vnum hoc, vt videamus, quid dictum sit. Interpretes auctorum classicorum, quicunque tenerent explicandi rationem legitimam, semper vsi sunt ratione hac, vt quaererent, quid esset, ac deinde demum, si luberet, de causis quaererent; quas si assequi non possent, non propterea rem ipsam tollerent, aut fieri posse negarent; foret enim ridiculum; sed vel obscuritatem rei, vel ingenii sui imbecillitatem agnoscerent. Ita atque ad hanc horum interpretum consuetudinem semper, quicunque excellerent in explicandis libris sacris, explorata eorum diuinitate, multo magis quaerendum existimarunt non nisi hoc, quid in iis dictum esset traditumque verbis disertis, rite intellectis, et quae tali modo tradita repererint, suscipienda esse statuerunt tanquam vera atque diuina, nec propterea, quoniam eorum indolem, modum causasque indagare non possent, in dubitationem vocarunt, aut incaute vituperarunt et repudiarunt, sed, vt in rebus aliis omnibus, ita in causa tam graui et ardua, summam sapientiam putarunt, *credere Deo*, *δοῦναι δόξαν τῷ Θεῷ*. Atque haec demum vera est in causa religionis ingenii humani libertas, quae nimirum est ita temperata, vt tantum absit a licentiae temeritate, arrogantia et leuitate, quantum a seruitutis vel stupore vel timore; vt et Scripturas ipsas, et res, in iis traditas, examinet quidem, explicet, inuicem comparet; quae pugnare inter se videantur, conciliet; ambigua, aut paullum obscuriora e clarioribus illustret, omnia certis argumentis confirmet, non vero excogitet doctrinasque, non addat arbitraria, non proferat contraria doctrinae, sed obuia, parata, exposita, oblata tractet, et tractando;

in vsus communes conuertat, atque in his omnibus, soluta vinculis vel auctoritatis et opinionis humanae, vel cupiditatis suae, soli legi recte interpretandi obtemperet, verbo diuino tribuat omnia, nihil arbitrio hominis cuiusuis, non sibi indulgeat in rebus diuinis vltra fas, aut ἐλευθερίαν ἐπικάλυμμα τῆς κακίας faciat, sed, dum se liberam ostendit ab arbitrio et auctoritate hominum, Deo inseruiat, ὡς ἐλεύθεροι, ἀλλ' ὡς δοῦλοι Θεοῦ, in omnibus seruans modestiam et verecundiam, quam et rerum grauitas et ecclesiae reuerentia iure suo postulat. *Etiam vera loqui cum timore oportet in ecclesia Dei*, scripsit LVTHERVS verissime.

Deinde lubrica est illa interpretandi ratio, et vel maxime fallax. Desiderat enim, quoniam non verborum, quam potius rerum intelligentia nititur, nec magnam et multam linguarum scientiam, nec diligentiam et contentionem magnam, nec ingenium subactum longa exercitatione in scriptoribus profanis explicandis. Vnde cupide eam amplectuntur, qui sunt viuidioris impatientiorisque ingenii, in primis cum decipiat dulcedine quadam, a specie acuminis et subtilitatis, iniecta vanis animis. Humani ingenii, exsultantis auiditate nouitatis, libido ac fingendi licentia vndique se ingerit sine literarum studiis; nec vlla re magis corroboratur quam inscitia aut negligentia et contemtu linguarum, coercetur autem non certius, quam his earum veluti vinculis iniiciendis et adstringendis. Ac docuit omnium temporum experientia, qui rerum magis, quam verborum scientia putarent contineri Scripturarum interpretationem, literas tamen nesciuisse, aut neglexisse, [illegible]

que interpretationem eam, quae verbis adhaeret, atque ex his potius res, quam verba ex rebus intelligere iubet, contemsisse, tanquam ieiunam, minutam et ad intelligendum parum idoneam, literalem dixerunt et literae, quasi constaret verbis, syllabis ac singulis literis, minutisque praeceptis et obseruatiunculis, vocabulorum phrasiumque explicatione, non rerum. Et quo magis refrigescere solet studium linguarum, eo magis lubrica videri debet et fallax haec interpretandi ratio.

Est porro plane incerta. Etenim sine accurata verborum intelligentia, necesse est, vt rerum ipsarum notitia atque veritas fluctuetur, vageturque dubia atque incerta. Omni tempore iudicarunt viri sapientissimi, cum omnem intelligentiam, tum in primis scientiam rerum ac disciplinarum, venire per intellectum verborum, non horum a disciplinis et rebus, et quicquid certum sit in scientiae genere quocunque et a dubitatione liberum, id hanc vim habere a necessaria coniunctione notionum cum verbis, vsu et consuetudine loquendi definita et recepta. Quod si vniuerse verum est, patet euidenter, in omni interpretatione librorum cuiuscunque generis omnia constare intelligentia verborum, hoc est, scientia, quae vocabulo cuique notio subiecta sit, hanc vero scientiam nec esse, nec esse posse, nisi cognito vsu loquendi. Vsus loquendi autem quisnam sit, fueritque in primis olim in linguis mortuis, quosque significatus tribuerint scriptores antiqui certis quibusdam vocabulis dicendique formulis, id docet et docere potest non nisi Grammatica per obseruationes de significatu verborum, aliasque sensus reperiendi ra-

tiones, Grammaticis proprias. Vnde efficitur, primum, grammaticam librorum humanorum diuinorumque interpretationem esse vnice certam et ἀσφαλῆ, adeoque vnice veram et legitimam, propterea, quoniam vnice pendet a cognitione verborum et necessaria coniunctione notionum cum verbis, dicendi loquendique consuetudine recepta et definita; quae ἀσφάλεια in interpretando spectari debet omnium maxime; deinde vero interpretationem historicam, quam dicunt, certam nec esse, nec esse posse, neque ἀσφάλειαν habere, propterea, quoniam ei necessitas illa non inest, nec verborum obseruatione nititur, sed rerum natura, per conclusiones, aut coniecturas vtcunque cognita. Ac videmus, interpretes nonnullos iudicare de rebus, in locis Scripturae traditis, quae nec recte intelligunt, nec rite explicare possunt, huiusque audaciae causam esse nullam aliam, quam inscitiam linguarum et interpretationis grammaticae.

Denique periculosa est, doctrinaeque diuinae, immo veritati in vniuersum maxime noxia et perniciosa. Etenim cum primum in interpretando disceditur a verbis, et iudicium sensus a rebus ducitur, quaeriturque, non, quid dictum sit, sed quid dici debuerit ex opinionibus ante susceptis, et num verum sit, quod dictum est, et esse possit ex decretis rationis, hoc est, philosophiae nuperrimae, reuocatur veritas ad iudicium humanum ingeniique humani varietatem et inconstantiam, daturque cuiusuis vel libidini, vel inscitiae potestas ac licentia effraenis, fingendi, Scripturas torquendi et contra grammaticas rationes ad suarum opinionum praecon-

ceptarum, vel adeo male sanarum, arbitrium explicandi. At vero quis nescit, quam facilis sit lapsus in tanta humani ingenii procliuitate et luxurie nouandi, resque, diuinitus traditas, ad scientiae opinionisque suae modulum exigendi, et quot quantasque noxas attulerit literarum interpretationisque grammaticae inscitia, aut neglectus, doctrinae diuinae, quas nondum eluctata est ecclesia christiana vsque ad hodiernum diem.

Aut quid tandem per interpretationem historicam reperisse sibi visi sunt viri docti nostrorum temporum? Scilicet hoc, (vtamur ipsissimis verbis eorum,) capita doctrinae, a Iesu atque Apostolis tradita, siue ad fidem, siue ad mores pertinentia, esse non nisi historica, siue historici tantum alicuius momenti, nullo modo dogmatici, hoc est, in iis contineri opiniones, Iesu et Apostolis proprias, non veritatem absolutam et aeternam, ratiocinia mutabilia, et instituta temporaria, ad illorum temporum homines pertinentia, iisque forte vtilia, non vero decreta necessaria, (essentialia,) neque adeo immutabilia, omnibusque omnium temporum hominibus communia et salutaria, normam credendi agendique temporariam, non perpetuam, certam, omnium futurorum temporum hominibus destinatam; quicquid igitur reperiatur per historicam interpretationem, id non nisi esse historici quid; ipsam doctrinam christianam tantum esse historicam, hoc est, ex ea disci posse nihil aliud, nisi hoc, quid Iesus, quidque Apostoli statuerint, crediderint, tradiderint suae aetatis hominibus, quidque ab his cognosci et credi voluerint, non vero quid

cognoscendum credendumque sit ab hominibus omnino omnibus; Iesum et ipsum nec tradidisse et manifestasse, nec tradere et manifestare voluisse, aut potuisse doctrinam, quae esset norma credendi et agendi necessaria, per omnia saecula vim auctoritatemque habitura, omnibus omnium futurorum temporum hominibus salutifera et ab omnibus, qui ad salutem aeternam adspiraverint, fide suscipienda; fuisse quidem diuinae prouidentiae consilium, manifestandi per Iesum quaedam capita, scitu et creditu necessaria omnibus, sed hoc consilium Christo ipsi fuisse incognitum; Apostolos autem multo minus de religionis capitibus certi quid sciuisse et intellexisse, aut tradidisse et tradere potuisse, ne diuinasse quidem, doctrinam, ab ipsis traditam, esse normam fidei atque vitae perpetuam, immo somniasse *συντέλειαν τοῦ αἰῶνος*, reditum Christi mox futurum, regnum terrenum, *ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Χριστοῦ* inchoandum, et id genus alia; igitur Iesum in docendo nec spectasse, nec spectare potuisse futurorum temporum homines; institutionem eius totam pertinuisse vnice ad suae aetatis gentisque homines, ideoque ad Iudaeos; horum opinionibus, temere susceptis, Iesum se accommodasse, ex his locutum eum fuisse, ex his effata eius et explicanda esse, et num vera sint et probanda atque credenda, indicandum; neque enim eum vbique tradidisse, quae sint vera, et fide digna; hinc doctrinam, ab ipso traditam, non continere diuinam aliquam reuelationem, quam dicere solemus; sed non nisi philosophiam quandam, et quidem Iudaicam; etenim originem doctrinae et scientiae Iesu de rebus diuinis repetendam esse et ipsam ex historia, hoc est, ex doctrina magi-

strorum Iudaicorum, aliorumque illius aetatis virorum sapientiorum, ex quorum siue institutione, siue colloquiis totam suam sapientiam habuerit, et ingenium suum excoluerit; ideoque Iesum ignorasse multa, immo vero Iesum errasse, errores tradidisse non tantum populo, sed etiam discipulis, ac permisisse, vt eosdem errores spargerent inter Christianos; diuinam tamen sapientiam hos errores Iesu et Apostolorum vertisse in salutem illorum temporum; hinc dogmata, a Christo et Apostolis tradita, vera esse et pro veris habenda, non propterea, quoniam ab iis tradita sint et scripta in libris sacris, sed tantum hactenus, quatenus vera sint per se, hoc est, quatenus consentiant cum principiis rationis; neque adeo omnia vera esse et certa et necessaria capita religionis, quae in his libris tradita reperiantur et pro talibus vulgo haberi soleant; immo vero pleraque esse incerta, non necessaria, temporaria tantum; et quod attinet ad libros sacros, eorum originis diuinae et auctoritatis rationem habendam esse interpreti historico plane nullam; per interpretationem historicam demum iudicandum definiendumque esse, ac definiri posse, num doctrina, in iis tradita, necessario pro diuina, digna doctore, diuinitus misso, haberi possit ac debeat; quicquid interpretatio historica non agnoscat pro doctrina diuina, id pro tali non esse habendum; nec sumendum esse, scriptores sacros fuisse erroris expertes, aut errasse nunquam, immo vero ponendum, eos errare quoque potuisse; libros sacros in vniuersum, in primis Commentarios Euangelistarum de rebus, a Christo gestis, dubiae esse originis et auctoritatis; nominatim Ioanneum Euangelium scriptum esse non a

Ioanne ipso, sed consarcinatum ab alio, nescio quo, ex schedis, seu fragmentis quibusdam, a Ioanne manu exaratis, ex quibus desumsisset, quae consilio ipsius accommodata viderentur, quare etiam τὸ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγέλιον dicatur, scilicet, quoniam conscriptum fuerit ex narratiunculis Ioanneis de Christo! scriptum autem esse totum secundum principia philosophiae Iudaicae et Alexandrinae, et continere nec doctrinam Iesu puram, nec historiam veram, sed Theologiam Iudaico-Alexandrinam, et fabulas multas; nexum rerum esse vitiosum, notiones obscuras, confusas, non adaequatas, dicendi rationem, quem stilum vocamus, horridam, barbaram, ne grammaticam quidem, ita, vt loca multa sensum habeant vel nullum, vel absonum, vtque penitus videatur desperandum esse de sana huius Euangelii interpretatione. Haec reperisse sibi visi sunt per interpretationem historicam, siue, grammatico-historicam eius propugnatores.

Quae si vera essent, actum profecto videretur de Iesu, de legatione eius et doctrina diuina, de Scriptura sacra eiusque interpretatione legitima, de religione christiana, de religione vniuersa. Bone Deus! Quis tandem est Iesus, quid opus, quid meritum eius de salute humana reparanda, si ne fuerit quidem diuinae et aeternae veritatis doctor, fide dignus, a Deo missus? Quid doctrina Christi, si eam non a Deo habuerit, sed a suae aetatis magistris didicerit, aut suo ipsius ingenio excogitauerit, suisque popularibus tantum tradiderit? Quid aduentus eius in has terras, quid mors, quid resurrectio, quid adscensio in coelos, quid sessio ad

dextram Patris, in quibus spem salutis aeternae positam esse statuimus, si neque eius, neque Apostolorum doctrina fide digna est? Quid οἰκονομία salutis, per fidem in Christum consequendae, in qua, Apostoli docent, conspicuam factam esse gratiam et φιλανθρωπίαν Dei infinitam et immensam sapientiam, venturis saeculis omnibus admirandam, si, quae Iesus docuit, praecepit, instituit, tantum temporaria fuerunt? Quid facta Iesu miranda, ad quae toties ipse prouocauit, tanquam signa indubitata suae missionis diuinae, si vel ad meras allegorias detorqueantur, quae fuit Wolstooni insania, vel, quod adeo est deterius, ad naturalium causarum euenta reuocentur, quibus deceperit Iesus, saltem decipi passus sit imperitam plebem? Quid historia euangelica, quam putamus esse basin religionis et fidei christianae, si figmenta contineat et aniles fabulas? Quid Scriptura sacra, quam alumni disciplinae euangelicae ad vnum omnes et profitentur, et credunt, vnam esse, et certam, et tutam normam fidei atque vitae, si Scriptores sacri tradiderint non enunciata diuina, sed sua ipsorum aliorumque philosophemata? si certe, quae tradiderunt, vera ac diuina habenda sint non per se, et quoniam ope diuina tradiderunt, sed quatenus ea pro veris ac diuinis agnoscit humana ratio? Quid interpretatio Scripturarum, si nixa fuerit non verbis, sed rebus, non linguarum praesidiis, sed rationis, hoc est, philosophiae hodiernae decretis? Quid religio vniuersa, quid scientia rerum diuinarum, quid fides et spes, in Christo posita, quid totus christianismus, si ratio humana et philosophia vna vnus fons sit sapientiae diuinae et in causa religionis iudex supremus? Quid doctrina Christi et Apo-

stolorum amplius, quam systema aliquod philosophicum? At vero quid demum est, Iesum, Dominum, abnegare, blasphemiis afficere, diuinam eius legationem dubiam, immo vanam et irritam reddere, eius doctrinam oppugnatum ire, turpiter deformare, perstringere, ludibrio exponere, et, si fieri possit, supprimere, totum Christianismum e religione remouere, hanc vero vnius rationis angustiis coercere, miracula deridenda propinare, vanitatis coarguere, infamare, sacram Scripturam torquere tam diu, donec sapientiae humanae placitis accommodata esse videatur, eam corrumpere coniecturis suis, ad contemtum trahere, eiusque auctoritatem diuinam infringere, fundamenta fidei christianae labefactare, concutere, penitus subruere? Qui tandem accidere possit aliter, quam, quod docuit omnis historia, grauissima huius rei testis, nimirum, vt, contemta et proscripta quasi Scriptura sacra eiusque interpretatione grammatica et linguarum scientia erudita, religio omnis contemnatur, concutiatur, corrumpatur, perturbetur, subruatur, funditus euertatur, omninoque tollatur et ad religionem naturalem redigatur, aut ad Theologiam mysticam reuocetur, qua nihil fuit doctrinae christianae perniciosius, et in μυθολογίαν inanem, siue adeo etiam in poesin, res quasque figuris et fictionibus inuoluentem, conuertatur; quo inprimis inclinare videntur nostri temporis Theologorum et oratorum sacrorum non pauci, cum in tradenda religione delectentur mirifice troporum figurarumque vmbris, rerumque sensibilium imaginibus et phantasiae ludibriis, Mysticorum et Fanaticorum nationi olim familiaribus, quibus, dum capita fidei molliora efficere et hu-

manae rationi aptiora reddere tentant, et alios decipiunt, et semet ipsos; vicissim vero, vt crassa ignorantia rerum diuinarum, immanis barbaries, et cum iis assiduae fere et infaustae comites, foeda superstitio, somnia humani ingenii et opinionum portenta horrida, omnisque generis nefanda vitia et scelera, vi et agmine quasi facto, irrumpent in ecclesiam christianam et vbique dominentur! *Euangelium amittemus*, dicere solebant verissime, quorum ope eius puritas instaurata est, *Euangelium amittemus, si literas amiserimus*, adeoque etiam, si amiserimus interpretationem Scripturarum, per praesidia literarum institutam. Certe notabile videtur, quod fateri non dubitauit, qui nuper in peculiari libello aggressus est defensionem rationalismi; (horribile vocabulum, horribilior res!) fassus est igitur, praecones interpretationis grammatico-historicae esse propugnatores rationalismi.

Interpretationem eam, quae nititur literarum hebraicarum, graecarum, latinarumque scientia iusta et accurata, praeceptisque grammaticis et rhetoricis atque aliis praesidiis, vsitatis in explicatione auctorum classicorum, statuerunt omni tempore viri eruditissimi, vnice veram, legitimam et certam esse, atque ad veritatem et cognoscendam et defendendam fructuosam, eamque, existimarunt, accuratius cognosci ac disci non posse, quam ab interpretibus et criticis scriptorum classicorum; hos, inculcarunt, consulendos esse ante omnia ab vnoquoque, qui ad explicandos libros sacros accedere voluerit, horum seueram disciplinam imitari oportere interpretem Scripturarum sacrarum, quos videamus

versatos esse in explicandis libris humanis cura, diligentia, reuerentia, modestia, religione adeo, tanta, vt reuocarent omnia diligentissime ad praeceptorum grammaticorum subtilitatem et obseruationum veritatem, nec probarent interpretationem vllam, quae abhorreret a linguarum consuetudine, atque faterentur citius, se non satis rem, aut verba intelligere, quam auctores ipsos vituperarent, eosque peccasse concederent, aut interpretationem proferrent, a genio linguarum abhorrentem, laborarentque maximopere, vt componerent cum veritate et loquendi ratione, si quid iis visum fuerit abhorrere vel a veritate, vel a sermonis elegantia et dicendi consuetudine recepta; putarunt enim, quod honoris haberent viri eruditissimi intelligentissimique libris humanis, id multo magis tribuendum esse libris diuinis, qui saltem per tot saecula haberent diuinitatis auctoritatem; vicissim vero dehortati sunt grauiter a licentia, leuitate et temeritate eorum, qui proni essent ad corrigendum, amputandum, reiiciendum, taxandum, parumque aut nihil reuerentiae haberent sacris Scripturis, immo vero in eas grassarentur ea audacia atque impudentia, quae ne concederetur quidem in vilissimo libro vllo, vt, vbi reperisse sibi visi fuerint quicquam, quod vel non satis caperent, vel cum placitis philosophiae recentissimae non conuenire videretur, id statim non repudiarent tantum, verum etiam ad contemtum vniuersorum sacrorum librorum trahere tentarent; quod profecto esset veritati non succurrere, sed illudere, non defensionem parare, sed insidias struere; memores enim fuerunt semper viri eruditissimi, iique sapientissimi, omnem huius vitae scientiam

imperfectam esse, ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν, atque auctores extiterunt suasoresque acerrimi, suoque exemplo docuerunt ac demonstrarunt, quemadmodum vniuscuiusque hominis christiani, ita multo magis interpretis Scripturarum et Theologi esse, arcana sapientiae diuinae pia mente scrutari quidem, et, si disertis verbis tradita repererit in Scripturis, fide suscipere, atque efficere, vt et alii iis fidem habeant moremque gerant, non autem eorum modum et caussas indagare, et, si assequi eas non potuerit, friuole diiudicare et impie repudiare, nec, contemnendo institutionem disciplinamque diuinam, sua sapientia superbire, et per sapientiam perire, (est enim etiam quidam *morbus sapientiae*, vt *Plinius* dixit, quo perire solent non pauci, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν,) aut sibi arrogare, quae non cadunt in infantes et discipulos, sed aetatis et scientiae maturitatem desiderant, ab hac vita alienam, atque in vniuersum imitari disciplinam Apostoli, qui, parentibus nostris, inquit, si credendum obtemperandumque esse existimauimus, etiam in iis, quorum rationes non poteramus perspicere, quoniam didiceramus vsu atque experientia, ab ipsorum amore et prudentia proficisci nihil posse, nisi quod ad salutem nostram pertineret; οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑποταγησόμεθα τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, καὶ ζήσομεν; *Hebr. XII*, 9.

Ac talem curam, diligentiam, modestiam, verecundiam et religionem nobis semper commendatam habuimus in tractandis explicandisque libris sacris per longam annorum seriem, videmurque nobis adhibuisse quoque in scribendo hoc Commentario, vt, quamuis multa alia, haec saltem non desiderarentur.

versatos esse in explicandis libris humanis cura, diligentia, reuerentia, modestia, religione adeo, tanta, vt reuocarent omnia diligentissime ad praeceptorum grammaticorum subtilitatem et obseruationum veritatem, nec probarent interpretationem vllam, quae abhorreret a linguarum consuetudine, atque faterentur citius, se non satis rem, aut verba intelligere, quam auctores ipsos vituperarent, eosque peccasse concederent, aut interpretationem proferrent, a genio linguarum abhorrentem, laborarentque maximopere, vt componerent cum veritate et loquendi ratione, si quid iis visum fuerit abhorrere vel a veritate, vel a sermonis elegantia et dicendi consuetudine recepta; putarunt enim, quod honoris haberent viri eruditissimi intelligentissimique libris humanis, id multo magis tribuendum esse libris diuinis, qui saltem per tot saecula haberent diuinitatis auctoritatem; vicissim vero dehortati sunt grauiter a licentia, leuitate et temeritate eorum, qui proni essent ad corrigendum, amputandum, reiiciendum, taxandum, parumque aut nihil reuerentiae haberent sacris Scripturis, immo vero in eas grassarentur ea audacia atque impudentia, quae ne concederetur quidem in vilissimo libro vllo, vt, vbi reperisse sibi visi fuerint quicquam, quod vel non satis caperent, vel cum placitis philosophiae recentissimae non conuenire videretur, id statim non repudiarent tantum, verum etiam ad contemtum vniuersorum sacrorum librorum trahere tentarent; quod profecto esset veritati non succurrere, sed illudere, non defensionem parare, sed insidias struere; memores enim fuerunt semper viri eruditissimi, iique sapientissimi, omnem huius vitae scientiam

imperfectam esse, ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν, atque auctores extiterunt suasoresque acerrimi, suoque exemplo docuerunt ac demonstrarunt, quemadmodum vniuscuiusque hominis christiani, ita multo magis interpretis Scripturarum et Theologi esse, arcana sapientiae diuinae pia mente scrutari quidem, et, si disertis verbis tradita repererit in Scripturis, fide suscipere, atque efficere, vt et alii iis fidem habeant moremque gerant, non autem eorum modum et causas indagare, et, si assequi eas non potuerit, friuole diiudicare et impie repudiare, nec, contemnendo institutionem disciplinamque diuinam, sua sapientia superbire, et per sapientiam perire, (est enim etiam quidam *morbus sapientiae*, vt *Plinius* dixit, quo perire solent non pauci, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν,) aut sibi arrogare, quae non cadunt in infantes et discipulos, sed aetatis et scientiae maturitatem desiderant, ab hac vita alienam, atque in vniuersum imitari disciplinam Apostoli, qui, parentibus nostris, inquit, si credendum obtemperandumque esse existimauimus, etiam in iis, quorum rationes non poteramus perspicere, quoniam didiceramus vsu atque experientia, ab ipsorum amore et prudentia proficisci nihil posse, nisi quod ad salutem nostram pertineret; οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑποταγησόμεθα τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, καὶ ζήσομεν; *Hebr. XII*, 9.

Ac talem curam, diligentiam, modestiam, verecundiam et religionem nobis semper commendatam habuimus in tractandis explicandisque libris sacris per longam annorum seriem, videmurque nobis adhibuisse quoque in scribendo hoc Commentario, vt, quamuis multa alia, haec saltem non desiderarentur.

Secuti autem sumus rationem hanc. Scripsimus omnia vna continuatione, vt vbique orationis seriem indicaremus, difficilia et ambigua circumscriberemus, res et notiones rerum, admiscendis definitionibus, aut verbis idem declarantibus, illustraremus, verba difficilia facilioribus, rariora obuiis, tropica propriis, sed omnibus puris, explicaremus.

Inseruimus vbique versionem latinam, in qua summa cura ac diligentia egimus hoc, vt sensum exprimeremus sine vlla detractione, aut adiunctione, aut immutatione, verba seligeremus, quae, quantum ferebat latinae linguae indoles, sua vi respondent graecis, et, si fieri potuit, etymologia quoque, tropo, figura et constructione conueniunt, acumina sententiarum, itemque vocabula, quibus in lingua latina nulla plane respondent, retineremus, in locis autem difficilioribus, et paululum obscurioribus, quae admittunt interpretationes aeque probabiles, verbum de verbo redderemus.

Varias virorum doctorum interpretationes commemorare, non putauimus necesse esse, cum facile cognosci possent ex Commentariis et antiquioribus et recentioribus; multo minus voluimus recensere aut refutare interpretationes, quae viderentur nobis plane abhorrere a legitima ratione interpretandi et a mente viri diuini plane aliena esse, partim quoniam animus noster semper abhorruit vehementer a rixis controuersiisque eruditorum, immo vero in magna felicitatis parte posuimus, nunquam nobis impositam fuisse necessitatem altercandi cum quoquam, partim quoniam persuasi su-

mus, veritati plus vtilitatis afferri, si operam nostram studiumque magis collocamus in eo, vt explicemus eam perspicue, illustremus euidenter et certis argumentis confirmemus, quam vt defendamus contra obiectiones aduersariorum, in primis cum opinionum commenta, sua ipsorum vanitate conuicta, euanescere soleant breuiter. Igitur e varietate interpretationum recensuimus tantum praecipuas et notatu dignas; caeterum autem commemorauimus eam tantum, quae nobis maxime probabilis videretur, eamque ex dicendi consuetudine aliisque interpretandi praesidiis, historicis quoque, confirmare tentauimus; in quo tamen vsi sumus breuitate, sine detrimento perspicuitatis existimantes, longis disputationibus de verbis singulis intelligentiam rerum impediri magis, quam adiuuari.

Et quoniam, auctore *Quintiliano*, enarrationem praecedere debet emendata lectio, eam quoque non praetermisimus; commemorauimus potius atque examinauimus quoque lectiones varias, quae alicuius momenti essent, indicauimus saltem, quae lectio in vnoquoque loco viris, rei criticae peritis, visa esset maxime probabilis; quamuis notabile sit, in toto hoc Euangelio reperiri varias lectiones perpaucas, quae videantur alicuius momenti esse, in locis vero primariis de Christo plane nullas.

Nec neglexiumus res, sed earum quoque, quemadmodum soliti sunt non modo sacrarum Scripturarum, sed etiam auctorum classicorum interpretes, curam habuimus, quatenus pertinent non tantum ad historiam,

Secuti autem sumus rationem hanc. Scripsimus omnia vna continuatione, vt vbique orationis seriem indicaremus, difficilia et ambigua circumscriberemus, res et notiones rerum, admiscendis definitionibus, aut verbis idem declarantibus, illustraremus, verba difficilia facilioribus, rariora obuiis, tropica propriis, sed omnibus puris, explicaremus.

Inseruimus vbique versionem latinam, in qua summa cura ac diligentia egimus hoc, vt sensum exprimeremus sine vlla detractione, aut adiunctione, aut immutatione, verba seligeremus, quae, quantum ferebat latinae linguae indoles, sua vi respondent graecis, et, si fieri potuit, etymologia quoque, tropo, figura et constructione conueniunt, acumina sententiarum, itemque vocabula, quibus in lingua latina nulla plane respondent, retineremus, in locis autem difficilioribus, et paululum obscurioribus, quae admittunt interpretationes aeque probabiles, verbum de verbo redderemus.

Varias virorum doctorum interpretationes commemorare, non putauimus necesse esse, cum facile cognosci possent ex Commentariis et antiquioribus et recentioribus; multo minus voluimus recensere aut refutare interpretationes, quae viderentur nobis plane abhorrere a legitima ratione interpretandi et a mente viri diuini plane aliena esse, partim quoniam animus noster semper abhorruit vehementer a rixis controuersiisque eruditorum, immo vero in magna felicitatis parte posuimus, numquam nobis impositam fuisse necessitatem altercandi cum quoquam, partim quoniam persuasi su-

mus, veritati plus vtilitatis afferri, si operam nostram studiumque magis collocamus in eo, vt explicemus eam perspicue, illustremus euidenter et certis argumentis confirmemus, quam vt defendamus contra obiectiones aduersariorum, in primis cum opinionum commenta, sua ipsorum vanitate conuicta, euanescere soleant breuiter. Igitur e varietate interpretationum recensuimus tantum praecipuas et notatu dignas; caeterum autem commemorauimus eam tantum, quae nobis maxime probabilis videretur, eamque ex dicendi consuetudine aliisque interpretandi praesidiis, historicis quoque, confirmare tentauimus; in quo tamen vsi sumus breuitate, sine detrimento perspicuitatis, existimantes, longis disputationibus de verbis singulis intelligentiam rerum impediri magis, quam adiuuari.

Et quoniam, auctore *Quintiliano*, enarrationem praecedere debet emendata lectio, eam quoque non praetermisimus; commemorauimus potius atque examinauimus quoque lectiones varias, quae alicuius momenti essent, indicauimus saltem, quae lectio in vnoquoque loco viris, rei criticae peritis, visa esset maxime probabilis; quamuis notabile sit, in toto hoc Euangelio reperiri varias lectiones perpaucas, quae videantur alicuius momenti esse, in locis vero primariis de Christo plane nullas.

Nec neglexímus res, sed earum quoque, quemadmodum soliti sunt non modo sacrarum Scripturarum, sed etiam auctorum classicorum interpretes, curam habuimus, quatenus pertinent non tantum ad historiam,

chronologiam et antiquitatis scientiam, sed etiam ad fidei doctrinaeque diuinae capita, eaque primaria de Christo, et de consiliis diuinis ratione salutis humanae, ab eo parandae et conferendae, quae in hoc Euangelio omnia reperiuntur ea perspicuitate atque euidentia, qua in alio libro sacro nullo. Ea vero explicauimus non ex angustiis compendiorum theologicorum, ne quis putet! Nos enim profecto non ita admiramur Theologiam dogmaticam, ex qua putemus petendam esse atque explicandam demonstrandamque doctrinam fidei. Vsi sumus olim disciplina excellenti IO. AVG. ERNESTI, quae fuit magna pars felicitatis nostrae; atque ex ea didicimus iam in iuuentute nostra, atque ab eo inde tempore vsu multo experti sumus, semperque statuimus, docuimus, inculcauimus, omnem doctrinae christianae et veritatem, et scientiam pendere vnice a Scripturis sacris, earumque interpretatione legitima, atque ex his solis petenda esse, explicanda ac demonstranda capita fidei et officii, auctoresque fuimus ac suasores omnibus, quicunque voluerint doctrinae christianae veram indolem et recte cognoscere, et aliquando tradere, siue subtiliter in Academiis, siue populariter in ecclesia, vt ante omnia sibi compararent literarum hebraicarum, graecarum et latinarum, sacrarumque Scripturarum rite interpretandarum scientiam iustam et accuratam, qua demum peruenire possent ad cognitionem religionis veram, perspicuam, accuratam, certam, amplissimam et foecundissimam, necessariam cuique, qui vtiliter instituere voluerit iuuentutem, in primis literarum studia aemulantem, et populum. Igitur non ex compendiorum riuulis explicauimus hinc inde capita

fidei, quae in hoc Euangelio tradita reperiuntur, sed ex fontibus, atque in primis ex ipsis sermonibus Domini nostri, adhibitis vbique, vt putamus, legitimis interpretandi praesidiis. Ac propter hanc vnam caussam, non propter vllam aliam, hunc Commentarium appellauimus *dogmaticum*. In quibus si adhaesisse videamur doctrinae euangelicae sinceritati, nemo facile putauerit, ambitiose nos quaesiuisse vanam affectatae *ὀρθοδοξίας* gloriolam, quamuis sint nostro tempore, quod profecto est vehementer dolendum, qui non dubitent, hoc atque id genus alia crimina intentare iis, qui repudiant omnes opiniones auctoritatesque humanas in rebus diuinis, et vnice sequuntur auctoritatem diuinam Scripturarum, amplectunturque doctrinam Christi et Apostolorum, in iis traditam, integro animo et certa fide. Certe vt nemini inuidemus suas opiniones, nec rixari cum quoquam volumus, *ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει*· ita eandem aequitatem exspectamus ab iis, quorum iudicio nostra, Scripturas interpretandi et diuinas res explicandi, ratio non placuerit.

Scripsit Ioannes hunc librum ad illustrandam gloriam Iesu, Domini. Plane eodem consilio scripsimus et *nos* hunc Commentarium, freti hac spe, fore, vt, si fieri possit, conferamus aliquid, vt ad intelligendum explicandumque librum hunc diuinum accuratius, ita ad personae Iesu maiestatem, eiusque beneficiorum ac meritorum in genus humanum multitudinem, amplitudinem et magnitudinem euidentius cognoscendam, menteque pia admirandam, fidem autem legentium et

excitandam et confirmandam. Quam spem vt ratam esse iubeat ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, verissime ardentissimeque precamur. Scripsimus Dresdae mense Aprili A. C. ↀIↃCCCXVI.

MELETEMATA SACRA

IN

EVANGELIVM IOANNIS.

PROLEGOMENA.

Euangelium Ioannis, praestantissimum illud ac plane diuinum maximeque amabile opus, inter libros sacros Veteris Nouique Testamenti locum obtinere videtur facile principem, cum ob sermones Iesu frequentiores, tum ob grauitatem atque excellentiam rerum capitumque doctrinae diuinae, quae in eo tradita reperiuntur, atque inde intelligi, explicari demonstrarique certo et euidenter possunt. Neque enim in vllo alio libro diuino, quam in hoc factum reperimus esse, saepius atque penitius pectus suum patefecit Iesus, Dominus; pectus illud sanctissimum et diuino spiritu animatum ac redundans, repletum in Deum Patrem pietate, sapientia, virtutum omnium amore et studio, religionis super omnes alias res reuerentia, et amore in homines vniuersumque genus humanum propemodum incredibili, ardens pro Dei gloria, veritate atque virtute, studiosum vtilitatis communis, suae negligens, diuina et aeterna quaerens, pericula, mortem, res humanas omnes contemnens, hominumque genus vniuersum e pernicie vltima in felicitatem summam vindicare cupiens. Vnde hunc librum, IOANNEM AVGVSTVM ERNESTI, Virum summum et immortalem, appellasse meminimus *pectus Christi*; verissime; veteres autem, constat, dixisse πνευματικὸν, (apud EVSEBIVM, *Hist. Eccles. VI*, 14.) quoniam redundat copia rerum grauissimarum praestantissimarumque, et veluti spirat animum Christi, sensum religionis christianae; ac nominatim CHRYSOSTOMVS, *Hom. II. in Io. Tom. VIII. Opp. p.* 11.

edit. Montefalc. inesse, ait, *ἰσχὺν ἄμαχον καὶ θείαν, καὶ δογμάτων ὀρθῶν ἀμήχανον δύναμιν καὶ μυρίων ἀγαθῶν χορηγίαν.* Etenim Euangelistae reliqui in Commentariis suis maximam partem exponunt de rebus gestis Christi in his terris inde a natiuitate eius vsque ad abitum in coelos; Ioannes autem fere vnice sermones Christi literis consignandos, atque inuisibilem eius gloriam et maiestatem verbis et rebus declarandam curauit. Illi e sermonibus Christi commemorarunt potissimum eos, in quibus vel de rebus ad hanc vitam pertinentibus instituit, vel praecepta diuina a peruersis Pharisaeorum interpretationibus vindicauit, vel officia hominum explicauit, vel eorum mores improbos castigauit, vel de rebus futuris in hoc et altero saeculo exposuit; hic vero sermones eiusmodi tradidit, in quibus omnibus locutus est de se ipse, de diuina maiestate et missione sua, et opere, a Patre sibi demandato; quod raro, saltem non tam euidenter et perspicue et consulto, factum videmus esse apud Euangelistas reliquos; apud quos praeterea vsus est plerumque dicendi genere figurato et parabolico, in sermonibus autem apud Ioannem maximam partem proprio ac perspicuo. *Matth. XIII,* 13. *Marc. IV,* 2. 33 *sq.* Atque Apostoli in Epistolis capita doctrinae de Iesu Messia saepissime quidem, verbis, quamuis diuinitus suppeditatis, suis tamen explicarunt; Ioannes autem verbis Iesu ipsius. Apud illos loquentem audimus, quamuis virum inspiratum, hominem tamen; apud hunc Filium Dei, Messiam ipsum. Illi caput illud doctrinae plerumque tradiderunt per occasiones aliorum locorum, et interdum tantum attigerunt; hic ex instituto et data opera explicauit; quo non potest esse aliquid ad intelligendum et persuadendum efficacius ac potentius. Quare mirati sumus saepius, Theologos in explicando opere Christi salutari adhibuisse modos loquendi figuratos, quibus Paulus verbi causa in Epistola ad Hebraeos sapientissimis quidem de causis propter

illorum temporum necessitates et vtilitates vsus est, et non potius secutos esse auctoritatem consuetudinemque Iesu Domini ipsius in ea re explicanda et inculcanda, nec vsurpasse ipsa eius verba, propria illa atque perspicua, nulli difficultati aut interpretationis ambiguitati et perversitati obnoxia. Habet quoque Ioannes suum quoddam dicendi genus proprium, peculiarem sermonis gratiam et admirabilem sublimitatem, non quidem ab arte vlla aut artis praeceptis profectam, quae ille cum ignarissimis ignorabat, sed a rebus et sententiis ortam, et ab animi magnitudine natam, coniunctam cum naturali quadam simplicitate et pulchritudine, quasi ab animi quodam spiritu afflatam, quae capit atque admiratione explet animos omnium, quos non hebetauit ad talis pulchritudinis sensum atque indurauit stupor, vel a natura insitus, vel a vitiis et rerum humilium sordidarumque amore offusus. Sed habet etiam suas difficultates, nec est fere vllum Euangelium, in quo vehementius sudatum sit ab eximiis veterum recentiorumque ingeniis, et in quo enarrando magis varient interpretes; quod tamen non illorum tarditati et imperitiae tribuendum est, sed vel rerum grauitati, vel sermonis difficultati; neque enim quisquam scriptorum sacrorum magis imitatus est loquendi morem consuetudinemque Hebraeorum, quam Ioannes, non modo in significatu verborum dicendique formularum, verum etiam in iunctura orationis et in primis in vsu temporum; quod non semper satis obseruatum esse videtur ab interpretibus.

Ac de consilio scribendi Euangelii ante omnia constare debet ei, qui illud recte intelligere voluerit interpretarique. In quo non admirari satis possumus mirificam diuinae sapientiae benignitatisque magnitudinem, quae, vt alios sanctos viros excitauit olim atque impulit ad docendum Euangelium Iesu Christi propagandumque, et viua voce, et literis diuinis, ita quoque inflammauit animum D. Ioannis ad scribendum opus

illud pulcherrimum ac plane diuinum. Voluit enim Ioannes, vt nos quidem statuendum esse putamus, non historiam vitae Christi et commentarium rerum, ab ipso gestarum in his terris, scribere, quam potius quasdam tantum partes, easque insigniores, et in primis sermones eos, in quibus de se ipse, sua persona, suoque consilio et opere locutus esset, seligere literarumque monumentis mandare, ex quibus, tanquam ex ore Iesu ipsius, discere possent atque intelligere omnes omnium temporum homines, quisnam esset Iesus, qualemne se non modo praestitisset, verum etiam professus esset et haberi voluisset. Scripsit igitur hoc tam graui, tamque salubri consilio, vt caput, totius doctrinae christianae haud dubie summum ac praecipuum, de Iesu, Domino nostro, eiusque et natura diuina, et operis indole ac praestantia explicaret, luculenterque demonstraret, et contra Iudaeorum illius temporis, omniumque omnino, aut ieiune, aut peruerse, de eo sentientium, siue improbitatem et pertinaciam, siue imbecillitatem et inscitiam, vindicaret atque defenderet, non quidem, argumentorum subtilitate, sed rerum ipsarum euidentia et Domini ipsius auctoritate adhibenda, sic, vt indicata initio operis et veluti in praefamine summa dicendorum, praeter iudicium Ioannis Baptistae, cui permultum tribui sciret a Iudaeis illorum temporum, sermones quosdam Iesu commemoraret, publice priuatimque habitos, eosque insigniores et consilio accommodatos, e quibus, tanquam Iesum ipsum loquentem audirent, de ipsius persona et opere perspicue et accurate iudicare omnes cum illorum, tum futurorum temporum homines possent. Neque enim vsus est subtilitate philosophica, quae apud scriptores sacros, et in hac re in primis, locum non habuit, sed egit personam historici, fideliter enarrantis, quidnam fecerit aliquis atque praestiterit, qualemne se in omni vitae genere ac parte praebuerit, quidnam effecturum se promiserit atque docuerit, ac deinde

iudicio lectorum relinquentis, quid ipsi sentiant de eiusmodi viro atque statuere velint ac debeant, ita tamen, vt quisque inde colligere posset perspicue et euidenter, quod ad finem libri indicauit, scilicet, *haec scripta esse, vt intelligeret quisque atque crederet, Iesum esse Messiam et Filium Dei. Cap.* XX, 31.

Id primum satis perspicue docet praefamen libri, a *primo versiculo* vsque ad *decimum octauum*, quod multis mirabile visum est propterea, quoniam putarent, Ioannem historiam vitae Iesu scribere voluisse, et tamen de natiuitate eius atque educatione nihil, de reliqua vita autem parum traditum, in principio autem de diuina eius maiestate expositum esse reperirent. Sed non erat, quod mirarentur. Scilicet non de vita Iesu scribere voluit, verum de persona eius atque opere. Itaque initium orationis fecit non a natalibus eius e Maria, vt Matthaeus et Lucas fecerunt, sed rem altius repetiit et vltra initia huius vniuersi adscendit, atque iam ante illa Seruatorem extitisse docuit. Summa enim praefaminis est haec, atque haec quoque est summa, hoc est argumentum totius libri, scilicet: *Messias promissus extitit ante mundum conditum apud Deum, quippe est Deus et huius vniuersi conditor, sed homo factus, vixit inter nos, seque tanquam Filium Dei vnicum felicitatisque humanae vniuersae auctorem verbis et factis manifestauit.* Iam hoc tale argumentum, hoc tam illustre elogium, in primis cum mirum multis et incredibile esset et videri posset, nonne exspectaret quisque, fore, vt in libro ipso vberius explicetur, illustretur, rebusque et factis demonstretur?

Sed deinde res et ratio et summa totius libri extra controuersiam ponunt, quod diximus. Nam quae in toto libro tradita reperiuntur, omnia spectant ad intelligendam diuinam Seruatoris naturam operisque eius indolem et admirabilem praestantiam, omnia docent atque ostendunt, Iesum esse Filium Dei, vitaeque et

felicitatis humanae omnis instauratorem et datorem vnicum. Itaque non a natiuitate eius dicendi initium fecit, sed statim, vt fidem faceret iis, quae dixerat et dicturus erat, prouocauit ad Ioannis Baptistae de Iesu iudicium, quod magnam habere poterat vim in animis Iudaeorum, apud quos etiam tum in maxima existimatione erat. Deinde quando commemorauit, duos discipulorum Ioannis Baptistae se tradidisse in disciplinam Iesu, id non alio consilio fecisse videtur, quam vt intelligeretur, Ioannem priuatim eodem modo sensisse de Iesu atque docuisse, vt publice fecerat, nec dubitationem apud eum fuisse de Iesu Messia. Neque aliam ob causam subiecit reliqua vsque ad finem Capitis, in quibus sunt manifesta indicia maiestatis Christi. Quae *secundo Capite* miracula Christi commemorauit, Canae in nuptiis et Hierosolymis in templo edita, ea quidem pertinent ad initium muneris, saltem primum, nam de altero constat dubitari; sed commemorauit sic, vt ad intelligendam maiestatem Christi conferret. Nam priori loco subiecit haec: *tam praeclarum initium fecit Iesus operum suorum; quo quidem maiestatem suam demonstrabat ita, vt discipulorum fides quam maxime confirmaretur.* Ad finem autem alterius diserte docet, multos, visis eius miraculis, adductos esse, vt ipsum Messiam profiterentur. Sed quae sequuntur inde a *tertio Capite*, euidenter ostendunt, Ioannem tradere voluisse veluti specimina quaedam sermonum Christi, seruato tamen, quantum fieri posset, temporis ordine, ex quibus pateret id, quod initio libri proposuerat. Nam ex vnoquoque anno muneris docendi quaedam tantum facta, quosdam tantum sermones, eosque notabiliores, in quibus disputauerat de persona sua et opere, attulit, atque illa quidem propter hos, quibus occasionem dederant, videtur narrasse, et, vt sermones ipsi melius intelligerentur, praemisisse veluti praefaminis loco. Ita fecit *Cap. V.* et in reliquis. Ex primo anno

muneris duos tantum sermones exhibendos putauit, alterum cum Nicodemo, alterum cum muliere quadam Samaritana habitos; quamuis prior quoque non ad initium muneris referendus esse videatur, quoniam ex *secundo* et *vndecimo* versiculo, aliisque locis illius *Capitis*, Dominum, patet, iam per aliquod tempus docuisse inter Iudaeos et miraculis multis et magnis inclaruisse. Ex secundo anno muneris vnus sermo literis consignatus *Cap. V.* legitur. Reliqua omnia inde a *Cap. VI.* ad tertium annum sunt referenda. Quae quidem satis perspicue ostendere videntur, Ioannem non historiam vitae Iesu scribere voluisse, sed tantum notabiliores quasdam partes eius, et insigniores quosdam sermones commemorare, vt quisque, velnti ex ore Iesu ipsius, audire posset atque cognoscere, quid de se ipse statuisset. Modo vltimos Christi sermones latius persecutus est, itemque historiam passionis et resurrectionis, vt partim de morte eius, cui tantam vim tribuisset, partim vero etiam de vita eius et maiestate, quam post mortem et praedixit et recepit, Christianis constaret.

Atque ex sermonibus Iesu, facile quisque videt, Ioannem data opera selegisse eos, in quibus disseruisset partim de persona sua, partim de opere salutari, quique adeo ad vtrumque perspicue et euidenter intelligendum essent prae ceteris insignes; e quibus age specimina quaedam videamus!

Ac primum quidem, quod ad *personam Iesu* attinet, nescio profecto, num diuinitatis eius possit esse argumentum euidentius, quam illud, quod desumtum est a cultu religioso, quem sibi diserte vindicauit. *Cap. V*, 23. *Etenim omnes*, inquit, *adorare et colere oportet Filium eodem modo, quo Patrem colunt; qui Filium non colit, nec Patrem colit.* Ita profecto loqui sine βλασφημίᾳ et iniuria maxima in Deum Patrem nullo modo potuisset, (quod de eo cogitare summae impietatis fuerit,) si inferior illo, aut merus homo esset. Nam euidenter sibi

tribuit parem et aequalem cum Patre maiestatem ac dignitatem, dum exigit eundem religionis cultum ab vniuerso genere humano. Sed cultum religiosum deberi non nisi vero et summo Deo, diuinitatisque notam esse, et res ipsa docet, et Deus saepius dixit in T. V. aduersus Iudaeos idololatras, veluti *Ies. XLII, 8. XLVIII, 11.* et Christus ipse professus est, dum inculcauit praeceptum de Deo vno eodemque solo colendo et adorando. Enimvero hic sibi tribuit cultum adorationis! Quid igitur? Profecto, nisi Iesum Deum esse concedamus, nullus omnino Deus statuendus fuerit! Sed hunc locum ex instituto tractauit THALEMANNVS in peculiari libello *). Verum in eodem loco sunt etiam alia diuinae maiestatis Iesu argumenta, non minus certa ac perspicua. Etenim appellauit se Filium Dei; *vers. 25.* et quo sensu Filium Dei intellexerit, intelligique voluerit, alias explicauit in eodem Euangelio, dum se diceret esse *υἱὸν μονογενῆ. Cap. III, 16.* Deinde vindicauit sibi, quae Deus habet et facit, nominatim vim creatricem et opus judicii vltimi ferendi et homines e morte reuocandi; idque sibi affirmauit conuenire cum propter naturam suam, nam *Filius*, inquit, *habet ζωὴν ἐν ἑαυτῷ,* hoc est, *vim et facultatem habendae et tribuendae vitae,* tum sibi in specie traditum esse et permissum a Patre, *ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐςὶν, quoniam esset humani generis servator. Vers. 25. sqq.* Enimuero vtrumque opus est plane diuinum et creationi par, nec tribui potest, nisi creatori ac domino rerum omnium, vindicaturque Deo alias tanquam argumentum veri et summi Dei. Porro notabile est illud, quando in hac et reliquis disputationibus cum Iudaeis Deum semper vocauit Patrem suum, veluti *Cap. V, 17. VIII, 49. X, 29. sqq.* Nam Iesum hoc dixisse sensu plane peculiari et proprio, non quo nos

---

*) *Prolus. in qua demonstratur, Iesum Christum eodem, quo Patrem modo colendum atque adorandum esse. Lips. A. MDCCLXXVI.*

Deum patrem vocamus, sed quo esset *υἱὸς ἴδιος* et *μονογενὴς*, *vnus in suo genere*, eiusdemque cum Patre essentiae, luculenter patet ex verbis Iudaeorum, optimorum sane interpretum in hac re, qui ei dicuntur insidias struxisse, quoniam non modo sabbati religionem soluisset, verum etiam Deum dixisset patrem suum, atque ita *se Deo parem tulisset*, *ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ*. *Cap. V*, 18. Inde enim est planissimum, illos appellationem *πατρὸς ἰδίου* non alio sensu accepisse, quam vt eum dicere putarent, *se esse cum Deo*, quem patrem suum dixisset, eiusdem naturae, eiusdemque maiestatis ac dignitatis. Quare blasphemum dicere audebant Servatorem sanctissimum, lapidibusque obruere. Denique quando in eadem disputatione: *ego*, inquit, *fui*, (*εἰμὶ* pro: *ἦν*, quod contra WETSTENIVM est notandum,) *antequam Abrahamus nasceretur et viueret*; *Cap. VIII*, 58. aut quando Patrem allocutus est his verbis: *redde mihi nunc in coelis*, (*παρὰ σεαυτῷ*,) *eam maiestatem, quam habui ibi apud te iam ante mundum conditum*; *Cap. XVII*, 5. num tu quaeso haec meri hominis esse, aut Prophetam aliquem et Apostolum eodem modo loqui potuisse existimaueris? Quae cum adeo euidentia sint, vt paene in oculos incurrant; mirandum sane est, fuisse et esse nunc quoque, qui eam rem non agnoscant, aut in dubitationem adducant.

Verum etiam *opus Christi* cuiusmodi sit, euidenter intelligi potest ex his sermonibus. Etenim Dominus in iis legitur professus esse palam, se esse *Messiam*, *Cap. IV*, 26. itemque *missum a Patre*, *Cap. VII*, 29. et sexcentis aliis locis, et prouocasse in disputationibus cum Iudaeis ad Scripturas, exponentes de persona sua et opere, *Cap. V*, 39. atque diserte se vocasse *salutis omnis omnium hominum auctorem et datorem*, cui qui fidem denegauerit, non posse non perire, qui vero habuerit, saluum futurum esse in omnem aeternitatem, *Cap. III*, 36. *V*, 24. *VI*, 47. *VIII*, 12. 24. 51. *XII*, 46. *XIV*, 6.

reliqua. Explicatur etiam in primis diligenter ratio et indoles huius salutis; quod haud dubie factum est propterea, vt intelligeretur vanitas opinionum Iudaicarum in hac re. In quo quidem vsus esse legitur Dominus verbis, maximam partem tropicis, audientibus tamen notis et perspicuis, atque ad eam rem intelligendam in primis aptis. Eius autem duas partes fecit, alteram immunitatem a pernicie et poenis, alteram vero felicitatis sensum et vsum; quae interdum coniunguntur, vt *Cap. III*, 16. interdum vero etiam separatim ponuntur, ita tamen, vt vtrumque sensu et cogitatione coniungi debeat, vtque adeo, vbi v. c. τὸ μὴ ἀποθνήσκειν, *non perire*, legitur, non tantum liberatio a pernicie, verum etiam felicitas ipsa intelligenda sit; et vice versa. *Cap. VI*, 50. *XI*, 26. Perniciem enim vocare solebat *θάνατον, σκοτίαν*, *Cap. VIII*, 12. felicitatem autem *ζωὴν, φῶς, ζωὴν καὶ περισσὸν, ὕδωρ*, et quidem *aquam* eiusmodi, *quae sitim penitus restinguat et in aeternum profluat*; quo indicauit praestantiam, copiam et perennitatem felicitatis, cuius initia sint in hac vita, sed plenus et perennis vsus in vita futura; *Cap. IV*, 14. *VII*, 37. porro etiam *βρῶσιν*, eandemque *μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον*, hoc est, talem, cuius suauitas et vis est perpetua, nunquam fastidienda, semper recens, semper satians, et cum satietate insatiabili penitus explens immensa humani animi desideria, atque aeterna. *Cap. VI*, 27. Denique etiam corpora humana, clare docuit, in vitam reditura et in communionem felicitatis coelestis ventura esse. *Cap. V*, 28. 29. *XI*, 25. 26. Sed maximum illud est, et in quo valde constat etiam nostri temporis homines torqueri, quomodo demum Christus hanc tantam felicitatem attulerit; quod et ipsum non obscure ex his sermonibus intelligi potest. Indicium eius rei dedit in sermone cum Nicodemo, *Cap. III*, 14. *sqq.* et in illo *Cap. X*, 11. vbi se vocauit *pastorem*, hoc est, regem, et quidem talem, *qui vitam ponat pro suis.* Sed locus

haud dubie euidentissimus est *Cap. VI, 51.* vbi: *ego*, inquit, *sum panis ille, qui salutem affert et de coelo venit, de quo qui ederit, felicitatem aeternam consequetur; atque hic panis est corpus meum,* (σὰρξ pro σώματι,) *quod morti tradam, vt generi humano felicitatem impetrem.* Nescimus profecto, num euidentius dicere potuerit Dominus, quonam sensu esset auctor humanae salutis. Nempe non tantum per doctrinam suam, sed in primis et proprie per mortem suam, ita, vt per hanc mortem non tantum certos redderet homines de salute, sed eam acquireret et impetraret. Nam diserte dixit, *corpus suum, morti tradendum*, hoc est, mortem suam esse id, quo salus afferatur humano generi. Sed eius generis plura sunt in hoc Euangelio, quo nobis persuasum est, non esse librum aliquem diuinum ad intelligendum euidentiorem et efficaciorem, qualem se Iesus ipse intellexerit intelligique voluerit, quidque statuerit de persona et opere suo. Iam vero Ioannes quare haec scripsit, quare hos tales sermones literis consignarit et non alios? Scilicet vt discere possent omnes omnium temporum homines ex ore Domini ipsius, quid de persona eius et opere esset statuendum.

Vnde et illud intelligi posse putamus, quid existimandum sit de sententia eorum, qui putent, Ioannem postremum omnium et ad finem saeculi primi hunc librum scripsisse, vt, quae a reliquis Euangelistis praetermissa essent, suppleret. Fuit enim haec in antiquissima ecclesia, estque nunc quoque, communis et fere dominans opinio, Ioannem post Matthaeum, Marcum et Lucam scripsisse, horum commentarios legisse, auctoritatem diuinam iis tribuisse, nouum scripsisse, et, quae in iis deessent, addidisse, atque adeo veluti paralipomena tradidisse. Verum haec sententia non satis certa videtur esse; nam destituta est omni argumento historico; quare SEMLERVS, *in Praefat. in Paraphr. Euang. Io. et in notis passim*, non improbabiliter eam ad fabulas re-

ferendam esse putauit, existimauitque, Ioannem potius scripsisse primum omnium, non diu post mortem Christi, antequam in regionibus Asiae vel fando aliquid auditum fuerit de Euangelio Matthaei et reliquorum. Etenim non supplementa scripsit, sed peculiare aliquod consilium secutus est.

Sed quorsum tamen scripsit, et quorumnam in gratiam capita illa de Messia ex instituto tractauit? In quo quidem viri eruditissimi dissensere omni tempore quam vehementissime. Ac de sententia quidem, et antiquissima illa et plerisque omnibus probatissima, Ioannem scripsisse, in primis versiculis quatuordecim prioribus, contra *Gnosticos*, nominatimque contra *Cerinthum*, nihil dicemus, quoniam contra eam ex instituto quondam disputauimus, (*in Tract. de Vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis*, *Lipsiae* 1773.) argumentis, quae nobis quidem non inepta visa sunt, nec, quantum scimus, refutata a quoquam. Neque tamen praetermittere possumus sententiam de *discipulis sectatoribusque Ioannis Baptistae*, quae quidem dudum prolata fuit, nostris autem temporibus in primis placere videtur non paucis. Etenim iam LVDOV. WOLZOGENIVS, in *Commentar. in Eu. Io. Opp. Tom. I. p.* 701. *sq.* existimauit, Ioannem nisi Euangelium vniuersum, tamen in primis initium eius, scripsisse eo consilio, vt demonstraret, *non Ioannem Baptistam, sed Dominum Iesum esse Christum, Filium Dei*. Nam tum temporis, ait, cum euangelium coepisset illucescere, a multis alium praeter Iesum Nazarenum pro Messia habitum fuisse, nempe Ioannem Baptistam, idque satis euidenter perspici posse ex locis nonnullis; *Matth. III*, 1. 2. *Luc. III*, 15. et *Io. III*, 28. atque etiam post mortem Ioannis Baptistae fuisse, qui, metu persecutionis, Ioannis discipuli dici mallent, quam Christi; neque enim, nisi extitissent illo tempore plures, qui Ioannem Baptistam pro Messia habuerint, caussam intelligi posse, quare Ioannes Apo-

stolus in ipso Euangelii initio tam crebro mentionem fecisset Ioannis Baptistae, quare porro diserte dixisset, *vers.* 8. non Ioannem, sed Iesum esse *lucem mundi*, Messiam, quare deinde *vers.* 15. 19. *sqq.* et 29. ad ipsum Ioannis Baptistae de Iesu testimonium prouocasset, quare denique orsus fuisset Euangelium a commemoratione eorum ornamentorum Iesu Domini, quae ipsi tanquam Messiae conuenissent prae Ioanne Baptista. Longius progressi sunt recentiores nonnulli, dum statuerent, Ioannem scripsisse Euangelium non modo, sed etiam Epistolam primam vel vnice, vel potissimum contra discipulos et asseclas Ioannis Baptistae; hos enim, dicunt, magistro suo adeo tenaciter adhaesisse, vt a Iesu plane discederent, eumque tanquam Messiam penitus repudiarent, Ioannem Baptistam vero pro Messia haberent, eiusque doctrinam propagarent, baptismum administrarent et mores strenuos, omninoque ritus Iudaicos obseruarent, eorumque fuisse multitudinem tantam, vt peculiarem aliquam et numerosam sectam constituerent, quae vsque ad hodiernum diem perduranet in Asia sub nomine *Sabaeorum*, seu *Zabiorum*, quamuis hi in multis recesserint ab opinionibus discipulorum Ioanneorum antiquioris aetatis. Hanc sententiam ex instituto defendit MIC. BARKEY, in peculiari *Commentatione*, quae inscripta est: *de scopo Euangelii, quod est secundum Ioannem*, et inserta *Biblioth. Hagan. Class. III, Fasc. III.* p. 591. *sqq.* eamque primum probare instituit ex testimoniis partim Euangelistae, *Cap. I*, 6. 7. 8. 15. *IV*, 1. *X*, 40. *XII*, 13. et *Epist. I, Cap. I*, 5. 6. partim Ioannis Baptistae, *Io. I*, 15, 19—36. *III*, 22, partim denique Iesu Domini; *Cap. V*, 31—38. deinde vero ostendere voluit ex historia, fuisse, qui Ioannem Baptistam aut anteferrent Iesu Christo, aut aequipararent, cum tempore Christi ipsius, *Matth. III*, 1. *sqq.* *Io. III*, 25. *Matth. IX*, 14. *XIV*, 1. 2. tum vero etiam aeuo Apostolorum, quo extiterint asseclae Ioannis

Baptistae permulti, non tantum in Palaestina, verum etiam in Graecia, in primisque in vrbe Ephesina, in qua Ioannes Euangelista vixerit et scripserit, baptizati olim a Ioanne Baptista, aut eius discipulis, quorum caput fuerit *Cerinthus*, *Act. XIII*, 14. *sqq. XVIII*, 25. *XIX*, 1—7. tum denique etiam temporibus sequentibus inter Christianos et Iudaeos, nominatim *Ophitas*, qui erroribus Gnosticorum, Cerinthianorum, Marcionitarum, Valentinianorum, aliorumque infecti fuerint, sedesque habuerint in Asia et praesertim in Syria; immo vero idem vir doctus in alia Diatribe, inscripta: *de Sabiis, vel Christianis sancti Ioannis*, quae extat in eadem *Bibliotheca Hagan. Class. IV. Fasc. II. p.* 355. *sqq.* demonstrare conatus est, fuisse singularem sectam Iudaeorum, et deinde Christianorum, qui a Ioanne Baptista primum *Mendai Iahia*, *Christiani sancti Ioannis*, et deinde *Sabii* vocati fuerint. Nostris autem temporibus haec sententia nacta est defensores et fautores in primis multos, nominatim IO. GEORG. OVERBECKIVM, virum eruditum, qui edidit integrum librum de hac re, inscriptum: *neue Versuche über das Evangelium des Johannes, Gerae*, 1784. et C. G. STORRIVM in libro: *über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Iohannis, Tubingae*, 1786. p. 5. *sqq.* praesertim postquam NORBERGIVS edidit disputationem *de religione et lingua Sabaeorum*, quae reperitur in *Commentatt. Societ. scient. Gotting. P. IV.*

Verum haec de discipulis Ioanneis sententia non magis locum habere posse videtur, quam illa de Cerinthianis et Gnosticis. Primum enim quamuis negari non potest, quod ab ipsis scriptoribus rerum a Christo gestarum traditum extat, Ioannis Baptistae auctoritatem fuisse permagnam, non modo apud discipulos eius, verum etiam apud populum, sic, vt nonnulli adeo etiam eum pro Messia habere parati essent; tamen credibile nullo modo videtur, discipulos eius, mortuo magistro,

a Iesu penitus discessisse, et sectam aliquam peculiarem, eamque Iudaicam et numerosissimam, constituisse; immo vero constat euidenter ex Commentariis Euangelistarum, illorum discipulorum non paucos Iesum Messiam amplexos fuisse, atque adeo eius disciplinae se tradidisse. Et qui tandem in illam opinionem incidere potuissent, cum Ioannes, vt bene sciebant et scire debebant, eam diserte a se esset amolitus, et publico nomine interrogatus, palam iterum iterumque negasset, se esse exspectatum Messiam, seque non nisi eius ministrum perhibuisset, Iesum autem disertis verbis Messiam professus fuisset, eiusque rei causa ad finem vitae, in carcerem coniectus, vt confirmaret suorum animos, omnemque dubitandi causam iis adimeret, vtque audirent ex ore Iesu ipsius, eorum quosdam ad Iesum ablegasset et in eius veluti manum ac disciplinam tradidisset? Vrgent quidem, qui ita statuunt, in primis loca *Act. XIII, 25. XVIII, 24. sq. XIX, 1—5.* ex quibus tamen quomodo sententia de secta aliqua discipulorum Ioannis Iudaica et numerosa probari possit, non est in promtu. Nam in primo loco, qui desumtus est ex oratione Paulina, Antiochiae habita, Apostolus fuit in eo, vt Iesum Messiam esse demonstraret, eiusque rei causa vteretur testimonio Ioannis Baptistae, praeconis Domini, inuitantis ad baptismum suscipiendum et resipiscentiam, profitentisque palam, se non esse Messiam, sed Messiae, mox venturi, ministrum et legatum. Igitur ad Ioannem quidem prouocauit eiusque testimonium, quoniam bene sciret, et notissimum esse Iudaeis omnibus, ante Messiam venturum esse vatem aliquem insignem, et tale tanti viri testimonium magnam vim habiturum esse in animis audientium; at vero discipulorum Ioanneorum nullo verbo meminit. In loco altero commemoratum legitur exemplum Apollonis Alexandrini, vsi baptismate Ioannis. Sed hunc tamen sectatoribus Ioannis non annumeraueris? Nam imbutus fuisse dicitur religionis

Baptistae permulti, non tantum in Palaestina, verum etiam in Graecia, in primisque in vrbe Ephesina, in qua Ioannes Euangelista vixerit et scripserit, baptizati olim a Ioanne Baptista, aut eius discipulis, quorum caput fuerit *Cerinthus*, *Act. XIII*, 14. *sqq. XVIII*, 25. *XIX*, 1—7. tum denique etiam temporibus sequentibus inter Christianos et Iudaeos, nominatim *Ophitas*, qui erroribus Gnosticorum, Cerinthianorum, Marcionitarum, Valentinianorum, aliorumque infecti fuerint, sedesque habuerint in Asia et praesertim in Syria; immo vero idem vir doctus in alia Diatribe, inscripta: *de Sabiis, vel Christianis sancti Ioannis*, quae extat in eadem *Bibliotheca Hagan. Class. IV. Fasc. II. p.* 355. *sqq.* demonstrare conatus est, fuisse singularem sectam Iudaeorum, et deinde Christianorum, qui a Ioanne Baptista primum *Mendai Iahia*, *Christiani sancti Ioannis*, et deinde *Sabii* vocati fuerint. Nostris autem temporibus haec sententia nacta est defensores et fautores in primis multos, nominatim IO. GEORG. OVERBECKIVM, virum eruditum, qui edidit integrum librum de hac re, inscriptum: *neue Versuche über das Evangelium des Johannes, Gerae*, 1784. et C. G. STORRIVM in libro: *über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Iohannis, Tubingae*, 1786. p. 5. *sqq.* praesertim postquam NORBERGIVS edidit disputationem *de religione et lingua Sabaeorum*, quae reperitur in *Commentatt. Societ. scient. Gotting. P. IV.*

Verum haec de discipulis Ioanneis sententia non magis locum habere posse videtur, quam illa de Cerinthianis et Gnosticis. Primum enim quamuis negari non potest, quod ab ipsis scriptoribus rerum a Christo gestarum traditum extat, Ioannis Baptistae auctoritatem fuisse permagnam, non modo apud discipulos eius, verum etiam apud populum, sic, vt nonnulli adeo etiam eum pro Messia habere parati essent; tamen credibile nullo modo videtur, discipulos eius, mortuo magistro,

a Iesu penitus discessisse, et sectam aliquam peculiarem, eamque Iudaicam et numerosissimam, constituisse; immo vero constat euidenter ex Commentariis Euangelistarum, illorum discipulorum non paucos Iesum Messiam amplexos fuisse, atque adeo eius disciplinae se tradidisse. Et qui tandem in illam opinionem incidere potuissent, cum Ioannes, vt bene sciebant et scire debebant, eam diserte a se esset amolitus, et publico nomine interrogatus, palam iterum iterumque negasset, se esse exspectatum Messiam, seque non nisi eius ministrum perhibuisset, Iesum autem disertis verbis Messiam professus fuisset, eiusque rei causa ad finem vitae, in carcerem coniectus, vt confirmaret suorum animos, omnemque dubitandi causam iis adimeret, vtque audirent ex ore Iesu ipsius, eorum quosdam ad Iesum ablegasset et in eius veluti manum ac disciplinam tradidisset? Vrgent quidem, qui ita statuunt, in primis loca *Act. XIII*, 25. *XVIII*, 24. *sq*. *XIX*, 1–5. ex quibus tamen quomodo sententia de secta aliqua discipulorum Ioannis Iudaica et numerosa probari possit, non est in promtu. Nam in primo loco, qui desumtus est ex oratione Paulina, Antiochiae habita, Apostolus fuit in eo, vt Iesum Messiam esse demonstraret, eiusque rei causa vteretur testimonio Ioannis Baptistae, praeconis Domini, inuitantis ad baptismum suscipiendum et resipiscentiam, profitentisque palam, se non esse Messiam, sed Messiae, mox venturi, ministrum et legatum. Igitur ad Ioannem quidem prouocauit eiusque testimonium, quoniam bene sciret, et notissimum esse Iudaeis omnibus, ante Messiam venturum esse vatem aliquem insignem, et tale tanti viri testimonium magnam vim habiturum esse in animis audientium; at vero discipulorum Ioanneorum nullo verbo meminit. In loco altero commemoratum legitur exemplum Apollonis Alexandrini, vsi baptismate Ioannis. Sed hunc tamen sectatoribus Ioannis non annumeraueris? Nam imbutus fuisse dicitur religionis

christianae scientia, *κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου*, et cum insigni animi feruore accurate tradidisse, quae de Domino cognouisset. Modo vsus fuit baptismate Ioannis; quod additum est propterea, vt indicaretur, eum dona extraordinaria nondum accepisse, quorum collatio nimirum coniuncta erat cum baptismate Christi, non vero Ioannis; in quo fuit discrimen vtriusque baptismatis. Denique in loco tertio, vel propter disputationem de iteratione baptismatis celebratissimo, Paulus Apostolus legitur offendisse in vrbe Ephesina discipulos quosdam, donis sancti Spiritus extraordinariis nondum exornatos, modo baptizatos ea ratione, qua vsus erat Ioannes, eosque, quod quidem negari non posse videtur, iterum baptizasse in Iesum Messiam, donisque illis instruxisse, de quibus tum ne audiuerant quidem quicquam. Iam hi rebaptizati fueruntne sectatores Ioannei tales, quos putant, Iudaei nimirum, tenaces legum Mosaicarum rituumque paternorum, repudiantes Iesum, Ioannem autem pro Messia iactitantes? Minime vero. Neque enim tanquam sectatores Ioannis describuntur, sed tanquam homines, ab eo baptizati, adeoque credentes in Messiam venturum. Neque enim Ioannes baptizabat, nisi professos resipiscentiam et Messiam mox venturum, vt disertis verbis explicauit Paulus *versiculo quarto*. Hi igitur, si professionem suam tenuerunt pie et sancte, de quo dubitari non potest, Ioannem pro Messia habere nullo modo potuerunt. Sed quorsum tamen rebaptizabantur? Scilicet partim vt fidem in Iesum Messiam profiterentur; erant enim baptizati a Ioanne in Messiam venturum, non nominatim in Iesum; partim vt dona extraordinaria acciperent. Aut num permagnus erat horum discipulorum numerus? Nullo modo. Erant enim omnino duodecim, vt itidem diserte commemoratum extat *septimo versiculo*. Itaque ex his locis colligi nullo modo potest, quod volunt viri docti, nimirum extitisse illo tempore peculiarem aliquam

sectam discipulorum Ioanneorum, eamque fuisse admodum numerosam. Quodsi huc trahere velles locum *Luc. III*, 15. ne eo quidem aliquid efficeres. Nam qui ibi suspicati esse dicuntur et sermocinati inter se, num forte Ioannes esset ipse Messias, non sectatores Ioannis fuere; sed de populi multitudine quidem; et suspicati tantum sunt, non professi, et quidem tum, cum Ioannes vix initium muneris fecisset, Iesus autem Dominus ne auspicatus quidem esset munus suum, multo minus verbis et factis inclaruisset.

Deinde quod fundamenti loco ponunt viri docti, Sabaeos recentiores originem habuisse a discipulis Ioanneis antiquioribus, eorumque fuisse propaginem, argumentis historicis nec docuerunt, nec docere potuerunt; modo inde suspicati sunt, quoniam Sabaei in disciplina religionis dicuntur habere baptismum aliquem et ritus alios, qui olim Ioanni solennes fuere et ab eo videntur esse desumti, omninoque vsurpare vocabula modosque dicendi fere eosdem, certe similes, quibus vsus est Ioannes Euangelista, in primisque insignire Ioannem Baptistam nominibus, veluti *lucis* et *vitae*, quibus appellatus esse legitur Dominus a Ioanne Euangelista. Ioanneos vero discipulos antiquiores sumunt et ipsos vsos fuisse hisce vocabulis, atque inde colligunt modo ab his ad illos, modo ab illis ad hos; quae est manifesta demonstratio in orbem, atque etiam propter hanc causam valde improbabilis, quoniam, quod et ipsi concedere coguntur, recentiores sectatores Ioannis, quos putant, ab antiquioribus in permultis opinionibus discesserunt. Neque adeo colligi inde certo potest, temporibus Apostolorum peculiarem numerosissimamque discipulorum Ioannis sectam extitisse.

Sed fuerunt quoque, qui iure suo plane dubitarent, Sabaeos hodiernos in Syria, siue Nasairios, vt dicuntur, originem habuisse ex secta quadam discipulorum Ioanneorum, immo vero putarent atque ostenderent, eos

constituere sectam aliquam Muhammedanam. Sic existimauit NIEBVHRIVS, *in Itinerario*, *Tom. II. p.* 439. cui accesserunt viri, harum rerum in primis periti, TYCHSENIVS, in *Dissertat. de secta Sabaeorum et Nassairiorum in Syria*, (*Deutsches Museum de a.* 1784. *Part. II. p.* 414.) itemque ADLERVS et BRVNSIVS. Vid. *Repertorium für die biblische und morgenländische Literatur*, *Part. XV. p.* 297. *et XVII. p.* 25. *sqq.* et PAVLI *Memorabilien*, *Part. III. p.* 51. *sqq.* Quod vero attinet ad similitudinem dictionis, quam in oratione discipulorum Ioannis Baptistae et in Euangelio Ioanneo reperisse sibi visi sunt nonnulli, et qua putant consulto vsum fuisse Euangelistam ad illos suis ipsorum verbis refutandos, bene se habet res nostra. Etenim si qua tandem est similitudo eiusmodi, aduersarios religionis et impostores, veluti Cerinthianos, Gnosticos, Muhammedem adeo et ipsum, vt conciliarent opiniunculis suis veri speciem, easque omnis generis hominibus eo magis commendabiles acceptasque redderent, allusisse constat ad sermonem Apostolorum, suasque sententias verbis dicendique formulis Scripturarum sacrarum incrustasse, sic, vt, si verborum, scriptoribus sacris frequentatorum, exempla in disciplina sectae alicuius reperiantur, ea non a scriptoribus sacris ex huius sermone petita, sed ab hac ex illorum libris desumta, atque in partem deteriorem conuersa esse existimanda sint; quod de Gnosticis quidem non improbabiliter per inductionem nobis demonstrasse videmur in Libro supra commemorato, *pag.* 224. *sqq.* Sit igitur, fuisse in disciplina discipulorum Ioannis verba et dicendi formulas, quae quodammodo viderentur habere similitudinem aliquam cum sermone scriptorum diuinorum; inde tamen effici nullo modo potest, hos ad illos respexisse.

Denique, quod est in hac re summum, tota opinio de discipulis Ioannis, qui dicuntur, destituta est omni fundamento historico. Etenim apud nullum scriptorem

aliquem antiquum, siue Christianum, siue Iudaicum, extat sectae alicuius, a Ioanne Baptista denominatae, vestigium, ne leuissimum quidem. Vnum testimonium proferri solet ex *Recognitionibus*, quae vulgo tribui solent *Clementi Romano, Libr. I. Cap. 54. et 60.* Sed vt praetermittamus, de quo constat inter viros doctos, fidem illarum Recognitionum non magnam esse, aut potius nullam, illud certe facile quisque intelliget, qui modo leuiter inspexerit loca illa, in iis sermonem non esse de peculiari secta aliqua Ioannea, sed de discipulis Ioannis, quos habuit suo tempore, ex quibus vnus itemque alter vel statuerit, vel prodiderit, Ioannem esse Messiam, non Iesum. Immo vero vniuersa historia antiqua repugnat huic opinioni. Nam profecto si extitisset eiusmodi secta, eius haud dubie mentionem fecissent et facere debuissent, qui de eiusmodi rebus exponerent.

Sed ex his omnibus facile quemque putamus intelligere posse doctum atque intelligentem, nec praeiudicata opinione occupatum, quid de sententia illa, Ioannem contra id genus hominum scripsisse, sit statuendum. *)

Nobis quidem, qui inde a longo tempore saepius legimus, tractauimus, interpretatique sumus in scholis Academicis hunc librum, in primis carum, certissime persuasum est, in eo ne vmbram quidem reperiri vestigii alicuius, aut Gnosticorum, aut Cerinthianorum, aut Ioannitarum, aut eius generis aliorum hominum, eorumque opiniuncularum; sed Ioannem scripsisse propter

---

*) Haec dudum scripseramus, cum ederet H. E. G. PAVLVS *Recitationem de consilio et fine Ioannis in scribendis Commentariis Euangelicis*, quae reperitur in *Introductione in N. T.* vbi *p.* 194. *sqq.* sententiam de secta discipulorum Ioannaeorum improbauit et erudite refutauit. Nuperrime autem contra eum disputauit IO. GOD. EICHHORNIVS *Einleit. in das N. T. Tom. II. Part. 2. p.* 199. *sqq.*

caussam duplicem, partim illis temporibus propriam, partim vero omnibus temporibus communem et ad genus humanum in vniuersum pertinentem. Tum enim fuisse, constat, non modo permultos inter Christianos, praecipue ex Iudaeis, qui et ipsi capita doctrinae longe grauissima de Iesu, eiusque persona et opere, modoque salutis per eum consequendae, etsi non peruerterent prauis opinionibus, neque tamen satis accurate intelligerent ac tenerent et traderent, deinde vero in primis Iudaeos, qui Iesum tanquam Messiam penitus repudiarent, eius diuinitatem impugnarent, de eo ieiune et impie sentirent et docerent, atque Messiam promissum venisse, pertinaciter negarent, hisque omnibus molestias crearent Christianis, eorumque fidei ac doctrinae obessent multis modis, de quo Ioannes nominatim questus est alias, *I. Ep. II,* 22. *IV*, 3. nam ibi sine omni dubitatione intelligendi sunt Iudaei *), omni-

*) Hos si quis appellare voluerit Gnosticos, eorumque opiniones peruersas *γνῶσιν*, ad ductum Apostoli, 1 *Tim. VI*, 20. atque distinguere *Gnosticos iudaicos* et *ethnicos*, itemque *γνῶσιν antiquiorem* et *recentiorem*, vt fecisse vidimus virum aliquem doctum, (*Allgemeine Literaturzeitung*, *mens. Iul.* 1796. *N.* 228.) nos quidem non repugnabimus; illud tantum admitti nullo modo potest, extitisse iam illo tempore Cerinthianos et Gnosticos, qui proprie dicuntur, aut aliud aliquod systema opinionum, et Ioannem scripsisse contra. Neque tamen etiam hoc concedi posse putauerim, quod voluit doctus ille vir, per *γνῶσιν* iudaicam illorum temporum intelligendas esse opiniones Essenorum et Therapeutarum, per quas corrupta fuerit tempore Apostolorum et labefactata religionis christianae doctrina. Nam *ἡ ψευδώνυμος γνῶσις* l. c. est opinata scientia non aduersariorum religionis, non doctorum iudaicorum, veluti Essenorum aut Therapeutarum, sed doctorum quorundam christianorum in ecclesia Ephesina, qui olim fuerant magistri iudaici, et nunc in conuentibus Christianorum sacris docere solebant simili fere more, quo olim vsi erant in Synagogis, et proferre e disciplina, ex qua profecti erant, de Mose et lege Mosaica, de Iudaeorum maioribus,

noque de Messia non recto statuerent, quem liberatorem a iugo potestatis humanae et auctorem bonorum temporalium ac regem inuictum, qui, vi diuina sustentatus, summo cum splendore et maiestate regia, populum gubernaturus, bella contra hostes gesturus, orbisque terrarum imperium genti suae vindicaturus esset, existimarent; vt docent scriptorum sacrorum, et Iudaicorum, *Iosephi* et *Philonis*, atque adeo etiam Romanorum, *Suetonii* et *Taciti*, loca satis nota. Atque hi, Iudaei, fuerunt aduersarii, quos in mente haberet Ioannes in scribendo Euangelio, si quos in mente habuit; hos refutauit et refutare voluit, tales enim oportebat refutare illo tempore, non autem vnum et item alterum peruerse sentientem, si eiusmodi quidem iam tum extiterint inter Christianos, et, si fieri posset, edocere atque ad fidem adducere; Christianorum causa vero scripsit, vt eos contra opinionum Iudaicarum et vanitatem et peruersitatem muniret, atque in fide confirmaret, in vniuersum autem, in quo admirari debemus documentum curae diuinae plane singularis pro salute generis humani longe illustrissimum, vt omnes omnium

---

ritibus et id genus alia eiusmodi, neque amplius necessaria, neque vtilia, atque super his rebus praetermittere capita, doctrinae christianae propria. Hoc ita euidenter intelligi potest ex tota hac Epistola et in primis *Cap. I*, 6. *sqq.* ac demonstrari, vt dubitandi iusta causa non facile esse possit. Atque haec est ipsa est ἡ φιλοσοφία, *Col. II*, 8. nempe Theologia iudaica, siue opiniones iudaizantes, ex illa desumtae, v. c. de circumcisione, abstinentia a cibis, celebratione dierum quorundam festorum, sabbatorum, nouilunii, omnique de lege rituali eiusque etiamtum obseruandae necessitate; quae opiniones videbantur esse insigniter speciosae et inter Christianos quoque, in primis qui e Iudaeis accesserant, illo tempore fautores permultos habuerunt, vehementerque perturbarunt eorum animos, vt euidentissime patet ex innumerabilibus N. T. locis. Sed de his omnibus ex instituto diximus alias.

temporum futurorum homines de persona et opere Christi institueret, rebusque et factis, adhibita Seruatoris ipsius auctoritate diuina, contra Iudaeos eorumque opiniones peruersas de Messia, et criminationes iniustas aduersus Iesum, ostenderet ac demonstraret, hunc Iesum vere esse promissum exoptatissimumque Messiam, eumque vitae et felicitatis, non terrenae, vt opinarentur Iudaei, sed spiritualis et aeternae, non vnius alicuius gentis, velut Iudaicae, sed totius generis humani, et instauratorem, et datorem, nec merum hominem, sed simul Filium Dei vnicum. Atque hac tali ratione, hocque tali consilio non tantum praefamen Euangelii Ioannei, sed liber totus, explicari commode et legitime, itemque perspicue et euidenter non modo potest, verum etiam profecto debet; vt facile quisque intelliget, qui eius rei periculum facere voluerit.

Caeterum qui plura cognoscere voluerit de Euangelio Ioanneo in vniuersum, in primis vero quae de αὐθεντίᾳ eius in vtramque partem disputata sunt nuperrime, adeat praeter interpretes, nominatim eos, qui recentissimis temporibus ex instituto de his exposuerunt, veluti WEGSCHEIDERVM *Versuch einer vollständigen Einleit. ins Ev. Io.* EICHHORNIVM *Einleit. in das N. T. Tom. II. Part.* 2. *p.* 101. *sqq.* SVESKINDIVM *Magazin für christl. Dogm. Partic.* 9. *et* 11. GVIL. HVIBERTI VAN GRIETHVYSENIVM *Dissert. pro Eu. Ioannei αὐθεντίᾳ*, KVINOELIVM *Commentar. in Libros N. T. Tom. III. Prolegg.* in primis *pag.* 11. *sqq.* et qui ibi commemorati sunt.

CAPVT I.

Ac praefamen quidem vel maxime notabile est et consilio Ioannis accommodatissimum. Continet enim totius libri argumentum, quod rebus factisque explicare voluit ac demonstrare vir diuinus, nimirum hoc: *Iesus est Messias promissus et Filius Dei*; et summa praefaminis est fere haec: *promissus olim, nunc vero ablegatus ad nos Seruator non ante paucos annos, non inde a natiuitate sua esse coepit, sed extitit dudum, immo vero ante mundi initia; etenim fuit apud Deum, estque ipse Deus; venit autem in has terras, assumens humanam naturam, vixitque inter nos, seque tanquam Filium Dei illustrissimum, felicitatisque auctorem verissimum verbis et factis, tribuendisque bonis ingentibus et longe praestantissimis, quae nos omnes accepimus ex copiis beneficentiae eius, demonstrauit.*

Neque tamen vsus est Ioannes in hoc praefamine in denominando Seruatore nominibus vsitatis Ἰησοῦ, Χριστοῦ, aut id genus aliis, sed minus vsitato τοῦ λόγου· quod offendit permultos, deduxitque in opinionem eam, vt Apostolum suspicarentur contra quoddam genus hominum disputasse, in quorum sermone vsu receptum fuerit illud vocabulum. Et sane, quamnam ob causam vsurpatum fuerit hoc et non aliud nomen, quidque significet, certo et euidenter doceri non facile posse, libenter largimur. Illud tamen consensu doctissimi intelligentissimique cuiusque sumere possumus, esse nomen Seruatoris, neque adeo attributi alicuius diuini, aut actionis, aut relationis externae, sed substantiae intelligentis, eiusdemque diuinae et a Patre distinctae; quod tota series orationis clamat. Dicitur enim disertis verbis λόγος fuisse ante mundum conditum, mundum creasse creatumque regere, venisse in has terras ad homines

beandos, homo factus esse, habitasse inter discipulos, manifestasse se tanquam Filium Dei vnum et gloriosissimum, omnesque, qui ipsum susceperint, ornasse beneficiorum omni genere; discipuli vero dicuntur suis oculis vidisse, omnique modo intellexisse maiestatem eius, tanquam Filii Dei. Quae quidem omnia centies tradita reperiuntur et laudata de Domino nostro in hoc Euangelio, librisque sacris N. T. omnibus; de alio autem nullo. Et quis tandem dixerit in loco quidem historico, rationem, siue sapientiam et potentiam diuinam factam esse hominem et inter homines habitasse? Aut quis demum virum aliquem insignem, missum ad homines docendi causa, appellauerit nomine plane inaudito λόγου, et non potius vsurpauerit nomen vsitatum διδασκάλου, ῥήτορος, aut eius generis alio? Praeterea *versiculo sexto* Ioannes Baptista de hoc λόγῳ testatus esse dicitur. Atqui de Iesu Domino testatus est, et quidem, eum esse Filium Dei et Seruatorem mundi. *Vers.* 19. *sqq.* 29. 33. *sq.* Quare hic sub nomine λόγου intelligendus est, non vero alius. Inde vero patet euidenter, interpretationem eorum, qui statuant, per τὸν λόγον intelligi rationem, aut sapientiam et potentiam diuinam, aut etiam oratorem et doctorem, probari nullo modo posse.

Id quidem certum videtur esse, nomen λόγου tempore Ioannis peculiari significatu fuisse vsitatum, saltem non plane incognitum legentibus eius Euangelium et Epistolam primam; sed vsus loquendi certo probari non potest. Sunt tamen viri docti, qui existiment, non modo apud Iudaeos Alexandrinos, quod exemplis e PHILONE demonstrari posse, putant, verum adeo etiam apud Graecos, cuius rei causa ad ipsum PLATONEM prouocant, fuisse vsu receptum, vt λόγος appellaretur natura aliqua intelligens, rebus creatis superior, Deo simillima et coniunctissima, atque adeo etiam inter Iudaeos Palaestinenses et apud magistros Iudaicos obtinuisse morem hunc, vt Messiam dicerent sublimio-

rem Mose, Abrahamo et maioribus omnibus, et angelis ipsis, eorumque dominum, eundemque Deo proximum esse, ante mundum conditum extitisse, eiusque ope ac ministerio mundum et ipsum creatum esse; atque ex hac sentiendi loquendique consuetudine, Ioanni bene cognita, eum petiisse et nomen λόγου, et quae de eo dixit versiculis prioribus. Verum ex his; omnibus euidenter non patet, hanc consuetudinem in vsu vulgari receptam, neque Ioanni tantum, verum etiam ipsum legentibus cognitam fuisse. Et quod summum est in hac re, scilicet magistros Iudaicos Messiam appellasse τὸν λόγον, id probari nullo exemplo potest, immo vero penitus labefactatur loco ORIGENIS *contra Celsum Lib. II. Cap.* 31. *Tom. I. Opp. p.* 413. *edit. de la Rue*. Ibi enim disputauit contra criminationem Celsi, quam protulit Iudaei cuiusdam nomine, accusantis Christianos, iisque obiicientis, quod, captiosis argutiis freti, Filium Dei assererent proprium esse verbum Dei, ὡς σοφιζομένοις ἐν τῷ λέγειν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι αὐτολόγον. Igitur ORIGENES, se interrogasse, inquit, magistros Iudaicos, num apud ipsos in vsu esset, Messiam appellare proprio nomine λόγον, se vero, quamuis cum eorum multis, iisque, qui se sapientes venditauerint, colloquium super hac re habuerit, ab iis accepisse, id apud eos neque in scholis, neque in libris in vsu esse. Late tamen de hac sententia exposuit nuper KVENOELIVS *l. c. p.* 63. *sqq.* qui est conferendus.

Nobis quidem inde a longo tempore visa est, atque etiamnum videtur maximas veritatis notas habere sententia ea, quam innuimus *loc. cit.* deinde vero dudum prolatam fuisse vidimus a LAVR. VALLA, *Not. in N. T.* cuius verba infra scripsimus *), et BEZA, *Not.*

*) Sunt autem haec: ὁ λόγος *benedictum illud semen declarat, de quo Adamo, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Davidi et electis omnibus locutus est Dominus, quasi sermonem, seu* PROMISSVM DEI *voces.*

ad h. l. nostris temporibus autem in primis exornatam a I. A. CRAMERO, *Beyträge zur Beförderung theol. Gelehrsamkeit*, P. I. p. 252. et GABR. CHR. BENI. MOSCHIO, *Erklär. der Evangel.* P. I. p. 289. probatam quoque IO. AVG. ERNESTI, *Bibl. Theol. Nou. T. III.* p. 129. *sqq.* Scilicet, vt dicamus breuiter, nec repetamus, quae e V. T. disputauimus loco citato, vocabulum *λόγου* arbitramur denotare *promissum*; vsurpatumque esse loco τοῦ *λεγόμενος*, quod plane aequipollet vocabulo magis vsitato: *ὁ ἐρχόμενος*, eiusque vsurpandi causam repetitam esse, partim ex more illorum temporum in cogitando denominandoque Seruatore, partim ex vsu loquendi, partim a consilio Ioannis in scribendo hoc libro, partim denique a consuetudine Domini ipsius in se describendo. Primum enim mos illorum temporum, et ex ipsa rei natura, quoniam Seruator erat tum futurus, et ex consuetudine V. T. receptus, fuit hic, vt Messias diceretur *ὁ ἐρχόμενος*, הבא, quo quidem nomine in T. V. appellatus est *κατ' ἐξοχήν*, et, quemadmodum CYRILLVS HIEROS. *) innuit, ex loco *Gen. XLIX*, 10. in N. T. autem eodem nomine insignitus legitur saepissime, veluti *Matth. XI*, 3. vbi Ioannes Baptista quaeri ex eo iussit: *σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν;* et apud ipsum Ioannem. *Cap. VI*, 16. *XI*, 27. Vnde Iudaeis, in primisque Christianis neque incognitum plane nomen esse potuit, neque inusitatum in consuetudine vulgari. Deinde quod *λόγον* Euangelista dixit loco vocis: *λεγόμενος*, id quidem offendet neminem, consuetudinis loquendi Scripturarum sacrarum vel leuiter peritum; constat enim, vocabula abstractorum pro concretis centies adhiberi, idque non raro factum esse alias quoque in denominando Domino nostro; veluti quando *σωτηρία* appellatur loco *σωτῆρος*, *Cap. IV*, 22. item *ζωὴ* et *φῶς*, aut apud Lucam, *Eu. II*, 25. et 30.

*) *Catech. XII.* p. 261. ed. Preuot.

σωτήριον et *παράκλησις τοῦ Ἰσραήλ*. Nec dubitationem habere potest, vocabulo *λόγου* tribui posse eam vim, quam diximus, quoniam vocabulum hebraicum, quod graeco respondet, graecumque ipsum, *Rom. IX*, 6. sexcentis in locis de *promissione* dictum exstat, atque ab interpretibus graecis translatum reperitur *ἀγγελία* et *ἐπαγγελία*, veluti *Prov. XII*, 25. vtque adeo *λεγόμενος* idem sit et esse possit, quod *ἐπαγγελλόμενος*. Vnde etiam in loco *Sap. XVIII*, 15. angelus, diuinitus promissus et ablegatus, *λόγος Θεοῦ* appellatur; de quo vid. SCHLEVSNERI *Spicilegium Lexici in interpr. gr. V. T. Spec. I.* p. 75. Ac plane eandem vim vocabulum *λόγου* obtinet in reliquis libris Ioanneis, nimirum 1. *Ep. I*, 1. vbi Dominus appellatus est *λόγος τῆς ζωῆς*, id est: *promissus auctor felicitatis*; et *Apoc. XIX*, 13. in quo loco dicitur *λόγος τοῦ Θεοῦ*, hoc est, *a Deo promissus*. Tum porro consilium Ioannis in scribendo Euangelio, cum fuerit hoc, vt demonstraret, quemadmodum supra vidimus, Iesum esse promissum exspectatumque Messiam; facile quisque videt, quam aptum sit ei consilio, quamque accommodatum vocabulum τοῦ *λόγου*, hunc ipsum promissum Messiam exprimens. Ad extremum, quod in primis notabile est, Domino ipsi in sermonibus omnibus, in hoc libro commemoratis, solemne fuit, se appellare *legatum a Patre*, Patrem vero *mittentem*, seque describere tanquam eum, qui *missus a Patre profectusque in has terras venerit atque ad eundem rediturus sit*; veluti *Cap. VI*, 58. *XVI*, 28. *XIII*, 3. reliquis; quo innuere volebat manifeste, *se esse τὸν ἐρχόμενον*, hoc est, Messiam promissum exspectatumque. Atque haec consuetudo Domini videtur fuisse caussa praecipua vsurpandi huius vocabuli, alias in hac re paulo insolentioris. Itaque sensus verborum priorum est hic: *promissus Servator extitit ante rerum omnium initia*; tanquam scriptum fuisset hoc modo: *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λεγόμενος σωτήρ*.

1. Nam verbis: ἐν ἀρχῇ, denotari *initia N. T.* vt volunt nonnulli, siue, *initia traditae in his terris doctrinae Christi*, hoc quidem in loco concedi nullo modo potest; oriretur enim sensus vel maxime frigidus, si Christus diceretur fuisse tum, cum doctrina ipsius coepisset propagari, nec apparet, quare hoc potissimum initium intelligatur; vnde haec interpretatio profecto est mere arbitraria; deinde repugnat non tantum consilio Ioannis in toto libro, verum etiam atque in primis verbis proxime sequentibus, in quibus docuit, τὸν λόγον versatum fuisse apud Deum, Deumque et ipsum esse, et res omnes creasse. Quare haud dubie *rerum initia* intelliguntur, et λόγος extitisse manifeste dicitur, cum rerum initia fierent, ἐν ἀρχῇ τοῦ κόσμου, בְּרֵאשִׁית, vt est in principio Geneseos. Enimuero si extitit, cum initia rerum omnium fierent, efficitur primo, eum extitisse ante rerum omnium initia; deinde vero etiam, eum non esse in numero rerum creatarum, quae cum mundo esse coeperunt, immo vero eum esse rebus creatis omnibus eximendum, atque adeo alius naturae ac conditionis, quam res creatas; de quo eo minus dubitari vllo modo potest, quoniam versiculo tertio dicitur res omnes creasse. Quare τό: ἐν ἀρχῇ, de aeternitate explicarunt interpretes antiquissimi, veluti CHRYSOSTOMVS, *Hom. II. in Ioannem p.* 15. *edit. Montefalc.* cuius interpretatio etiam propterea est notatu digna, quoniam *Hom. III.* ex instituto refutauit eos, qui his verbis negarent aeternitatem exprimi. Idque profecto et oratio Domini innuit, *Cap. XVII*, 5., vbi apud Patrem, ait, se habuisse gloriam πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, quod non nisi de aeternitate intelligi potest, et consuetudo Apostolorum docet in formulis: πρὸ καταβολῆς κόσμου, *Eph. I*, 4. quod idem esse constat, quam: πρὸ ἀρχῆς τοῦ κόσμου, itemque: πρὸ χρόνων αἰωνίων, 2. *Tim. I*, 9. reliquis; Hebraeorum vero vsus loquendi extra dubitationem ponit, quos constat hoc et eiusmodi aliis modis

aeternitatem descripsisse, formulisque: *fuisse ab initio rerum conditarum*, et: *fuisse ab aeterno*, idem declarasse; veluti *Ps. XC*, 2. *Prov. VIII*, 22—29. in quo vltimo loco coniuncti reperiuntur modi loquendi, tanquam idem significantes: πρὸ τοῦ αἰῶνος, et: ἐν ἀρχῇ πρὸ τοῦ τὴν γῆν ποιῆσαι. Vnde et illud patet, τὸ: ἐν ἀρχῇ, esse pro: ἀπ' ἀρχῆς, vt est 1 *Io. I*, 1. NONNVS reddidit: ἄχρονος. Iam Seruatorem, cum ante rerum omnium initia extitisse diceret vir diuinus, manifesto eum ab omni rerum creatarum natura secerni, neque adeo in numero creatarum rerum haberi voluit; quod profecto est maxime notabile. Multo magis vero, quod subiecit in proxime sequentibus.

Nam si quis quaerere voluisset, vbi tandem versatus fuerit Messias promissus, antequam in has terras venisset, et ne quis, facta principii rerum omnium mentione, in eam cogitationem incideret, tanquam et ipse tum initium ceperit, subiecit haec: ἦν πρὸς τὸν Θεόν; *versatus est apud Deum*. Ita enim edoctus erat Ioannes a Domino ipso, eiusque rei cognitionem habuit ex ipsa eius institutione; audiuerat enim ex ore Domini et non vno in loco huius Euangelii narrauit, Iesum professum esse palam et docuisse saepius, se olim fuisse in coelo apud Patrem et de coelo venisse; veluti *Cap. III*, 13. *VI*, 38. 46. 62. *VII*, 29. reliqua. Ac verba quidem: ἦν πρὸς τὸν Θεόν, explicanda esse nonnulli praecipiunt ex formula, de hominibus piis vsurpata, cum dicuntur *apud Deum*, seu, *apud Christum esse*. Quod si concedere volueris, tenendum est, hac formula non tantum denotari, eos esse beatissimos, neque adeo vnice exprimi tantum beatitatem futuram in vniuersum, sed significari conditionem vitae alterius in genere, quae non tantum erit in vsu et fructu felicitatis, sed vel maxime in agendo ad voluntatem diuinam. Est potius ad veram vim horum verborum intelligendam atque explicandam in consilium vocanda interpretatio Domini

ipsius. Ea vero extat *Cap. XVII, 5.* vbi precatus esse legitur hoc modo: *redde mihi gloriam eam, quam habui apud te ante mundum conditum.* Igitur ὁ λόγος *fuit apud Deum* sic, vt haberet δόξαν apud Deum, et quidem ante mundum conditum. Iam vero haec δόξα erat in vniuerso ambitu maiestatis diuinae, quoad communionem non tantum beatitatis, sed etiam atque in primis attributorum, consiliorum et operum diuinorum. Hinc euidenter patet, verbis illis: ἦν πρὸς τὸν θεὸν, Ioannem exprimere voluisse et communionem naturae diuinae, quam et verbis proxime sequentibus in specie indicauit, et vero etiam atque in primis sortis ac conditionis, nominatimque ἐνεργείας et consiliorum diuinorum participationem; vtque adeo τὸ *esse apud Deum,* in hoc quidem contextu idem sit, quod: *participem esse gloriae maiestatisque diuinae, itemque actionum et consiliorum diuinorum.* Ita enim diserte explicatum legitur *tertio versiculo,* opponiturque formulae, *versiculo decimo* adhibitae: *esse in mundo,* id est, in his terris versari et agere, atque *Cap. III,* 13. itemque 1. *Io. I,* 1. commutatur cum formula, idem significante: *esse in coelo;* quae, si de Deo adhibetur, quod fit saepissime in V. T. veluti *Ps. CXV,* 3. gloriam diuinam exprimit, vimque omnipotentem, quae procreauit omnia, atque omnia conseruat et regit in toto hoc vniuerso. Haec igitur Seruatori Ioannes tribuit, quando eum apud Patrem fuisse pronunciauit, eumque vnum fuisse docuit eadem maiestate et gloria cum Patre, eademque vi et potentia in rebus externis procreandis ac perficiendis; et tribuit quidem sic, vt τὸν λόγον non pro virtute aliqua diuina, sed substantia haberi, at vero etiam discerni vellet a Deo, apud quem versatus esset, non re quidem et natura, quod ex proxime sequentibus patet, sensu tamen et cogitatione.

Nam ne miraretur aliquis, quod dixerat, Seruatorem olim versatum fuisse apud Deum, nec in partem

deteriorem interpretaretur, eius rei causam subiecit maxime notabilem, nimirum hanc: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *nam et ipse Deus est.* In quibus verbis manifestum est, primum subiecti locum habere vocabulum: λόγος, praedicati autem vocem: θεός· verba igitur, quod est alterum, inuerso ordine posita esse, quam enuntiationem inuersam dicere solent Grammatici, seu synchysin in propositione, scribendumque adeo fuisse hoc modo: καὶ ὁ λόγος ἦν θεός· plane vt in illo: πνεῦμα ὁ Θεός· *Cap. IV*, 24. de quo, qui voluerit, conferat GLASSIVM, *Phil. S. p.* 665. *edit.* DATHII; deinde τὸ ἦν habere h. l. significationem temporis praesentis; est enim haec consuetudo permutandi tempora scriptoribus sacris N. T. omnibus frequentissima, sed nulli magis, quam Ioanni; denique articulum indicare subiectum et sustinere vim pronominis οὗτος, seu αὐτὸς, quod itidem valde frequens est apud profanos quoque scriptores; de quo videri potest ZEVNIVS *ad Viger. p.* 10. *edit.* HERMANNI. Praeterea vero et illud est in promtu, eandem notionem subesse vocabulo θεοῦ in hac enunciatione, quam in proxime antecedente et sequente, atque adeo Seruatorem eodem sensu et dici et esse θεὸν, ac θεὸς is dicitur, apud quem fuit, eique diuinitatem et tribui hoc loco et tribuendam esse, non aliam et diuersam ab ea, quae summi Dei est, sed plane eandem. Sunt quidem, qui dicant, ante vocem: θεὸς, omissum esse articulum, et discrimen esse inter θεὸν absque articulo, et τὸν θεὸν, inprimisque vsu receptum fuisse apud Iudaeos Alexandrinos et PHILONEM, summum Deum appellare τὸν θεὸν, τὸν λόγον autem θεὸν simpliciter, atque hoc sensu vsurpasse Ioannem vocabulum θεὸς hoc loco, non vt denotare vellet summum et verum Deum, sed tantum naturam quandam coelestem, Deo proximam et similem, quae dici posset: θεὸς, ein Gott, non vero: ὁ θεὸς, Gott, adeoque τὸν λόγον alio sensu Deum dici et esse, atque eum, apud quem fac-

rit. Verum haec repugnant primum consuetudini loquendi linguae graecae, ex cuius legibus articulus hoc loco non modo omitti poterat, vt factum esse constat saepissime a scriptoribus et sacris et profanis, iisque elegantissimis, in primis ante nomina: ἀνὴρ, θεὸς, θεοὶ βασιλεὺς, reliqua, sed omitti quoque debebat, quoniam, si adesset et Ioannes scripsisset hoc modo: καὶ ὁ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, sensus esset hic: *idem Deus verbum erat;* siue: *idem Deus, apud quem versatus est λόγος, fuit quoque λόγος.* Quae vel nullum sensum haberent, vel absonum et a mente Ioannis alienissimum. Vicissim vero vocabulo λόγος articulum addere necesse erat, quippe qui in oratione alias ambigua ostendit, subiectum esse: λόγος· plane vt in illo: πνεῦμα ὁ Θεός. De quibus si quis dubitauerit, consulat grammaticam graecam quamcunque, nominatim WELLERI *p.* 97. et FISCHERI *Animaduers. ad Welleri gram. p.* 110. vel nuperrimam PHIL. BVTTMANNI *p.* 445. *edit.* 5. Repugnant deinde quoque orationi contextae, mentique atque consilio Ioannis. Neque enim alio sensu λόγον appellare potuit Θεὸν, quam quo in verbis proxime antecedentibus Deum appellauit, et in sequentibus τὸν λόγον descripsit. Vt vero in antecedentibus Patri hoc nomen tribuit, quo discernitur a rebus creatis omnibus, ita etiam τῷ λόγῳ. In sequentibus autem eum descripsit sic, vt doceret, eum esse creatorem huius vniuersi, fontem vitae, auctorem felicitatis humanae, Filium Dei vnigenitum, in primis autem commemorandis per totum hoc Euangelium effatis Domini disertis, manifestum redderet, qualem se ipse professus fuerit, et qualis ac quantus esset, qui nempe habeat, quae Deus habet, faciat, quae facit Deus, cui competant, quae Deo competunt. Quare fieri nullo modo potuit, ut Ioannes nomen Θεὸς de Domino nostro vsurparet significatu eo, quo eum vsurpasse statuunt interpretum nonnulli, vt potius eum appellaret Θεὸν pari modo, quo Deus sum-

mus appellatur, atque adeo verborum eius: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, sensus non esset, nec esse posset alius, nisi hic: *nam et ipse Deus est.* Quo quidem illustrius aliquid ad intelligendam diuinam Iesu Domini maiestatem dici nihil potest, in primis in hoc tali loco, tam perspicuo, nec vlla varietate lectionis suspecto, in quo consentiunt omnes Codices, Versiones omnes, Patres omnes, atque adeo interpretes, alieni a fide christiana. Nam CRELLII temeritas *), legi cupientis: θεοῦ, *Dei erat verbum,* satis castigata est a viris doctis, nominatim a WESSELINGIO et BENGELIO, *in Appar. Crit. et Gnom. ad h. l.* atque adeo etiam WETSTENIO. Arianorum autem peruersitas, de qua olim iam questi sunt doctores veteris ecclesiae, ne commemoratione quidem digna esse videtur, nedum refutatione; adeo enim manifestum est, verba: καὶ ὁ θεὸς ἦν, ad Patrem relata, in hoc tali loco sensum non habere **).

Sed quae dixit Euangelista versu primo: καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, repetiit *secundo versiculo* his verbis: οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν· idque fecisse videtur non tantum ex pleonastica loquendi consuetudine Hebraeorum, verum propter hanc causam, quoniam volebat

*) In libro famoso, quem sub nomine Artemonii edidit: *Initium Euangelii Ioannis ex antiquitate ecclesiastica restitutum.*

**) Statuebant nimirum, post verba: καὶ θεὸς ἦν, ponendam esse distinctionem maiorem, et vocem: ὁ λόγος, sequentibus iungendam, atque interpungendum legendumque esse hoc modo: ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, καὶ θεὸς ἦν. Ὁ λόγος οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. At sane posses hanc interpunctionem admittere salua veritate; tum et tum omnia referenda essent ad λόγον, nec sensum alium habere possent, quam hunc: λόγος est Deus. Sed peruersitas illorum hominum in eo erat, quod verba: καὶ θεὸς ἦν, ad Deum Patrem traherent; id vero fieri nullo modo posse, facile quisque videt.

rit. Verum haec repugnant primum consuetudini loquendi linguae graecae, ex cuius legibus articulus hoc loco non modo omitti poterat, vt factum esse constat saepissime a scriptoribus et sacris et profanis, iisque elegantissimis, in primis ante nomina: ἀνὴρ, θεὸς, θεοὶ, βασιλεὺς, reliqua, sed omitti quoque debebat, quoniam, si adesset et Ioannes scripsisset hoc modo: *καὶ ὁ Θεὸς ἦν ὁ λόγος*, sensus esset hic: *idem Deus verbum erat*; siue: *idem Deus, apud quem versatus est λόγος, fuit quoque λόγος*. Quae vel nullum sensum haberent, vel absonum et a mente Ioannis alienissimum. Vicissim vero vocabulo *λόγος* articulum addere necesse erat, quippe qui in oratione alias ambigua ostendit, subiectum esse: *λόγος*· plane vt in illo: *πνεῦμα ὁ Θεός*. De quibus si quis dubitauerit, consulat grammaticam graecam quamcunque, nominatim WELLERI *p.* 97. et FISCHERI *Animaduers. ad Welleri gram. p.* 110. vel nuperrimam PHIL. BVTTMANNI *p.* 445. *edit.* 5. Repugnant deinde quoque orationi contextae, mentique atque consilio Ioannis. Neque enim alio sensu *λόγον* appellare potuit *Θεὸν*, quam quo in verbis proxime antecedentibus Deum appellauit, et in sequentibus *τὸν λόγον* descripsit. Vt vero in antecedentibus Patri hoc nomen tribuit, quo discernitur a rebus creatis omnibus, ita etiam *τῷ λόγῳ*. In sequentibus autem eum descripsit sic, vt doceret, eum esse creatorem huius vniuersi, fontem vitae, auctorem felicitatis humanae, Filium Dei vnigenitum, in primis autem commemorandis per totum hoc Euangelium effatis Domini disertis, manifestum redderet, qualem se ipse professus fuerit, et qualis ac quantus esset, qui nempe habeat, quae Deus habet, faciat, quae facit Deus, cui competant, quae Deo competunt. Quare fieri nullo modo potuit, ut Ioannes nomen *Θεὸς* de Domino nostro vsurparet significatu eo, quo eum vsurpasse statuunt interpretum nonnulli, vel potius eum appellaret *Θεὸν* pari modo, quo Deus sum-

mus appellatur, vtque adeo verborum eius: *καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος*, sensus non esset, nec esse posset alius, nisi hic: *nam et ipse Deus est.* Quo quidem illustrius aliquid ad intelligendam diuinam Iesu Domini maiestatem dici nihil potest, in primis in hoc tali loco, tam perspicuo, nec vlla varietate lectionis suspecto, in quo consentiunt omnes Codices, Versiones omnes, Patres omnes, atque adeo interpretes, alieni a fide christiana. Nam CRELLII temeritas *), legi cupientis: *Θεοῦ, Dei erat verbum*, satis castigata est a viris doctis, nominatim a WESSELINGIO et BENGELIO, in *Appar. Crit. et Gnom. ad h. l.* atque adeo etiam WETSTENIO. Arianorum autem peruersitas, de qua olim iam questi sunt doctores veteris ecclesiae, ne commemoratione quidem digna esse videtur, nedum refutatione; adeo enim manifestum est, verba: *καὶ ὁ Θεὸς ἦν*, ad Patrem relata, in hoc tali loco sensum non habere **).

Sed quae dixit Euangelista versu primo: *καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν*, repetiit *secundo versiculo* his verbis: *οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν*. idque fecisse videtur non tantum ex pleonastica loquendi consuetudine Hebraeorum, verum propter hanc causam, quoniam volebat

---

*) In libro famoso, quem sub nomine Artemonii edidit: *Initium Euangelii Ioannis ex antiquitate ecclesiastica restitutum.*

**) Statuebant nimirum, post verba: *καὶ Θεὸς ἦν*, ponendam esse distinctionem maiorem, et vocem: *ὁ λόγος*, sequentibus iungendam, atque interpungendum legendumque esse hoc modo: *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν. Ὁ λόγος οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν.* Ac sane posses hanc interpunctionem admittere salua veritate; nam et tum omnia referenda essent ad *λόγον*, nec sensum alium habere possent, quam hunc: *λόγος* est Deus. Sed peruersitas illorum hominum in eo erat, quod verba: *καὶ Θεὸς ἦν*, ad Deum Patrem traherent; id vero fieri nullo modo posse, facile quisque videt.

explicare vberius; quid sit τὸ *esse apud Deum*; et quomodo Dominus olim maiestatem suam, vimque et potentiam diuinam, quam habuerit apud Patrem, vsurpauerit ac demonstrauerit, nouoque argumento diuinam eius dignitatem declarare.

Docet enim *versiculo tertio*, hunc ipsum λόγον fuisse, qui in principio rerum crearet omnia atque ab eo inde tempore creata conseruaret; in quo est argumentum diuinitatis Iesu, nulli dubitationi obnoxium, et haud scio, an grauissimum et euidentissimum; quo Deus et ipse vsus est saepe per Prophetas. Etenim cum ostendere vellet, quisnam esset et immane quantum numen diuinum ab idolo differret, atque adeo docere argumento euidentissimo, se esse vnice verum Deum, tum se eum esse aiebat, qui creasset omnia et conseruaret ac regeret; vt iam notauit CHRYSOSTOMVS, *in Io. p.* 30. *sqq.* Enimuero in hoc nostro loco τῷ λόγῳ adscribitur creatio et gubernatio huius vniuersi. Nam haec non metaphorice, sed proprie dixisse virum diuinum, atque adeo per τὰ πάντα non res humanas quoad mores et vitam, sed vniuersam hanc rerum naturam intellexisse, vix dubitari potest, vel propter *versiculum decimum*, in quo τὰ πάντα explicauit per vocabulum κόσμου, quod ibi euidenter denotat hoc vniuersum; nec mirum videri debet cuiquam, cum et reliquos Apostolos constet creationem mundi Filio Dei constanter et perspicue tribuisse, in primis Paulum. *Hebr. I*, 2. *coll. XI*, 3. Verbum γενέσθαι autem de creatione accipiendum esse, vsus loquendi non tantum permittit, verum etiam postulat, ex quo idem est, ac κτίζεσθαι. Cf. *Ps. CXLVIII*, 5. *XXXIII*, 6. Quod vero obiecerunt olim quidam, indicari tantum causam intermediam et non nisi ὄργανον creationis, quoniam facta dicantur esse διὰ λόγου, id non facile offendet virum eruditum, cum extra dubitationem positum sit, praepositionem διὰ vsurpari alias quoque de causa principe, atque adeo de

Patre ipso; in quam rem loca 1. *Cor.* I, 9. *Gal.* I, 1. et alia sunt in promtu. Et quaeri posset, quid sit, mundum creatum esse per Filium, tanquam instrumentum Patris, nisi denotet hoc, Patrem consilio peculiari et sapientissimo demandasse Filio opus hoc, vt crearet mundum; quo sensu vsi sunt formula illa innoxie doctores quidam ecclesiae latinae, veluti TERTVLLIANVS. Vltimis versiculi verbis: *καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν*, ex more Hebraeorum idem declarari putant interpretes plerique omnes; nobis tamen dici videtur aliquid amplius. Scilicet vt prioribus verbis creatio huius vniuersi τῷ λόγῳ vindicatur; sic in his eiusdem conseruatio et gubernatio ei tribuitur, hoc fere sensu: *per eum olim et hoc vniuersum creatum est, et quaecunque facta sunt et acciderunt, per eum facta sunt et acciderunt*; siue: *vt creauit omnia, ita et omnia gubernauit.* Atque id in hoc loco est: *esse apud Deum*, nempe: *versari apud Deum sic, vt aeque ac Deus agas et opereris ad salutem rerum creatarum.*

Cuius rei *quarto versiculo* causam subiecit hanc, eum pollere vi omnipotente, vitam et salutem tribuendi omnibus, his quidem verbis: *ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων.* Etenim his verbis rationem reddi superiorum, ne quis miraretur, ei opus tam admirandum tribui, et facile quisque videt, et iam CHRYSOSTOMVS *ad h. l.* docuit. Sed haerent interpretes, quomodo vocabula ζωῆς et φωτὸς differant et quomodo sint intelligenda; plerisque tamen existimantibus, priori salutis humanae auctorem exprimi, altero autem salutis doctorem et praeconem; de quo nobis quidem videtur paulo aliter.

Scilicet vocabulum ζωὴ, quemadmodum hebraicum חַיִּים, quando vsurpatum legitur de Deo ad exprimendum attributum aliquod diuinum, vt in hoc nostro loco, euidenter denotat vim facultatemque, vitam et habendi et tribuendi, principium vitae, vim viuificam, vim

creatricem. Quare dicitur *Θεὸς ζῶν*, אֵל חַי, quatenus perpetuo viuit et vitam confert, in oppositione ad idola, vita et viribus destituta. 1. *Sam. XVII*, 26. 36. *Ps. XLII*, 3. *LXXXIV*, 3. 1. *Thess. I*, 9. 1. *Tim. VI*, 17. in quo vltimo loco adiecta legitur interpretatio haec: *qui large nobis suppeditat omnia, quibus opus est ad vitam laetam.* Propter eandem causam appellatur *fons vitae*, *Ps. XXXVI*, 10. et *Deus vitae*, *Ps. XLII*, 9. diciturque ζωοποιεῖν, *Deut. XXXII*, 39. 1. *Tim. VI*, 13. nos vero dicimur ζῆν ἐν Θεῷ, quatenus vitam habemus agimusque beneficio diuino. Atque hanc significationem vocabulo ζωῆς tribuendam quoque esse in hoc nostro loco, primum postulat contextus; nam in proxime antecedentibus locutus erat Ioannes de creatione; iam quae sequuntur: ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, subiecit hac de causa, vt intelligeretur, quare opus tam admirandum Filio Dei tribueret et tribuere posset, nimirum, quoniam polleret vi, conferendi vitam, quae non sunt; deinde euidenter docet locus parallelus, *Io. V*, 26. qui omnino conferendus est ad intelligendam vim potestatemque vocabuli ζωῆς. Neque enim alio sensu Ioannes tribuere poterat Filio Dei ζωὴν, quam quo sibi ipse eandem vindicauit. Iam vero ibi se habere, ait, ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, quod non potest non intelligi de vi ac potestate vitae habendae et tribuendae aliis. Hoc enim primum postulant quae antecedunt et sequuntur. Nam in antecedentibus sibi tribuit potestatem, vitam dandi mortuis, eosque in vitam reuocandi, in sequentibus vero potestatem iudicandi, praemia et poenas decernendi, quorum vtrumque requirit vim omnipotentem. Deinde vero etiam hoc extra dubitationem ponit exemplum Patris, ad quod Dominus prouocauit. *Vt enim Pater*, inquit, *habet vitam in se, ita quoque Filio dedit, vitam habere in se.* Enimuero ζωὴ quando Patri tribuitur, manifeste denotat vim vitificam; nam vitam simpliciter denotare non potest propterea, quoniam non

quaeritur, num Deus viuat, sed an vitam det; formula autem: *habet vitam in se*, non potest non significare: habet vim potestatemque, vitam tribuendi aliis, hoc sensu: Deus non est, quales homines sunt, qui vivunt a Deo et per Deum, ille vitam habet a se et per se et omnibus vitam dat, et quicunque vitam habent, habent ab ipso. Pari modo, vt Pater, vitam habet Filius; habet eam in se, vt Pater, et largiri eam potest aliis, vt Pater. Ex quibus omnibus manifestum est, vocabulum ζωῆς in hoc nostro loco exprimere id, quod diximus, et verba: ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, pertinere ad res creatas omnes, siue ad totum hoc vniuersum, sed quae sequuntur: καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, ad genus humanum, hoc sensu: *pollet is vi viuifica, hac vero vsus est in primis ad felicitatem humanam.*

Etenim τὸ φῶς potest quidem significare *doctorem salutis*, ac profecto et hunc in hoc nostro loco significat, sed simul tamen etiam exprimit aliquid amplius, nempe *salutis auctorem et datorem.* Hoc enim non tantum permittit vsus loquendi, verum etiam postulat atque adeo exigit series orationis et consilium Apostoli ac totius huius Euangelii summa.

Ac primum quidem de vsu loquendi non potest esse dubitatio. Constat enim, in omnibus linguis, non modo hebraica et graeca V. et N. T. verum etiam apud scriptores profanos, vocabulum *lucis* dici de *felicitate et felicitatis auctore.* Et hebraicum quidem אוֹר in V. T. vsurpatum legi hoc sensu sexcentis in locis, in promtu est. Nec minus patet, graecum φῶς dici eodem modo in N. T. Ita enim appellatur Deus ipse, 1. *Io. I*, 5. quod profecto non tantum de scientia, sed de eius summa et absolutissima perfectione et maiestate intelligendum est. Idem dicitur πατὴρ τῶν φώτων, *Iac. I*, 17. hoc est, *dator bonorum omnium, omnis felicitatis fons et auctor*; ita enim diserte explicatur in verbis proxime antecedentibus: πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον

ἄνωθέν ἐστι, bona optima et praestantissima quaeque dantur coelitus. Paulum Apostolum Dominus vocauit τὸ φῶς ἐθνῶν, *Act. XIII*, 47. non tantum, quatenus futurus erat doctor Gentilium, sed quatenus Gentilibus consulere debebat, eorumque salutem promouere, vel vti σωτὴρ ἐθνῶν: sequitur enim explicatio haec: τοῦ εἶναί σε εἰς σωτηρίαν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. Neque alio sensu Apostolos omnes appellauit τὸ φῶς τοῦ κόσμου, *Matth. V*, 14. nisi quatenus humano generi erant et esse debebant salutiferi, beneficiis multis et magnis afficientes humanum genus. Plane eodem modo eodemque sensu vsurparunt hoc vocabulum scriptores profani. Etenim apud Graecos τὸ φῶς dicebatur is, qui ingens emolumentum, salutemque insignem praestitit genti suae; apud Latinos autem, veluti *Ciceronem, lumina reipublicae* appellabantur non modo, qui inter ceteros eminebant doctrina et sapientia, verum etiam, qui rem publicam liberarunt a miseriis, nomenque suum illustrarunt legibus, institutis, factis salutaribus. Conf. LAMBERTI BOSII *Exercitatt. p. 35. sqq.* Ex hoc igitur vsu loquendi, scriptoribus omnis generis frequentissimo, τὸ φῶς, quando de Christo dicitur, significare omnino potest salutis auctorem, ita tamen, vt notio doctoris et doctrinae non excludatur quidem, sed potius comprehendatur, modo non vnice expressa putetur, intelligatur autem hactenus, quatenus Dominus per doctrinam quoque eripuit humanum genus e pernicie et ad salutem adduxit, notio autem in genere sit salutis et felicitatis.

Verum id non tantum significare potest, sed etiam debet; quod series orationis et historia postulat atque exigit. Scilicet in explicandis locis eiusmodi, cuiusmodi hic est, ante omnia quidem consulendus est vsus loquendi, sed contextus quoque in subsidium vocari debet. Etenim vsus loquendi etsi in omni interpretatione locum primarium obtinet atque quaerendus est

ante omnia; sic, vt interpretatio nulla vera et certa sit et esse possit, quae cum eo non conueniat; tamen in locis omnibus, in primisque allegoricis, non sufficit, propterea, quoniam vnum idemque vocabulum ex dicendi consuetudine significationes habere potest plures, et in locis allegoricis in specie multis modis tropice dici explicarique potest, velut in hoc ipso vocabulo φωτὸς, cui subiectam esse constat notionem et scientiae et sanctitatis et felicitatis. Igitur accedere debet oratio contexta et historia. Iam si inspexerimus loca omnia, in quibus Dominus noster appellatur φῶς, videbimus facile, in orationis serie esse profecto, quae nos cogant, nomen illud non tantum de doctore salutis, verum de eiusdem auctore intelligere et explicare.

Etenim iam in V. T. Messiam constat promissum fuisse sub nomine τοῦ φωτ. *Ies. LX*, 1. Fuerunt quidem interpretes, qui hunc locum referri vellent ad tempora rei publicae Iudaicae post reditum ex captiuitate Babylonica, et promitti in eo putarent instaurationem rei publicae Iudaicae collapsae, templi, cultus publici et salutis externae. Verum adeo illustris et splendida illius rei publicae conditio nunquam fuit, vt hic descripta esse legitur. Atque in locis propheticis etsi non omnia ad viuum resecanda sint, sed dandum aliquid videatur esse excitatiori ingenio vatis, qui rem verbis auget et exaggerat; in hoc tamen sine veritatis detrimento de temporibus post reditum ex capituitate Babylonica non potuisset ista praedicare Iesaias. Igitur referendus est haud dubie ad tempora Messiae. Etenim in toto Capite describitur felicitas, qualis nunquam fuit inter populum Iudaicum post exilium Babylonicum, talis nempe, quae originem habitura sit inter Iudaeos, ad cuius tamen communionem venturi sint reges et principes aliarum nationum, nationes omnes, populi omnes ex omnibus regionibus terrae. Deinde in antecedentibus, *Cap. LIX*, 20. venturus esse dicitur seruator et vindex po-

puli, auertens eius peruersitatem; quem locum Paulus diserte interpretatus est de Christo, *Rom. XI*, 26. excitauitque eo consilio, vt ostenderet, tempus instare, quo Iudaeorum multi amplexuri essent salutem, hactenus ab iis repudiatam. Denique in sequentibus rursus continetur vaticinium, *Cap. LXI*, *sqq.* quod Dominus ipse explicauit de se. *Luc. IV*, 18. *sqq.* Igitur sermo est haud dubie de Christo. Hic autem in toto hoc loco describitur tanquam auctor felicitatis summae. Eodem nomine insignitus est *Cap. IX*, 1. coll. *Matth. IV*, 16. sed ibi, quemadmodum *Cap. XI*, 1. *sqq.* describitur tanquam princeps pacis et conditor aurei saeculi. Atque *Cap. XLIX*, 6. coniuncta leguntur vocabula אור et ישועה, tanquam idem declarantia. Accedit, significationem felicitatis in voce אור fere dominari apud Iesaiam. Conf. *Cap. XLV*, 7. vbi sibi opponuntur *lux* et *tenebrae*, his vero substituuntur vocabula synonymica *pacis* et *mali*. *Cap. XLVIII*, 18. *LIX*, 9. reliqua. In vniuersum autem si historiam consulimus, Messiam in V. T. promissum esse constat non tanquam doctorem insignem, quam potius in genere vt seruatorem. Ex quibus omnibus efficitur, in voce τοῦ אור, de Christo vsurpata, cogitandum esse salutis humanae auctorem.

In N. T. autem primum sic appellatus esse legitur a Simeone, *Luc. II*, 32. et quidem φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, *salus*, *salutis auctor*, *Gentilibus quoque reuelandus*, τὸ σωτήριον, vt vocatur *vers.* 30. Deinde Dominus ipse apud Ioannem ter se appellauit hoc modo, nimirum *Cap. VIII*, 12. *IX*, 5. et *XII*, 46. Sed prioris loci sensus haud dubie est hic: *felicitatis auctor ego sum*; sine: *Seruator*, *Messias sum*, tanquam dixisset: ἐγώ εἰμι ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου· *me qui sectatus fuerit*, *miseriis ereptus*, *beatissimus erit*. Cohaeret enim pulcherrimus hic locus arctissime, in primis si narratio de adultera *Cap. VIII*, 1—11. genuina non esset, vt videtur doctissimis viris, cum oratione, superiori Capite

commemorata, in primisque cum *vers.* 57. 58. *et* 59: vbi Dominus de se, tanquam felicitatis auctore locutus erat, sic, vt nonnulli adeo eum Messiam profiteri non dubitarent. In loco altero, in quo vsus est verbis his, *quamdiu ero in terris, lux mundi ero*, mens Domini fuit haud dubie haec: *quamdiu in his terris versari mihi licet, saluti hominum prodesse cupio*; nam de luce doctrinae hic propterea sermo esse non potest, quoniam Dominus tum, cum haec verba faceret, non erat in eo, vt doceret, sed opus salutare perficeret in homine coeco. In vltimo loco autem adhortabatur audientes ad fidem; quod profecto intelligi volebat non de doctore, sed auctore salutis; nam talem ibi se descripsit. Denique Ioannes eum hoc tali modo appellauit in hoc nostro loco. Sed quo sensu Dominus se ipse dixit lumen mundi, eodem quoque eum appellasse putandus est Ioannes. Cuius rei indicia quoque sunt haec. Primum vocabulo φωτὸς iunxit vocabulum ζωῆς· hoc enim causam exprimit, illud effectum; hoc vim creatricem indicat et facultatem, felices reddendi, illud felicitatem ipsam. Deinde *vers.* 8. de Ioanne Baptista dixit: οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς. Atqui Ioannes Baptista erat doctor, neque tamen erat, aut dici poterat τὸ φῶς· hoc igitur maius est et longe illustrius. Denique in toto hoc Euangelio Ioannes descripsit Dominum non tanquam doctorem, nec vt talem describere voluit, sed tanquam auctorem totius salutis vniuersi generis humani. Quare consilium quoque Ioannis et summa totius libri exigunt significatum huius vocabuli eum, quem ipsi tribuimus.

Sed Dominus non eodem modo eodemque sensu est, dicique potest *salutis auctor*. Is enim *fuit* olim *morte* sua, per quam liberationem a morte et pernicie omni, vicissim vero vitam et salutem acquisiuit; *fuit* porro, *estque etiamnum et erit in perpetuum*, *vi et omnipotentia sua*, per quam e morte et pernicie eripit, et vitam ac felicitatem impertit; denique *fuit*, *est*

et *erit etiam doctrina sua*, per quam et ipsam liberat non modo a grauissimis malis ignorantiae, incredulitatis, vitiorum et miseriae, neque tantum salutem eiusque tenendae rationem manifestat, verum etiam ad cognitionem ipsam, fidem, sanctitatem felicitatemque adducit. Atque hoc vltimo sensu in primis dicitur *τὸ φῶς τοῦ κόσμου*, quatenus nempe homines ex rerum omnium ignorantia, incredulitate, vitiis, atque adeo, quae cum his necessario coniuncta est, pernicie summa vindicauit, adduxit autem ad veram, certam, claram, qualis in hac vita esse potest, saltem certiorem, clariorem, iucundiorem etiam, rerum diuinarum humanarumque, in primis Dei, Messiae, naturae humanae et vitae futurae scientiam, fidem, sanctitatem, atque adeo, quae cum his arctissime est copulata, huius et futurae vitae felicitatem, quam antea habuerunt, nec vnquam sine eo habituri fuissent. Id vero *effecit* primum quidem *doctrina sua*, quae habet vim diuinam, non modo instituendi, sed emendandi quoque et immutandi animos et consolandi atque ita beandi. Effecit vero etiam *vita, in his terris acta, et morte ipsa;* nam illustriori modo, quam hoc, nec Deus eiusque natura amabilis, et amor vere paternus erga homines, nec Seruator, eiusque opus summum ac saluberrimum, nec hominum dignitas, nec vitae futurae certitudo, vnquam innotuit. Effecit porro *exemplo cum sanctitatis*, quo doctrinam suam et clariorem reddidit et efficaciorem, *tum etiam fatorum*, in quibus est imago nostrorum. *Rom. VIII*, 17. 29. 2. *Tim. II*, 11. Effecit denique *institutis*, mittendo sancto Spiritu in mentes Apostolorum, instituendo baptismate et sacramento sacrae coenae, ministerio ecclesiastico, cultu publico, reliquisque exercitationibus fidei et pietatis, quae sunt adiumenta efficacissima exstirpandae in his terris ignorantiae, incredulitatis, impietatis, et miseriae, vicissim vero scientiae, fidei, virtutis atque adeo etiam felicitatis verissimae inter homi-

nes proferendae, propagandae, stabiliendae. Adeo late patet significatio τοῦ φωτὸς τοῦ κόσμου, sic, vt primaria notio sit felicitatis, ad quam adduxit quidem doctrina sua, verum etiam multis aliis modis!

Itaque vocabula ζωῆς et φωτὸς differre putamus, et quidem sic, vt illud causam indicet, hoc effectum, illud vim, salutem conferendi, exprimat, hoc salutem ipsam, illud ad res creatas omnes pertineat, hoc in primis ad homines; vtque adeo sensus loci sit hic: *in eo est* *) *vis viuifica, seu, pollet vi, vitam et salutem tribuendi rebus omnibus, eaque vi vtitur in primis ad salutem hominum.* Pari modo τὸ σκότος, oppositum vocabulo φωτὸς, exprimere constat non tantum inscitiam et improbitatem, verum etiam infelicitatem et perniciem, inde ortam. Hinc in promtu est, per τὴν σκοτίαν *versiculo quinto* intelligendos esse homines miseros, quippe alienos a vera cognitione, fide, sanctitate et felicitate, quin potius turpiter immersos mentis ignorantiae, idololatriae, incredulitatis, vitiorumque sordibus, et sensum verborum: καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, esse hunc: *atque haec salus tradita est hominibus miseris et annunciata,* vt nempe agnoscerent Deum et quem misit, Iesum Christum, salutis auctorem et datorem, vtque per eum felicitatis participes fierent. *Verum hanc salutem non capiebant miseri illi,* ne intelligebant quidem, multo minus suscipiebant, immo vero repudiabant. Quae primum quidem et praecipue de Iudaeis dicta esse videntur; sed possunt tamen etiam referri ad Gentiles, omninoque ad vniuersam corruptionem humanam illorum temporum, vt visum est ERASMO, BENGELIO et SEMLERO. Ceterum inde quoque intelligere facile quisque potest, non opus esse statuere,

---

*) Etenim τὸ ἐν rursus positum est loco τοῦ ἐστὶ, vt habet quoque *Cod. Cantabr.* habueruntque Codices quidam tempore ORIGENIS, haud dubie tamen e glossemate.

vocabula ζωῆς et φωτὸς vsurpata hoc loco esse ab Euangelista propter *Gnosticos* et *Cerinthianos*, siue etiam, vt recentissimis quibusdam interpretibus placuit, propter *sectatores Ioannis Baptistae*, in quorum disciplina vsu recepta fuerint. Sunt enim sine dubitatione, si quid videmus, ex vsu loquendi hebraico, praecipue autem ex disciplina Domini repetita, in qua, vel ex hoc ipso Euangelio constat, vsitatissima fuisse et veluti classica.

Iam igitur duobus modis in hoc loco D. Ioannes ostendit diuinam promissi Seruatoris maiestatem; primum enim vim creatricem ei tribuit, quae est solius Dei, verbis quidem his: *ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν·* deinde vero atque in primis homines beandi vim potestatemque ei asserit, eumque vitae ac felicitatis humanae auctorem vnicum profitetur, et quidem ob causam duplicem, partim quoniam homines creauit, partim vero etiam atque in specie, quoniam eosdem ex pernicie summa et morte ipsa vindicauit veluti in vitam alteram, spiritualem illam et beatam in hoc saeculo, quae oritur ex vera cognitione, fide sanctitateque animi atque vitae, beatissimam vero et aeternam in altero, his verbis: *καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων.*

Sed ne quis dubius esset, quemnam intelligeret, nec fortasse existimaret, de Ioanne Baptista tam illustria dici, subiecit, quae sequuntur *versiculo sexto et sequentibus. Erat scilicet is*, inquit, *cui Deus Ioannem praemisit, qui eum commendaret et ad fidem omnes adduceret. Neque enim hic Seruator erat, sed praeco et nuncius Seruatoris. Verus Seruator, beans humanum genus vniuersum, venit* aliquanto post. *Venit in hunc ipsum mundum, quem creauerat; neque tamen ab hominibus agnoscebatur. Venit ad suos; sed ne ab his quidem suscipiebatur.* Neque enim mirabitur aliquis, Ioannis Baptistae hoc loco mentionem fieri, nec inde colliget, extitisse tum singularem sectam

Ioanneam, quoniam non hic, sed alius Messias fuisse dicitur. Nam Ioannis auctoritas, quod vel ex narratione proxime sequente versiculo decimo nono euidenter patet, tanta erat non modo apud discipulos, verum etiam apud populum vniuersum, atque adeo ipsum Senatum summum, vt iis vel Elias esse videretur, vel antiquiorum prophetarum aliquis, e morte redux, vel Messias ipse. Igitur haec opinio communis fuit populo, non tantum discipulis Ioannis propria. Nec Ioannis Baptistae hoc loco mentionem fecit Euangelista, vt illam opinionem refutaret, quo quidem tum non opus fuisse videtur, sed potius propter hanc caussam, vt explicaret consilium Dei sapientissimum in mittendo Ioanne ad commendandum Messiam.

Etenim missus erat, inquit, *εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός*, hoc est, vt edoceret homines de Messia, eumque laudaret et commendaret populo ac praedicaret; nam verbum *μαρτυρεῖν*, quemadmodum vocabulum *μαρτυρίας*, denotat non tantum *docere*, sed etiam, id, quod doces, argumentis demonstrare, omnique modo confirmare; vt *vers.* 32. *et* 34. *Cap. III*, 26. *V*, 33. *XVI*, 26. *sq. XIV*, 26. *XVIII*, 37. hancque vim habere partim ex hebraismo, partim vero etiam ex elegante graecismo, post RAPHELII, ELSNERI, KREBSII *), KYPKII, aliorumque obseruationes satis notum est. Missus igitur erat ad commendationem Seruatoris. Nam τὸ *φῶς* maioris perspicuitatis caussa reddi posset per concretum, vt loqui solemus in disciplinis, nempe: *auctor salutis*, siue vno verbo: *seruator*. Deinde τὸ *φῶς τὸ ἀληθινὸν* denotat vel *seruatorem verum*, vel *seruatorem ipsum*; et verbum *φωτίζειν*, ex dicendi consuetudine hebraica, hoc loco non tantum

*) *Obss. Flau. ad Luc. IV*, 22. et *Ebert. Rom. pro Iud.* pag. 398. *sqq.* Vbi magnum exemplorum aceruum in hanc rem congessit.

docendi notionem habet, vt idem sit, quod διδάσκειν, verum etiam *beandi*; vnde sensus existit hic: *volebat ac desiderabat et edocere et vero etiam hac ipsa doctrina multisque aliis modis beare*; et quidem: πάντα ἄνθρωπον, quod quidem significare potest vel *homines in vniuersum omnes*, vel *omne genus hominum*, non tantum Iudaeos, verum etiam Gentiles, vt indicetur contra opinionem Iudaicam, Messiam eiusque salutem pertinere ad omnes omnino homines, non ad Iudaeos solos. Quae sequuntur: ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, referri solent ab interpretibus modo ad τὸ φῶς, sic, vt τό: ἦν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, positum sit pro: ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, modo ad proximum: τὸν ἄνθρωπον. Ac priori quidem rationi vsus loquendi fauet, alias quoque apud Ioannem obuius, veluti *Cap. III*, 19. *XII*, 46. reliqua; alteri vero repugnare videtur structura verborum; deest enim ante verbum: ἐρχόμενον, articulus: τὸν, qui adesse deberet, si ad ἄνθρωπον essent referenda; nec fauet consuetudo loquendi Graecorum, apud quos saltem formulae: ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον, eo sensu, vt denotet: *nasci*, exemplum nuspiam reperitur; nisi eius vsum repetere volueris ex dicendi consuetudine magistrorum Iudaicorum, apud quos similem formulam: בא בעולם, non inauditam fuisse, docuerunt interpretes, quos laudauit WOLFIVS, *in Curis ad h. l.*

Igitur adscendit oratio, hoc modo: venit vnicus verissimusque Seruator in mundum: ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον· venit in mundum, ab ipso creatum: ἐν τῷ κόσμῳ ἦν *), καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ

---

*) Posses, si velles, subintelligere: ἐρχόμενον, et praepositionem ἐν accipere pro: εἰς. In sequentibus autem vocabulum: ὁ κόσμος cum copula repetitum est pleonastice, dicendumque fuisset sic: ὃς δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Atque haec plane respondent superioribus: πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, suntque de creatione

ἐγένετο· venit denique non ad quamcunque gentem, sed ad gentem sibi propriam, quam olim suam sibi fecerat, segregaueratque ex vniuerso genere humano legibus institutisque peculiaribus, cui tot prophetarum oraculis erat promissus et tot saeculis desideratus, quae vidit edentem miracula et docentem audivit: *εἰς τὰ ἴδια ἦλθε.* Nam per *τὰ ἴδια* non mundus in vniuersum indicatur, sed ea pars mundi, in qua vixit, seu patria Domini; nec per *τοὺς ἰδίους* intelliguntur homines, ab ipso creati, sed populares, nempe Iudaei; quos horum verborum significatus exemplis probarunt LAMB. BOSIVS et KREBSIVS, *Obs. Flav. ad h. l.* Sed haec ipsa gens, quae promissum exspectabat, votisque ardentissimis desiderabat, ipsi populares eius, eum repudiabant, *οὐ παρέλαβον*, tanquam felicitatis auctorem.

Neque tamen otiosus fuit eius aduentus. Fuerunt enim, qui eum susciperent sincera mente. *Quotquot autem eum susceperant, sic, vt eum fide amplecterentur, iis dedit ius dignitatemque filiorum Dei, non ex stirpe maiorum, et hominum voluntate natorum, sed diuinitus factorum.* Hic tria sunt explicanda. Primum enim quaeritur de significatu formularum: *λαμβάνειν αὐτὸν*, et *πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ.* Ac priorem quidem patet oppositam esse antecedentibus: *οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον,* explicarique in sequentibus per hanc: *πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ.* Verum haec ipsa formula: *πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ*, siue, quod idem

---

mundi intelligenda, quae proprie dicitur; etenim interpretatio eorum, qui haec accipienda esse praecipiunt de creatione morali, seu mutatione animorum in melius, penitus repugnat et seriei orationis et loquendi consuetudini. Vltimo loco autem *τὸν κόσμον* significare homines, in his terris viventes, in promtu est; hi enim non agnouerunt eum, immo repudiarunt: *ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω.*

est, εἰς αὐτὸν, de Domino nostro vsurpata, varie dicitur in libris sacris N. T. Quonam vero sensu sit accipienda, iudicandum est ex vniuscuiusque loci oratione contexta. In vniuersum denotat: Iesum suscipere talem, qualis est, qualisque describitur in loco quoque. Iam vero Ioannes eum descripsit in proxime antecedentibus, *vers.* 9. *et* 10. tanquam auctorem salutis humanae verissimum, qui venisset in hunc mundum, ab ipso creatum, vt bearet omnes omnino homines. Igitur τὸ πιστεύειν εἰς αὐτὸν, denotat: eum suscipere, agnoscere, habere salutis humanae auctorem, et, quod inde sequitur, ab eo, tanquam tali, salutem exspectare, eumque vt talem reuereri et colere.

Atque his demum, qui tali modo eum suscepissent, concessit ius dignitatemque hanc, vt essent filii Dei: ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, quae dicta sunt pro: τούτοις ἔδωκεν ἐξουσίαν, τέκνα Θεοῦ εἶναι. Idque est alterum, quod explicatione eget. Est autem appellatio *filiorum Dei* frequentissima in libris sacris N. T. maxime in sermonibus Domini, *Matth. V*, 9. deinde in disputationibus Pauli, *Rom. VIII*, 14. *Gal. III*, 26. *IV*, 6. 7. et in primis Ioannis, 1. *Ep. III*, 1. 2. *V*, 2. Et caussa quidem huius appellationis repetenda est ex consuetudine loquendi V. T. in quo vsurpata legitur in denominandis Israelitis, tanquam cultoribus veri Dei; veluti *Deut. XIV*, 1. 2. qui locus notabilis est propterea, quia continet huius appellationis interpretationem; nam verba versiculi primi: *filii estis Iouae, Dei vestri*, in altero explicata sunt his: *populus estis, Iouae, Deo vestro, sacer, ex omnibus gentibus orbis terrarum selegit vos, cui essetis populus peculiaris.* Iam *populus, Deo sacer*, est is, qui Deum agnoscit et colit modo ei grato et accepto; ad normam legum atque institutorum, ab ipso praescriptorum. Ergo *filii Dei* sunt cultores Dei, Deo grati acceptique. In N. T. filii Dei sunt iidem cultores Dei,

modo cum hoc discrimine, vt sint cultores Dei eiusmodi, qui Deum adorent ea ratione, quam Christus praescripsit, hoc est, non ritibus externis, sed mente et spiritu, modo liberaliori, vt liberi patrem. In quo est discrimen inter filios Dei in V. et in N. T. haec horum dignitas atque excellentia. Scilicet Iudaei colebant Deum more seruili, vt Paulus locutus est, operibus externis, instar infantum et puerorum, subiectorum disciplinae *παιδαγωγοῦ*, seueri castigatoris et morum rectoris; Deumque magis timebant, quam amabant; Christiani vero colunt Deum animo ingenuo et liberali, sensibus internis et vita sancta, more liberorum, qui peruenerunt ad aetatem adultam. Haec est *υἱοθεσία*, quam Paulus tantopere laudat in Epistolis ad *Rom.* et ad *Gal. ll. cc.* nempe conditio Christianorum, e Iudaeis in primis, qui emancipati iugo seruitutis, venerunt ad veram libertatem, abiectoque animo seruili, mentem liberalem indolemque diuinam induerunt, seque regi patiuntur spiritu filiorum, et Deum colunt atque amant vt patrem amantissimum, sic, vt ab eo nihil timeant, immo vero optima quaeque expectent. Atque haec est *ἐξουσία τέκνα Θεοῦ εἶναι*, nempe ius ac potestas, Deum colendi, adorandi, venerandi, amandi, vt patrem, atque ab eo expetendi et sperandi bona quaeuis, similia paternis, hoc est felicitatis omne genus, sine metu omni, maxima cum fiducia. Sunt igitur *filii Dei* cultores Dei ingenui, qui per disciplinam Iesu, ope sancti Spiritus, habent indolem liberalem, qua Deum cognoscunt, vt patrem, venerantur et amant, vt patrem liberi, fruuntur omni genere bonorum paternorum et expectant bonorum paternorum omne genus, vicissim a Deo agnoscuntur vt filii, amantur vt filii, omni genere bonorum beantur vt filii. Vnde per appellationem filiorum Dei exprimitur partim dignitas Christianorum, habent indolem ingenuam et diuinam; partim vero etiam eo-

rum felicitas in hac et altera vita; nam si sumus filii, possidemus bona paterna, eaque praestantissima, maiora et maxima exspectamus, erimus κληρονόμοι Θεοῦ et συγκληρονόμοι τοῦ Χριστοῦ, hoc est, participes bonorum, quae Deus filiis suis destinauit, bonorum similium, quibus fruitur Iesus, Dominus. Verum filii eiusmodi non nascuntur, sed fiunt; quod innuere voluit Ioannes vers. 13. et quidem contra vanam opinionem Iudaeorum, qua per natales, aut propter circumcisionem, rituumque Mosaicorum obseruationem se putabant esse atque adeo iactabant filios Dei. Filii Dei, inquit, non nascuntur ἐξ αἱμάτων, ex stirpe Abrahami, Isaaci et Iacobi, aut naturali modo, ἐκ θελήματος σαρκὸς, ἐκ θελήματος ἀνδρὸς; sed fiunt ἐκ Θεοῦ, per Deum, quatenus per disciplinam Iesu nouam mentis indolem, sensus nouos, diuinis similes, induunt, seque duci patiuntur diuino spiritu, ac Deum reuerentur sine metu, amant liberaliter atque ab eo vicissim amantur. Dixit quoque: ὅσοι ἔλαβον αὐτὸν, propter eandem gloriationem Iudaeorum inanem, se solos filios Dei iactantium, vt intelligeretur, non gentis nobilitatem, nec Mosaicae religionis professionem, sed fidem in Iesum dare cuique, quicunque et cuiuscunque gentis, aut conditionis sit, siue Iudaeus, siue Ethnicus, hoc ius, hanc dignitatem, vt sit cultor Dei verissimus, eique carissimus ac probatissimus, atque adeo hoc quoque beneficium acceptum referendum esse Iesu, Domino. Vnde et illud patet, Ioannem scripsisse contra Iudaeos, non vero contra asseclas Ioannis Baptistae, aut id genus alios.

Ad extremum notabile est hoc, arctissime coniungi et τὸ λαμβάνειν Χριστὸν, et: ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. Est enim inter vtrumque nexus hic, et quidem primum ex parte Dei: Deus vult, vt omnes Christum fide suscipiant, et constituit, vt omnes omnem salutem et quibuscunque demum opus est ad eam te-

nendam, per Christum et a Christo acciperent, atque adeo a Christo exspectarent; deinde a parte Christi: Christus effecit, vt omnes esse possent filii Dei, participesque fieri bonorum felicitatisque omnis generis; denique ex parte hominum: omnes oportet Iesum tanquam salutis auctorem vnicum suscipere, qui adspirare ad eam voluerint.

Sed praemissa hac praeclara Seruatoris commendatione, ab ipsius natura diuina, operibusque diuinis desumta, ad eius incarnationem progressus est D. Ioannes, sic tamen, vt rursus omnia conferret ad eius dignitatem maiestatemque intelligendam et admirandam. Perrexit enim *versiculo decimo quarto* disserere in hanc sententiam: *etenim Seruator promissus homo factus est, atque familiariter versatus nobiscum, qui spectauimus eius maiestatem, eamque talem, qualis est maiestas Filii vnigeniti, gratiosissimi et longe benignissimi.* Nam haec arctissime cohaerent cum superioribus, et quidem sic: Messias promissus versatus est olim apud Deum; venit autem in hunc mundum; *nam* homo factus est. Hanc enim vim hoc loco habet haud dubie connectendi vocula; estque hic quoque locus contra Iudaeos illorum temporum scriptus, qui Messiam negabant *in carne venisse*, quemadmodum Euangelista alias locutus est. 1. *Ep. IV*, 1. *sqq.* Nec dubitari potest, per vocabulum σαρκὸς exprimi in hoc tali contextu non humilitatem infirmitatemque naturae humanae, sed naturam humanam ipsam, verbisque: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, indicari coniunctionem Filii Dei cum homine, et quidem non eam, quae est ἐνεργείας, seu actionis et operationis diuinae; nam de eiusmodi coniunctione Dei cum homine, veluti cum propheta aliquo, aut alio quo viro diuino et insigni, in vniuerso Codice sacro V. et N. T. haec formula vsurpata legitur nuspiam; sed talem, quae Filii Dei et hominis vnam

personam fecit, quam vnionem personalem in Dogmaticis solemus appellare.

Ac ne quis dubitaret, Messiam vere venisse, nec amplius exspectandum esse, subiecit duo. Primum hoc: *versatus est inter nos vixitque nobiscum familiariter*; vidimus eum viuentem, agentem, patientem, morientem, audiuimus humana voce loquentem, contrectauimus manibus nostris, habitauimus, edimus, bibimus vna cum eo, argumentisque omnibus verum hominem comperimus. Neque enim opus est, verbum σκηνοῦν ex antiquitatibus Iudaicis de Schechina explicare, vt fecerunt interpretes, cum habeamus meliorem explicationem, ex linguae graecae dicendi consuetudine depromtam, in qua de iis dicitur, qui eodem contubernio vtuntur, cibum vna capiunt familiariterque viuunt; vt exemplis demonstrauit RAPHEL. *Not. Xenoph. ad h. l.* Igitur docere voluit Ioannes his verbis, Messiam esse verum hominem, seque gessisse vt verum hominem. Sed deinde addidit quoque et hoc: *vidimus maiestatem eius, dignam Filio Dei*; quo innuere voluit, eum ita se gessisse in his terris, vt deceret Filium Dei, vtque facile intelligeret quisque, eum non esse merum hominem, sed eundem quoque Filium Dei verissimum. Quae quidem sunt notatu longe dignissima. Appellatur nempe Dominus μονογενὴς παρὰ πατρὸς, quod est pro: μονογενὴς τοῦ πατρὸς, nam praepositio παρὰ plane redundat; de quo videri potest GLASSIVS *p.* 436. *edit.* DATHII, RAPHELIVS *Not. Xenoph.* ALBERTVS et LOESNERVS *ad h. l.* Est porro ὁ μονογενὴς τοῦ πατρὸς idem, qui *vers.* 18. appellatur ὁ μονογενὴς υἱός. Iam quonam sensu sit dicaturque υἱὸς τοῦ πατρὸς, siue, vt alias, υἱὸς τοῦ θεοῦ, et quidem υἱὸς μονογενὴς, ante omnia dispiciendum est; tum enim facilius intelligi poterit, in quonam fuerit δόξα αὐτοῦ, et quomodo discipuli eam conspexerint.

Verum in definienda vera vi potestateque nominis: υἱὸς τοῦ Θεοῦ, et: υἱὸς μονογενὴς, interpretes haesitarunt omni tempore, in primis etiam nostro. Scilicet sunt, qui referri velint hoc nomen Iesu, Domini, non ad naturam eius, sed ad munus, non ad coniunctionem filii cum patre quoad naturam, sed quoad missionem in has terras. Putant igitur ac docent, esse nomen muneris et dignitatis, non vero naturae, et vel aequipollere nomini Messiae, vel explicandum esse sensu morali, vt denotet filium, quem Deus genuit, hoc est, instituit, luce veritatis collustrauit, sapientia, sanctitate, aliisque animi dotibus exornauit; et quidem *vnice*, hoc est, sic, vt eum prae caeteris collustraret luce veritatis, dotibusque exornaret, qualibus praeter hunc alium nullum. Verum haec interpretatio est haud dubie alienissima a mente Apostolorum et Domini ipsius. Ad inueniendam vero declarandamque huius nominis veram vim et significationem non sufficit, consulere vsum loquendi. Constat enim, in libris sacris quoque υἱοὺς τοῦ Θεοῦ appellatos esse homines pios virosque illustres; quamuis in scripturis exemplum extet ne vnum quidem, vt aliquis κατ' ἐξοχὴν appellatus esse legatur υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Deinde vocabulum μονογενὴς denotat quidem *filium vnum*, hoc est, talem, qualem pater praeter hunc nec genuit, nec habet; sed denotat etiam *filium dilectissimum*. Nam vocabulum hebraicum יָחִיד, quod illi respondet, interpretes graeci reddiderunt quidem: μόνος et μονογενής, interdum vero etiam: ἀγαπητὸς et ἀγαπώμενος, veluti *Gen.* XXII, 2. 12. 16. *Amos.* VIII, 10. *Zach.* XII, 1. Igitur τὸ μονογενὴς vtramque explicationem admittit, vt sit et *vnus*, et: *dilectissimus*. Tenendum tamen est, hanc versionem interpretum graecorum repetendam esse ex consuetudine linguae graecae exquisita, ex qua filius vnus κατ' ἐξοχὴν dici solebat ἀγαπητὸς, vnde apud HESYCHIVM ἀγαπητὸς explicatur: μονογενὴς, et in locis

Genes. vbi Isaacus appellatur: בֶּן יָחִיד additum est: אֲשֶׁר־אָהַבְתָּ quo non opus fuisset, nisi sensus esset hic: sume filium tuum vnum, tibi dilectissimum. Vnde quoque loci notabilis, *Matth. III,* 17. sensus haud dubie est: hic est filius meus vnus, mihi carissimus. Verum etiamsi vocem *μονογενὴς* explicaueris de vno, praeter quem pater nec genuit, nec habet vllum; tamen inde intelligi non potest, quonam sensu vnus sit, et quonam haec vnitas sit referenda, num ad naturam, an vero ad dotes animi. Igitur quoniam consuetudo loquendi non sufficit ad definiendam potestatem huius nominis, in consilium vocanda est oratio contexta, et quidem in locis dogmaticis, hoc est, iis, in quibus caput de Filio Dei traditur et explicatur vel a viro aliquo diuino, vel a Domino ipso; cuiusmodi loca plura extant, nominatim in hoc Ioanneo Euangelio. Ex priori genere illustrissimus haud dubie est hic noster. Nam *vers.* 12. commemorantur *τέκνα τοῦ Θεοῦ*, filii Dei, iique non ab hominibus nati, sed per Deum, hoc est, per vim diuinam collustrati, emendati, sanctificati. His opponitur *υἱὸς μονογενὴς*, vnus in suo genere; ergo non filius sensu morali, sicut illi, exornati a Deo dotibus animi, sed sensu plane peculiari, quo nullus alius dici potest Dei filius. Id quod profecto magni momenti esse debet. Sed maioris sunt, quae locum nostrum antecedunt. In his nempe describitur Filius Dei vnigenitus, quis et qualis sit, quid habeat, feceritque atque efficere possit. Dicitur enim extitisse *ἐν ἀρχῇ*, ante initia rerum omnium, et quidem *πρὸς τὸν Θεὸν*, particeps fuisse gloriae maiestatisque diuinae, Deus esse, et quidem talis, qualis is, apud quem fuit, creasse res omnes et creatas conseruare, in eo esse *ζωὴν*, vim facultatemque vitae et habendae, et tribuendae, denique *φῶς τῶν ἀνθρώπων*, auctor humanae felicitatis. Igitur filius vnigenitus est, qui fuit ante rerum omnium initia, qui vnus est cum Deo maiestate eadem, qui et ipse

Deus est, qui creauit omnia et creata conseruat, qui est fons vitae et salutis humani generis auctor. Ex altero genere huc pertinet locus *Io. V*, 17. *sqq.* qui itidem est dogmaticus; Dominus enim instituit auditores et se defendit contra blasphemiam Iudaeorum, cum se parem fecisset patri. In hoc loco igitur sibi tribuit, quae non nisi Deo propria sunt, docetque disertis verbis, se facere eadem, quae faciat Pater, sibi competere cultum religiosum pari modo, vt Patri, se habere ζωὴν, vt Pater habeat; et *vers.* 27. distinxit *τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ* et *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*, hoc est, Messiam; quare haec duo non possunt esse nomina idem declarantia. Neque alio sensu, nisi de natura sua diuina, vsurpauit Dominus hoc nomen, quando id sibi ipse tribuit; nominatim *Cap. III*, 16. 18. vt videbimus ad hunc locum. Atque adeo in causa religionis, *Matth. XXVIII*, 18. Filium cum Patre et Spiritu sancto posuit eodem loco, eique tribuit, quod his competit. Igitur *υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, isque *μονογενὴς*, est Filius Dei in suo genere vnus, quatenus talis est, qualis est Pater, idem est, qui Pater, eadem habet, quae Pater, eadem facit, quae Pater, cui eadem competunt, quae Patri. Sed ex his omnibus manifestum est, Iesum esse Filium Dei, proprie dictum, Patri parem, non tantum quoad negotia, sed etiam quoad naturam diuinam, et manifeste iniuriam facere Domino, qui hoc nomen explicent explicandumque praecipiant de munere Messiae. Nec obstant vllo modo loca alia, in quibus sane nomen filii Dei aequipollere videtur nomini Messiae; veluti *Cap. I*, 50. et *XI*, 27. In priori enim Nathanael professus est: *tu es filius Dei, tu es rex Israelitarum*; in altero vero Martha: *credo*, inquit, *te esse Messiam, filium Dei.* Sed probe tenendum est, primum, haec loca non esse dogmatica, sed historica, neque adeo in iis tradi caput aliquod doctrinae, sed commemorari iudicium singulorum hominum de Christo; quae quidem loca accurate sunt di-

stinguenda; ex locis historicis vero notiones dogmaticae peti demonstrarique nullo modo possunt; deinde haec esse indicia nondum imbutorum vera cognitione Christi, nec capientium notionem Messiae, multo minus filii Dei; nam quando Nathanael Dominum appellabat regem Israelitarum, et Martha *Χριστὸν*, hoc est, Messiam, cogitarunt haud dubie de rege terreno, qualem exspectabant Iudaei. Vnde patet, ex his locis veram notionem Filii Dei iudicari nullo modo posse. De loco *Cap.* X, 34. *sqq.* videbimus, quando ad eius explicationem venerimus. Neque aliter censendum est de locis *Matth.* *XVI*, 16. *XXVI*, 63. *Marc. XIV*, 61. *Luc. XXII*, 67. *IV*, 41. ex quibus probare volunt, in consuetudine loquendi Iudaeorum receptum fuisse, vt nomina Messiae et filii Dei promiscue vsurparentur, eaque adeo in libris sacris N. T. idem declarare; sunt enim et haec loca historica. Sit vero, hanc dicendi consuetudinem obtinuisse inter Iudaeos; neque tamen inde efficitur, nec effici potest, Iesum eiusque Apostolos eam fuisse imitatos; immo vero eos aliam vim tribuisse appellationi: *υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, ex locis dogmaticis, modo commemoratis, patet euidenter, multoque probabilius est, si loquendi vsum aliquem secuti fuerint, eos respexisse ad consuetudinem antiquissimam prophetarum, nominatim Dauidis, *Ps. II*, 7. ubi nomen Filii Dei referendum esse ad communionem naturae diuinae, sumere posse putamus consensu interpretis eruditissimi cuiusque, cum ex libris sacris N. T, nominatim ex locis, *Act. IV*, 25. *sqq.* *XIII*, 33. *Hebr. I*, 5. *V*, 5. luculenter appareat, hunc Psalmum illo tempore de Messia intellectum explicatumque fuisse, cumque nemo vnquam vsque ad hodiernum diem vel vno quidem exemplo scriptoris, aut sacri, aut profani, demonstrare potuerit, quod tamen contendere audent permulti, verbum hebraicum ילד, et graecum *γεννῆσαι* vsurpatum vnquam fuisse de constitutione alicuius ad imperium,

adeoque nomen בֵּן in loco Psalmi esse nomen muneris et dignitatis regiae. Sunt quoque, vt et hoc addamus, qui in hac re prouocare soleant ad consuetudinem loquendi poetarum graecorum, *Hesiodi, Homeri, Callimachi*, aliorum, a quibus constet reges et heroas appellatos fuisse filios Deorum. Id quidem est verissimum; falsissimum vero, quod inde probare cupiunt, nempe nomen filii Dei esse nomen muneris et dignitatis, adeoque aequipollens nomini regis. Nam qui ita statuunt, videntur obliti esse, quare a poetis olim appellati fuerint reges filii deorum; scilicet non honoris causa, ad indicandam muneris excellentiam, nullo modo; sed quoniam reges et heroes putabantur esse prognati a Ioue, aut alio Deo. Hinc dicebantur *διογενεῖς* et *διοτρεφεῖς*, a Ioue geniti ac nutriti, porro *ἐκ Διὸς βασιλῆες* et *ἐκ θεῶν εἶναι*, et aliis modis; non propter aliam causam, quam propter eorum originem diuinam; vnde Oratores graeci regum omninoque virorum principum dignitatem et praestantiam repetere soliti sunt ab hac ipsa eorum diuina progenie; veluti ISOCRATES, *in Orat. in Euag. p.* 280. *edit. Wolfii, et in Panathenaico p.* 379. Quare ad hunc vsum loquendi prouocare nullo modo possunt, qui nomina filii Dei et regis synonymica esse statuunt. Atque in vniuersum plane improbabile est, hanc appellationem filii Dei in sermonibus Christi et Apostolorum repetitam esse ex consuetudine loquendi poetarum, eorumque antiquissimorum. Caeterum ex hac disciplina Domini, appellantis se *υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ*, Ioannem repetiisse hoc ipsum nomen *μονογενής*, multo probabilius est, quam, vt placuit nonnullis, ex disciplina *Gnosticorum*, aut id genus aliorum hominum. Nam Dominum tamen non putaueris vsum fuisse hoc vocabulo contra *Gnosticos*, aut eius tempore et inter populares eius in terris Iudaicis *Gnosticos* extitisse?

Quae si ita sunt, de quo vix potest dubitari a viro

erudito, si nomen: υἱὸς τοῦ Θεοῦ, de Domino nostro vsurpatum, referendum est ad naturae diuinae communionem, intelligi poterunt facilius et rectius, quae in hoc Filio laudauit D. Ioannes. Dixit autem: ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. Hic primum vocula ὡς non similitudinem exprimit, sed identitatem et veritatem, non gloriam, quae similis fuit gloriae Filii Dei, sed gloriam talem ac tantam, qualis et quanta non nisi Filii Dei esse posset; ita iam explicauit CHRYSOSTOMVS, illustrauitque exemplo regis, de quo, inquit, loqui solemus sic: *incedit quasi rex*, hoc est, vt decet regem, ita, vt ex ipso incessu appareat, eum esse regem. Itaque dicere voluit Ioannes hoc: vidimus in eo gloriam talem, qualis est Filii Dei, vt, eum esse Filium Dei, intelligeremus omnes. Fuit igitur haec δόξα plane singularis et eximia, cuiusmodi non fuit in vllo homine, in nullo propheta, aut alio quo legato diuino, sed quae conueniebat non nisi Filio vnigenito, qui eadem attributa habet, quae Pater, eadem facit, quae Pater, cui eadem competunt, quae Patri, breuiter, gloria talis, qualem Pater habet. Iam vero gloria Patris, seu gloria Dei, כבוד appellatur in V. T. centies, est interna; in attributis diuinis, cuiusmodi sunt potentia, sapientia, benignitas, in primis vero amor erga genus humanum plane singularis; fit autem conspicua in operibus potentiae, sapientiae, benignitatis et amoris. Moses cum olim videre vellet gloriam Dei, dicens: *ostende mihi gloriam tuam;* respondit Deus: *transmittam ante te omnem bonitatem meam; cui faueo, faueo impense, quem amo, vehementer amo. Exod. XXXIII*, 18. Amandat igitur Mosen ad bonitatem suam, quam demonstraturus esset atque exhibiturus factis et beneficiis illustrissimis, adeoque ponit gloriam suam in bonitate et in signis ac documentis bonitatis. Atque Ioannes quando describere volebat maiestatem Dei, quid dicit? Ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστί:

hancque *ἀγάπην* Deum manifestasse mittendo Filio suo vnigenito. 1. *Io. IV*, 16. 9. In iisdem rebus fuit gloria Filii Dei vnigeniti, nimirum partim in attributis, partim in operibus diuinis, maxime vero in bonitate eius ingenti atque amore immenso ac paene incredibili cum erga genus humanum in genere, tum erga vnumquemque. Atque hanc gloriam discipuli Iesu conspexerunt, et quidem gloriam non hominis, sed *Filii Dei*, non filii Dei cuiusque, sed Filii Dei *vnigeniti*, qui est *ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, imago maiestatis et effigies naturae diuinae. *Hebr. I*, 3. Conspexerunt autem primum in miraculis eius; haec enim Ioannes diserte retulit ad gloriam eius; *Cap. II*, 11. scilicet videbant in iis non tantum potentiam Domini, sed etiam sapientiam et bonitatem, quoniam vi sua vtebatur non nisi ad salutem hominum. Conspexerunt porro in doctrinae excellentia et salubritate; *habet*, inquiunt, *verba vitae aeternae*. *Cap. VI*, 68. Conspexerunt vero in primis in amore immenso, quo et suscepit, et peregit opus redemtionis humanae longe saluberrimum, et beneficiis affecit humanum genus optimis maximis, nominatimque in morte eius atque effectis mortis, vniuerso generi humano salutaribus; in quo et Dominus ipse maxime posuit suam gloriam. *Cap. XIII*, 33. 31. 32. Conspexerunt denique etiam in glorificatione eius in monte Itabirio, cuius testis fuerat Ioannes, in miraculis, in morte eius editis, in resurrectione eius et in coelos adscensione. Atque in his omnibus conspicere possunt nunc quoque omnes et experiri gloriam Filii Dei, qui eius beneficiorum facti sunt participes.

Neque in aliis rebus posuit Ioannes ipse gloriam Filii Dei vnigeniti, quam in benignitate eius atque amore plane singulari. Poterat multa alia commemorare; poterat nominare sanctitatem, sapientiam, modestiam, patientiam, mansuetudinem, obedientiam, siue

etiam vim ac potentiam, verbis et factis demonstratam; quibus virtutibus inclarescere solent viri magni inter homines. De his omnibus nihil dixit. Laudauit autem gratiam eius ac beniuolentiam; quod est attributorum omnium summum et maxime admirabile. Subiecit enim haec: πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Ac τὸ· πλήρης quidem referendum non videtur esse ad vocabulum: λόγος, initio huius versiculi, tanquam verba: καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, accipienda sint in parenthesi, vt volunt nonnulli ex regulis quidem grammaticis, ex quibus nominatiuus πλήρης requirit subiectum in eodem casu, sed potest etiam atque adeo debet referri ad τὸ· μονογενοῦς, per enallagen, Ioanni quoque admodum frequentem, vt τὸ· πλήρης sit pro: πλήρους. Deinde vocabula χάρις καὶ ἀλήθεια vel posita sunt pro: χάρις ἀληθινὴ, et denotant *gratiam verissimam*, ex dicendi consuetudine notissima, vel vnum idemque declarant, nempe *gratiam* et *benignitatem*, et πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας est: *gratiosissimus et benignissimus*; etenim in libris sacris V. T. vocabula חֶסֶד et אֱמֶת coniuncta reperiuntur sexcentis in locis tanquam synonymica. *Ps. XXV*, 10. Neque tamen haec χάρις Filii vnigeniti referenda tantum est ad attributum, sed etiam ad effecta gratiae, hoc est, ad bona et beneficia, per eum exhibita, non tantum ad gratiam, quae in eo fuit, sed quae in homines est collata; quo significatu adhibuerunt Apostoli hanc vocem semper de Domino nostro. Vocabulum ἀληθείας autem denotat non veritatem in genere, sed veritatem summam, de hac ipsa gratia Filii et Patris, erga homines demonstrata; vt videbimus ad *vers.* 17. Denique τὸ πλήρης non tantum passiue dicitur, sed etiam actiue, de eo, qui confert gratiam. Igitur Dominus dicitur fuisse πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, quatenus in eo conspicua facta est et per eum manifestata gratia vt Filii, ita etiam Patris erga genus humanum maxima.

Verum quoniam in superioribus, *sexto*, *septimo* et *octauo versiculo*, mentionem Euangelista fecerat Ioannis Baptistae, eumque de persona et opere Iesu praeclare testatum fuisse, dixerat, ad eius auctoritatem denuo prouocauit *versiculo decimo quinto*, eo quidem consilio, vt ostenderet, non modo se reliquosque discipulos et sectatores Iesu, qui eius maiestatem vidissent, sic praeclare de eo *sensisse* et iudicasse, verum etiam Ioannem, qui diserte et palam professus ipsum fuerit et Messiam et Dei Filium. Ita enim perrexit: *cuius rei testis quoque fuit Ioannes, vtpote qui palam edidit de eo professionem hanc: hic est ille, quem indigitaui, cum dicerem: me sequetur, qui ante me extitit, meque prior est.* Quibus verbis, et oratio ipsa permittit, et narratio proxime sequens perspicue docet, Euangelistam indicare voluisse, duplicem professionem de Iesu edidisse Ioannem; alteram de opere ipsius: *οὗτος ἦν*, scilicet *Χριστὸς*, τῷ ἦν rursus posito loco τοῦ ἐστὶ, quod vel ex *vers.* 27. et 30. patet; alteram vero de natura ipsius, his verbis: *ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν*, quorum verborum sensus est hic: *extitit ante me, meque est prior.* Iam cum Ioannes natus esset sex menses ante Iesum, eum patet haec non de natiuitate intelligi voluisse, sed indicasse, Iesum extitisse, antequam nasceretur; idque conspirat cum iis, quae Euangelista supra dixit: *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος.* Verba autem: *πρῶτός μου ἦν*, vel idem declarant, ac praecedentia: *ἔμπροσθέν μου γέγονεν*, vel, vt KYPKIVS voluit, cohaerent cum verbo *εἶπον*, reliquis: *ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν*, veluti in parenthesi positis, sic, vt rationem contineant, quare Ioannes verba: *ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν*, toties in ore habuerit, quoniam scilicet Messiae existentia antiquior sibi notissima fuerit, hoc sensu: *hic est, de quo, quoniam me est prior, dixi: prior me, me sequetur.* Sed verba ipsa duplici modo explicantur; vel de *dignitate*, vel de

tempore. Priori modo interpretati sunt ex antiquioribus CHRYSOSTOMVS, de *ἐντιμοτέρῳ καὶ εὐδοκιμωτέρῳ*, et THEOPHYLACTVS, cuius locum scripsimus infra; *) quibus suffragati sunt GROTIVS, BEZA, LAMPIVS, reliqui. Quamuis vero nolimus negare, vsum loquendi hanc interpretationem admittere, formulamque *ἔμπροσθέν τινος γίνεσθαι*, de eo dici, qui in munere, honore et dignitate alicui praepositus est, et τὸ *πρῶτος* maiorem et excellentiorem denotare; altera tamen conuenientior videtur esse et contextui, et dicendi consuetudini vulgari, in primis apud interpretes Alexandrinos, qui τὸ *ἔμπροσθεν* de tempore et loco vsurparunt; *Iud. I*, 23. *III*, 2. *Mich. VII*, 20. 1. *Reg. III*, 12. 2. *Reg. XVIII*, 5. de auctoritate vero et dignitate nunquam. Caeterum verbum *γίνεσθαι* hoc loco pro *εἶναι* dicitur; qui significatus etsi raro obuius est apud scriptores profanos; **) tamen apud interpretes Alexandrinos ad consuetudinem hebraici verbi הָיָה, et apud scriptores sacros N. T. frequenter occurrit. *Matth. V*, 45. *VI*, 16. *X*, 16. *Rom. XI*, 6. vbi quod in priori membro est: *γίνεται*, in altero est: *ἐστί*. Formulam autem: *ὀπίσω τινὸς ἔρχεσθαι*, hebraicam esse, et denotare: *sequi aliquem*, et τὸ *πρῶτος* idem esse, quod *πρότερος*, in promtu est.

Sed de verbis *versiculi decimi sexti, septimi et octaui* quaeritur, cuiusnam sint, Ioanniane Baptistae, an Euangelistae? Et multi quidem interpretes Baptistae esse putarunt, in quibus fuerunt CHRYSOSTOMVS et THEOPHYLACTVS, itemque ERASMVS. Sed obstare videtur, quod, quae in his versiculis insunt, Ioannes Baptista de se suisque temporibus ac discipulis

---

*) Est vero hic: *οὗτος ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ἀντὶ τοῦ προτιμότερός μου καὶ ἐνδοξότερος ἐγένετο.*

**) *Phavorinus* certe non nisi poetis proprium esse contendit: *γίνομαι ἀντὶ τοῦ εἰμὶ παρὰ τοῖς ποιηταῖς.*

dicere vix potuisset. Igitur sunt haud dubie verba Euangelistae. Etenim quae *quinto decimo versiculo* tradidit, veluti in parenthesi dixit, et *versiculo decimo sexto* et duobus sequentibus denuo redit ad commemorandam bonorum, a Christo acceptorum, copiam, abvndantiam et excellentiam, hoc modo: *atque et nos omnes a copia eius abundantissima bona accepimus vberrima et longe praestantissima.* His enim Euangelista respexit haud dubie ad *decimum quartum versiculum*, in quo dicebatur Dominus πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, ac propter hanc ipsam caussam vsus est in hoc versiculo voce πληρώματος, eaque exprimere voluit *copias beneficentiae et bonorum.* Respondet enim hebraico vocabulo: מְלֹא, quod summam alicuius rei significat, itemque copiam, multitudinem et abundantiam; veluti *Ps. XXIV*, 1. ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς, quod in sequentibus explicatur hoc modo: ἡ οἰκουμένη καὶ πάντες οἱ κατοικοῦντες ἐν αὐτῇ. Quo sensu adhibuit hanc vocem in primis Paulus, partim in vniuersum de tota summa beneficiorum diuinorum, per Christum exhibitorum, *Eph. III*, 19. vbi: ἵνα, inquit, πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ, *vt exornemini omni bonorum diuinorum genere*, partim vero etiam atque in specie de Domino ipso et de vniuerso ambitu bonorum, ad salutem generis humani necessariorum et per Christum destinatorum et exhibitorum. Id enim *Col. I*, 19. est πᾶν τὸ πλήρωμα, quando ἐν αὐτῷ, ait, εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι, *placuit Deo, totam summam bonorum in Christo habitatum collocare;* ita voluit atque constituit, vt haec bona Christus haberet ac distribueret, homines vero a Christo repeterent, exspectarent, acciperent. Immo vero idem Apostolus, *Cap. II*, 9. docet, in Christo habitare πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς· vbi τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος intelligendum esse putauerimus eodem modo atque explicandum, nimirum non de natura diuina attributisque naturae di-

vinas, cui interpretationi obstare videtur series orationis; quam potius de bonis, quae sunt in Deo, quae habet Deus, et nominatim ratione hominum, quae Deus destinauit humano generi ad salutem tenendam et per Christum exhibuit, ita, vt indicetur horum bonorum copia abundantissima et excellentia plane diuina. Est igitur τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος idem, quod Eph. l. c. τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ, *bona diuina*; atque ita appellauit Apostolus illa bona, non tanquam pertinerent ad naturam diuinam essentique eius attributa, sed vt indicaret, partim, in Christo esse bona diuina, hoc est, *eiusmodi*, cuiusmodi haberet Deus, *tot*, quot haberet Deus, *tanta*, quanta haberet Deus, partim vero etiam, ea bona esse a Deo, dari a Deo per Christum, et ab alio dari non posse, nisi a Deo. Dixit autem πᾶν τὸ πλήρωμα, quo intellexit vniuersum ambitum bonorum salutarium, quae possunt et omnes omnium temporum et locorum homines, et eos omni ex parte beatos reddere. Dixit porro: ἐν αὐτῷ κατοικεῖ· habitat in Christo haec summa et copia bonorum, non tantum quatenus est Filius Dei, eique tanquam Filio Dei propria sunt, sed etiam quatenus est Messias, et tanquam Messias ea parauit ac tribuit, et quatenus Deus voluit, vt ea pararet ac tribueret. Dixit denique, ea habitare in Christo σωματικῶς, vere, et plenarie, ita, vt in alio viro diuino nullo. Vnde verborum sequentium: καὶ ἐστὲ ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι, sensus est hic: repleti estis ab eo bonorum salutiferorum omni genere. Ea vero bona quoniam nec habere poterat, nec acquirere nisi is, qui esset Filius Dei, propterea est quoque in hoc loco argumentum diuinitatis Iesu, Domini. Hinc quoque ecclesiam D. Apostolus, *Eph. I*, 23. appellauit πλήρωμα, et quidem τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πεπληρωμένου, quatenus a Christo repleta est bonis copiosissimis; etenim formulae: *replere omnia*, *replere coelum et terram*, in V. T. centies de Deo vsurpatae, denotant: omnibus

benefacere, vbicunque bona tribuere; vnde et Dominus ab eodem Apostolo, *Cap. IV.*, 10. dicitur euectus esse vltra coelos, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα, quod *vers.* 8. explicatur hoc modo: ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Eandem ecclesiam idem Apostolus appellauit quoque τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, et Christum κεφαλὴν τοῦ σώματος· atque illam quidem propterea, quia est coetus, qui subest imperio Christi, atque ab eo pendet, regitur, defenditur, bonis ornatur; hunc vero, quoniam est huius coetus dominus ac princeps, qui eum sibi acquisiuit, regit, tuetur, bonorum omni genere ornat. Iam ex his lucem capiet hic noster locus. Etenim quando Ioannes Christo Domino tribuit πλήρωμα, intellexit nihil aliud, quam copias beneficentiae ac bonorum, voluitque dicere, in Christo esse et voluntatem et facultatem benefaciendi summam et maximam, fontem et thesaurum bonorum omnis generis locupletissimum. Atque ex hoc thesauro bonorum accepimus, inquit, χάριν, hoc est, *bona*, *beneficia*, causa pro effectu posita; et quidem χάριν ἀντὶ χάριτος, id est, bona, beneficia insigniter multa et cumulata. Quae verba variis modis explicarunt interpretes, e quibus vnam tantum interpretationem commemorasse sufficiat, quae CHRYSOSTOMI fuit, qui χάριν ἀντὶ χάριτος interpretatus est: ἀντὶ τῆς παλαιᾶς τὴν καινὴν, fere in hanc sententiam: loco vetustorum beneficiorum noua accepimus; siue: magna quidem in maiores nostros redundarunt beneficia, sed longe maiora in nos; pro minori beneficio nos omnes accepimus beneficium maius; minus enim beneficium, quanquam beneficium, erat lex, per Mosen lata, maius vero doctrina, per Christum tradita. Atque haec interpretatio profecto non est plane improbabilis. Sed nec ea, quam modo commemorauimus, ab vsu loquendi et oratione contexta abhorret. Etenim Hebraei, ex quorum dicendi consuetudine haec formula explicanda est, magnitudinem alicuius rei et multitudinem exprimere so-

liti sunt iterando vno eodemque vocabulo, interposita praepositione aliqua. Sic in loco *Iob. II, 4. pellem pro pelle et omnia, quae habet, quisque dat pro vita sua*, id est, omnem pellem, siue, vt statim explicatur, omnes facultates, quae tum in pellibus et pecudibus sitae erant. Neque tamen prorsus alieni fuere ab hac consuetudine scriptores alii, e quibus exempla quaedam commemorauit BENGELIVS in *Gnom. ad h. l.* Latine dicere posses: *beneficium super beneficium*, et hunc nostrum locum reddere sic: *accepimus bona super bona, beneficia alia super alia*, hoc est, cumulata; vt saepissime loqui solet *Liuius*. In primis autem Hebraei vsi sunt formula: חֵן עַל חֵן, ad indicandam beneficiorum multitudinem et excellentiam. Vid. DATHIVS *ad Glass. p.* 486. Nos igitur, inquit Euangelista, nos Apostoli, reliquique disciplinae Christi alumni omnes, beneficia ab eo accepimus et copiosissima, et longe excellentissima.

Elogium Iesu Domini nostri profecto longe illustrissimum! Etenim primum in eo dicitur esse τὸ πλήρωμα, summa bonorum omnium copia, veluti thesauri et diuitiae bonorum. Quae quomodo in Christo sint et Ioannes in eo esse existimauerit et docuerit, intelligi potest ex oratione contexta. Dicitur autem et describitur Christus in antecedentibus vt Deus, vt creator et conseruator rerum creatarum omnium, vt auctor et instaurator et dator felicitatis humanae vniuersae. Ergo in Christo est summa bonorum et copia talis ac tanta, qualis et quanta est in Deo, in creatore et conseruatore rerum omnium, in auctore, instauratore et datore vniuersae felicitatis humanae. Deinde ex hac immensa eius bonorum copia dicuntur accepisse Christiani χάριν ἀντὶ χάριτος, bona super bona, beneficia alia super alia, copiam bonorum; acceperunt non tantum bona multa, cuiusmodi erant rerum diuinarum cognitio, fides, peccatorum remissio, gratia apud Deum, vires ad sancti-

tatem, sanctitas ipsa, spes certa, atque inde oriunda felicitas huius et futurae vitae; verum etiam haec bona multa acceperunt magna copia, non tantum ad necessitatem, sed etiam ad abundantiam, ditati erant et locupletati omni modo. 1. *Cor. I*, 5. Ergo in Christo est abundantia bonorum omnis generis, quibus tandem opus est ad salutem maximam et perfectissimam. Ad extremum dicuntur accepisse πάντες, omnes Apostoli, omnes Christiani, omnes homines, si voluerint; et quidni? nonne etiamnunc et omni tempore accipere possunt omnes? Ergo in Christo est copia primum pro omnibus hominibus; quot homines, tot bona, omnes accipere possunt, quotcunque tandem velint; porro pro omnibus omnis generis et conditionis hominibus; alii enim aliis bonis opus habent; et omnes habent et habere possunt; denique pro omnibus omnium temporum et locorum hominibus; omnes omni tempore et loco in hac vita, omnes omni tempore et loco in altera vita sumere possunt bona omnis generis in dies maiora et copiosiora; breuiter, in Christo est copia bonorum tanta, quanta opus est ad beandum genus humanum vniuersum, in tempus vniuersum, et in aeternitatem vniuersam; siue, Christus est fons bonorum omnium, quibus opus habet genus humanum vniuersum ad felicitatem tenendam; et quidem *fons apertus*, ad quem accedere possunt omnes, ex quo haurire possunt omnes, pii et non pii, laeti et tristes, viuentes et morientes; porro *fons copiosus*, ex quo haurire possunt omnes non tantum ad necessitatem, sed ad abundantiam; deinde *fons inexhaustus*, qui nullo vnquam tempore exhauriri potest, quotcunque demum ex eo hauserint; denique *fons perpetuus*, fluens in omnem aeternitatem, non est momentum temporis, non in hac vita, non in vita altera, quo haurire ex eo non possint, quicunque demum voluerint.

Iam *versiculo decimo septimo* nominatim comme-

morauit Ioannes bonum et beneficium, a Christo acceptum, non quidem summum, neque tamen minimum, et quidem beneficium doctrinae et religionis. *Sic per Mosen quidem*, inquit, *tradita est doctrina diuina, sed per Iesum Christum gratia et veritas contigit.* Etenim exemplo volebat illustrare, quot et quanta beneficia acceperint a Domino, dum in his terris viueret, disciplinae eius alumni; quare vocula: ὅτι, reddenda est: *sic, scilicet.* Deinde per τὸν νόμον intelligi non legem Mosaicam, sed doctrinam diuinam, in V. T. per Mosen et prophetas, (ita enim nomen Μωσέως centies dicitur in Scripturis,) reuelatam, dubitari non potest. Quare per τὴν χάριν et ἀλήθειαν ex lege oppositi, in promtu est, intelligendam esse doctrinam, per Christum patefactam. Modo tenendum est, Dominum, quotiescunque vsurpauerit vocabulum ἀληθείας, vsurpauit autem saepissime in sermonibus suis, toties intellexisse non religionem doctrinamque suam in genere, sed caput eius primarium de Deo, eius amore plane singulari erga genus humanum, consiliisque arcanis in reparanda et conferenda salute per Filium suum, de Christo ipso, Seruatore humani generis, salutisque omnis auctore; quam πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν appellauit Dominus, *veritatem optimam maximam*; *Cap. XVI*, 13, et Paulus: τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ. *Phil. III*, 8. Hoc significatu adhibuit Dominus hoc vocabulum semper; veluti *Cap. VIII*, 32. *XIV*, 17. *XV*, 26. *XVI*, 13. *sqq.* in quo loco adeo etiam explicauit, qualem veritatem intellexerit, intelligique voluerit per τὴν ἀλήθειαν, itemque *Cap. XVII*, 17. 19. *et XVIII*, 37. vt videbimus, quando venerimus ad haec loca. Atque hoc significatu adhibuisse Ioannem id vocabulum hoc quoque loco, primum docet res et ratio et consilium eius; volebat enim afferre exemplum beneficiorum Christi per doctrinam eius exhibitorum, idque illustrissimum; illustrissimum autem erat, quod Patrem suum reuelauit;

eo enim consilio diserte dixit *Cap. XVII.* 4. 6. et alias, se missum esse in has terras et venisse, vt manifestaret Patrem, eiusque consilia et voluntatem de salute hominum per Filium suum; hocque caput doctrinae primum atque ante omnia tradi voluit a discipulis, vt manifeste significauit locis laudatis; quemadmodum vere fuit totius institutionis Apostolicae caput et summa, initium et finis. Deinde hoc requirit vocabulum χάριτος, quod ei positum est tanquam synonymicum, quodque ex perpetua consuetudine Apostolorum exprimit gratiam ac beniuolentiam Dei, per Christum exhibitam; ac propter hanc ipsam causam doctrina, a Christo tradita, dicitur χάρις, quoniam per eam in primis patefacta est gratia Dei erga homines. Denique extra omnem controuersiam ponit versiculus, qui sequitur, vt statim videbimus. Quare etiam vocabulum νόμου non denotat religionem V. T. in genere, sed in specie partem eam, quae exponit de gratia Dei in remittendis peccatis, hominibusque saluandis. Hactenus igitur Ioannes comparauit religionem V. et N. T. quatenus haec caput de gratia Dei aduersus homines exponit longe illustriori modo, atque illa. Ingens beneficium, inquit, maioribus nostris tribuit Deus, dum se resque ad salutem pertinentes reuelauit, maius autem, dum se patefecit per Christum; admodum praestans est et salubris cognitio de Deo, quam suppeditarunt prophetae, sed longe praestantior ac salubrior ea, quam largitus est Christus.

Etenim quae versiculo decimo septimo dixerat Ioannes, exemplo illustrauit sequente versiculo, quod desumtum est a cognitione Dei et clariori, et iucundiori, quae per Christum contigit. *Neque enim*, ita pergit versiculo decimo octauo, *quisquam vnquam Dei cognitionem eam habuit et tradidit, quam suppeditauit nobis Filius vnicus, eique proximus.* Nam verbum ὁρᾷν accipiendum esse hoc loco non de sensu oculorum,

sed mentis, idemque denotare, quod *γινώσκειν*, *cognoscere*, *intelligere*, speciatimque hoc loco ex consuetudine Hebraeorum in forma hiphilica: *patefacere*, patet ex verbo *ἐξηγεῖσθαι*, quod sequitur et idem declarat, nempe: *docere*, *exponere*, *interpretari*; respondet enim hoc verbum hebraico: פָּתַר, quod dicitur de interpretibus somniorum, *Gen. XL*, 8. 20. *XLI*, 12, vsurpatumque reperitur a scriptoribus graecis de vatibus et viris inspiratis, qui interiori cum diis commercio gaudere putabantur et oracula diuina de cultu deorum aliisque rebus eiusmodi edebant et interpretabantur; vt docuerunt interpretes ad hunc locum, nominatim KYPKIVS. Iam vero quamnam demum cognitionem de Deo suppeditauit Dominus? Num de Deo ipso, eiusque natura, attributis et operibus creationis et prouidentiae, de amore eius et benignitate, per haec opera demonstrata erga homines, siue etiam de gratia eius, qua paratus est ad remittenda peccata et beandos homines in altera vita, deque hac vita ipsa? Nullo modo. Ea enim centies tradita reperiuntur et explicata luculenter in libris sacris V. T. adeoque satis superque cognita esse poterant fidelibus omnibus, ac debebant; nec opus erat noua reuelatione eorum per Filium Dei. Errant igitur vehementer, certe veram indolem religionis neque V. neque N. T. assequi videntur, qui non nisi haec doctrinae capita referant et referri velint ad vberiorem cognitionem Dei, quam suppeditauerit christiana religio. At vero amor Dei Patris immensus, quo Filium suum vnigenitum misit in has terras atque adeo in mortem tradidit, consilia eius sapientissima de salute generis humani reparanda et conferenda per hunc Filium, haec erat doctrina arcana et recondita, *σοφία Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ*, vt Paulus loquitur, 1. *Cor*. *II*, 7. quam nemo Iudaicae gentis procerum cognouit, quam Deus per Christum demum manifestari ab aeterno decreuit; hanc demum manifestauit Filius Dei verbis et factis, manife-

standamque prae caeteris curauit per Apostolos. Atque hanc talem, tam admirabilem, tam perspicuam, qualis esse potest in his terris, tamque iucundam et amoenam cognitionem de Deo, amore eius immenso, consiliisque sapientissimis et benignissimis, qualem suppeditauit Filius Dei, neminem vnquam, ne prophetarum quidem T. V. nedum philosophorum ethnicorum aliquem et habuisse et suppeditasse, profecto res et ratio et omnium saeculorum experientia docuit. Neque vero etiam talem cognitionem quisquam vnquam habere potuit, nisi ὁ μονογενὴς υἱὸς, siue, vt appellatur *vers.* 14. ὁ μονογενὴς παρὰ πατρὸς, Filius Patris in suo genere vnus, talis nempe, qualis describitur *vers.* 1. qui ante rerum initia fuit apud Deum, hoc est, particeps gloriae maiestatisque diuinae, itemque actionum et consiliorum diuinorum, siue, quod idem est in hoc nostro loco: *ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς*, quae dicta sunt pro: *ὃς ἦν ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ πατρὸς*, *Patri intimus et proximus*, ratione conditionis, sortis, voluntatis, consiliorum, actionum. Etenim formula: *εἶναι ἐν τῷ κόλπῳ τινὸς*, quae de Lazaro adhibita legitur, *Luc. XVI*, 22. non tantum apud Hebraeos vsitata, verum etiam ab vsu loquendi scriptorum profanorum non plane aliena fuit ad exprimendam familiaritatem summam, sortisque, animorum et consiliorum coniunctionem intimam; de quo videri potest ELSNERVS *Obseruatt.* *p.* 295. Ioannes autem eam vsurpasse videtur hoc loco propterea, quoniam supra dixerat: *ἦν πρὸς τὸν Θεόν*.

Atque ita veluti praefatus esse videtur Ioannes Euangelio, quod dicimus; ac profecto satis praeclare et consilio ipsius accommodatissime, sic, vt de Seruatoris diuina maiestate operisque salutaris excellentia in vniuersum diceret, de quo in libro ipso data opera et veluti ex ore Domini ipsius exponere vellet. Iam igitur talem quomodo se praestiterit in his terris, talisque quomodo vsque ad adscensionem in coelos conspectus

fuerit, ac paulatim et suis et aliis innotuerit, in sequentibus docuit ex instituto. Cum vero personam scriptoris historici agere vellet, narrantis, quid fecerit aliquis, quid fuerit locutus, quid ei acciderit, quomodo in omnibus vitae et muneris partibus se gesserit, secutus est ordinem temporis. Ac propterea orsus est a Ioanne Baptista, cuius non modo mentionem fecisset in ipso praefamine versiculo sexto et decimo quinto, sed cuius etiam testimonium vim auctoritatemque insignem habiturum esse sciret in animis legentium.

Visum enim erat diuinae prouidentiae, commendari Dominum testimonio Ioannis; non quod egeret hominis testimonio, sed quod sic expediret, vel ad invitandam Iudaeorum fidem, quorum nemo non magnifice sentiret de Ioanne, vel ad impiorum incredulitatem coarguendam, cum nec illi de Iesu testificanti crederent, cui alioquin tribuerent quam plurimum. Etenim Ioannes non tantum a natiuitatis celebritate generisque nobilitate iis erat commendatissimus, verum etiam vitae ac vestitus seueritate, baptismi nouitate, discipulorumque frequentia admirationem populi in se prouocauerat, sic, vt alii eum putarent esse Eliam Thesbiten, in hanc terram reuocatum, alii alium prophetam rediuiuum, alii denique Messiam ipsum, Iudaicae gentis liberatorem, cum vicissim Iesum illo quidem tempore non adeo magni facerent, plerique adeo ob vitae generisque humilitatem contemnerent. Proceres autem Iudaeorum, *οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων* appellantur, *vers.* 19. alias: *οἱ ἄρχοντες τῶν Ἰουδαίων*, principes populi, iam tum coepisse videntur Ioannis auctoritate grauari et subinuidere gloriae eius ac famae, certe non aequo animo tulisse, quod nouo modo doceret, nouum ritum institueret, discipulos faceret, de Iesu quoque praeclare praedicaret, atque in vniuersum tantam famam et in dies maiorem consequeretur, et populum in admirationem coniiceret, non sine iactura

publicae sacerdotum et Pharisaeorum auctoritatis. Ac propter hanc causam *miserunt sacerdotes et Leuitas, qui praesente multitudine percunctarentur eum, quisnam esset?* Neque vero aptiores ablegare poterant, quam homines peritos Scripturarum et religionis, et gratos Ioanni, qui et ipse erat ex genere sacerdotali. Hic, non ignarus, quonam animo haec quaererent, non statim aperuit veram sententiam de sua persona et officio, sed falsam de se suspicionem repulit, et *ingenue professus est, ὡμολόγησε καὶ οὐκ ἠρνήσατο, se quidem Messiam non esse*, qui videretur multis. Accepto praeter opinionem responso, et spe frustrati, eum Messiam esse, pergunt sciscitari, *num saltem sit Elias, aut vatum vetustorum aliquis?* Erat enim tum opinio dominans inter Iudaeos, ante Messiam venturum esse Eliam, Thesbiten illum, igneo curru, vt putabatur, in aera abreptum, huncque illum vncturum, in mundum introducturum, eiusque auctoritatem omni modo adiuturum. Cuius quidem opinionis vestigia extant non modo apud scriptores Iudaicos, quorum loca collegere LIGHTFOOTVS, ad *Matth. XVII*, 10, et WETSTENIVS, ad *Matth. XI*, 13. verum etiam in Vers. Alexandrina, *Mal. IV*, 5. qui locus ibi legitur hoc modo: ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμῖν Ἡλίαν τὸν Θεσβίτην. Atque haec causa erat, quare Ioannem, nisi Messiam ipsum, saltem Eliam Thesbiten esse suspicarentur. Et conueniebat personae similitudo. Vt enim Elias olim, ita Ioannes in solitudine remota a coetibus hominum versabatur, victu tenuissimo et habitu villoso vtebatur, ad animi vitaeque immutationem hortabatur homines, inuehebaturque pari libertate in eorum vitia. Neque tamen Eliam tantum, verum etiam alium aliquem vatum antiquorum, nominatimque Ieremiam, opinabantur rediturum esse ad populum Iudaicum, priusquam Messias aduenerit; de quo vid. *Matth. XVI*, 14. et ad hunc locum interpretes. Vtraque opinio cum vera non

esset, iure suo negauit Ioannes, se Eliam Thesbiten esse, aut alium aliquem e numero prophetarum, reuocatum in hanc lucem.

Iam cum et haec suspicio eos fefellisset, indignabundi paululum, vrgent, dicat tandem ipse, quisnam sit, nec diutius tergiuersetur; et vrgent quidem auctoritate eorum, a quibus missi essent, vt saltem aliquid responsi dare possint. Igitur, non suis quidem verbis, sed, quoniam loquebatur cum hominibus, Scripturarum peritis, verbis Iesaiae, quae iis non poterant non cognita esse, docet, se non esse nisi praecursorem Messiae, qui in illius aduentum praeparet animos, vt salutifer iis adueniat; simulque innuit, Messiam adesse. Respondit enim hoc modo: *praeco ego sum, denuncians: in deserto viam munite Domino.* Hic quidem non videtur disputandi locus esse, num Iesaias, *Cap. XL,* 3. haec proprie in Ioannem et tempora Messiae dixerit, et non potius, quo inclinant plerique recentiorum interpretum, de reditu Iudaeorum ex captiuitate babylonica locutus fuerit; illud tantum monendum, verba: *ἐν τῇ ἐρήμῳ*, ad verbum *εὐθύνατε* referenda esse, quod textus graecus permittit, hebraicus autem propter parallelismum sententiarum postulat.

Sed illi, huius sermonis vim non capientes, et, quoniam Ioannes se neque Messiam, neque Eliam, neque prophetarum antiquorum aliquem palam et ingenue professus esset, et tamen sibi sumsisset ius potestatemque, nouum ritum *) instituendi atque vsurpandi, eoque homines sibi adstringendi seiungendique a societate Iudaica, vehementissime offensi, in primis cum addicti essent sectae pharisaicae, religiosissimae illi et

*) *Nouum ritum* diximus. Nam ante Ioannis tempora baptismum aliquem proselytorum in vsu fuisse, vel valde dubium est, vel plane incertum, vt vel ex hoc ipso loco patet. Vid. DANZII *Vindic. arbitr. dis.* §. 49. *Opp. Theol.* p. 265. sqq.

rituum patriorum tenacissimae, (*οἱ ἀπεσταλμένοι ἦσαν ἐκ τῶν Φαρισαίων,*) quaerunt in hac sua indignatione et magna cum arrogantia, *quid sit, quare sibi sumsisset ius, populum baptizandi?* Ad quae non diserte quidem, sed ita tamen respondit, vt intelligi facile posset, se non suo arbitrio, sed iussu diuino hoc fecisse; neque enim tantum se ministrum Messiae profitebatur, verum etiam clare et magnifice de Messia testabatur. *Ego*, inquit, corpus *aqua tingo*; ille animos tinget spiritu, donis excellentissimis imbuet. Nec mihi adstringo homines, sed illi; nam non procul abest, *sed adstat inter vos*, versaturque in hac populi multitudine tanquam vnus e populo; latuit quidem hactenus, et *vos ignoratis eum* hucusque, nondum enim visum est ei, exserere vim suam et magnitudinem, sed mox conspiciendum se dabit; est quidem humilis secundum mundi opinionem, et obscurus, et nulla pompa externa conspicuus, sed longe alius est, quam videtur. Ego etsi populi iudicio visus sum esse magni aliquid; tamen nihil sum, *si* mea humilitas ad illius magnitudinem conferatur. *Post me veniet, sed ante me fuit.* Tempore prior sum et praedicationis ordine, sed ille personae excellentia. Minister illius sum, sed is est eiusmodi, *vt me indignum existimem, qui ei seruile ministerium praestem.* Caeterum conf. *vers.* 15.

Adeo praeclarum Ioannes de Christo testimonium perhibuit, et non in angulo quidem, sed in loco celebri, Bethabarae, *) quo quotidie solita est magna vis

*) Lectio: *ἐν βηθαβαρᾷ* spuria visa est viris doctis, atque ex ingenio ORIGENIS profecta, in eius locum vero substituenda haec: *ἐν βηθανίᾳ*, sic, vt dicas, fuisse duplicem Bethaniam, alteram Hierosolymis vicinam, alteram ad Iordanem sitam; quod probabile fit inde, quoniam hoc loco additum est: *πέραν τοῦ Ἰορδάνου.* Vid. praeter interpretes SEMLERI *Hallische Sammlung. Part. I. p. 51.*

hominum e diuersis Iudaeae locis confluere baptismi gratia; non priuatim et apud discipulos tantum, sed palam, praesente copiosa populi multitudine; non apud populum tantum et homines indoctos, sed peritos Scripturarum; non sponte et sese veluti ingerendo, quod suspectum reddere solet testem, sed publice; interrogatus denique non a quouis, sed ab iis, qui et potestatem quaerendi haberent, et scientiam indicandi.

Neque tamen tum nominauit Ipsum, aut digito ostendit, partim ne concitaret in eum Pharisaeorum inuidiam, partim vero, vt piorum animos magis accenderet desiderio cognoscendi, de quo tam magnifice praedicasset. Sed *postridie*, et, vt videtur, postquam baptizatus fuerat Dominus, *venientem ad se Ioannes*, versus ad populum, digito illi monstrauit Iesum Nazarenum, vt iam de nomine et facie quoque notum mirari consuescerent atque amare, eumque diserte professus est Messiam, Seruatorem mundi, vsus his verbis: ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, quorum tamen explicatio vehementer exercuit interpretum ingenia, in primis recentiorum. Sed ad ea recte intelligenda, mentique Ioannis et Baptistae et Euangelistae conuenienter explicanda, tenenda sunt haec. Primum Dominus appellatur ὁ ἀμνός· sed hoc nomine quotiescunque in Scripturis insignitus esse legitur, toties sermo est de eius passione et morte, et quidem hactenus, quatenus eam subiit pro hominibus. Etenim quando Paulus, 1. *Cor. V*, 7. *habemus*, ait, *agnum paschalem*, *qui est Christus*, subiecit: *pro nobis immolatus*; atque et Petrus, 1. *Ep. I*, 18. *sq.* Dominum comparauit cum agno, eoque puro et integro, quatenus sanguine suo pretiosissimo homines a peccatis liberauit; in quo loco et illud tenendum est, verbum λυτροῦν, ab Apostolo vsurpatum, petitum esse ex ratione sacrificiorum, dictumque fuisse de liberatione a poenis legis cerimonialis per oblationem sacrificii; quod

sacrificium dicebatur λύτρον, hoc est; pretium, quo redimebatur poena peccati. Ioannes autem, *Apoc. V*, 6. 9. 12. se vidisse, ait, *agnum vulneratum*, et audivisse carmen canentes *agno, qui mactari se passus esset et cruenta morte sua Deo reconciliasset ex omnibus orbis terrarum gentibus, populis et nationibus*; itemque illud: *dignus est agnus mactatus, cui tribuantur honos et gloria. Cap. XIII*, 8. Atque etiam *Ies. LIII*, 7. cum agno comparatur is, qui *vers*. 4. 10. et 11. dicitur peccata nostra tulisse et vitam dedisse vt pretium redemtionis. Ac tali modo Ioannes Baptista cogitauit Iesum, cum ipsum appellaret *agnum*, scilicet tanquam patientem et morientem, et quidem victimae instar. Eum enim innuere voluisse patientiam Domini in ferendis calamitatibus et iniuriis, ipsi illatis, vt existimant interpretes, eius rei in hoc loco est vestigium nullum; hoc autem euidenter patet, Ioannem cogitasse Dominum tanquam morientem, et quidem loco aliorum; nam subiecit verba haec explicandi caussa: *ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου.* Formula enim: *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* plane respondet hebraicae: נָשָׂא עָוֹן, siue נָשָׂא חַטָּאת, quae nunquam significat: peccata remouere, improbitatem e terra exstirpare, vt volunt interpretes nonnulli, sed quotiescunque occurrit in V. T. toties denotat vel: *peccata condonare*, *Gen. XVIII*, 26. *L*, 17. *Exod. XXXIV*, 7. *Num. XIV*, 19. *Ps. XXXII*, 1. 5. 1. *Sam. XV*, 25. *XXV*, 28. vel luere poenas peccatorum, eorumque aut suorum, *Exod. XXVIII*, 38. *Leu. V*, 1. *XIX*, 17. *XX*, 19. *XXIV*, 15. aut alienorum; *Leu. X*, 17. vbi coniunctae reperiuntur formulae: ferre peccatum populi, et: populum apud Deum expiare, tanquam idem declarantes; *Thren. V*, 7. *Ezech. XVIII*, 20. *Ies. LIII*, 4. 11. vbi verbum נָשָׂא commutatum est cum verbo: סָבַל. Quare formula: *ferre peccata*, denotat: puniri propter peccata, sustinere poenas peccatorum; porro: *ferre peccata sua*,

est: puniri propter peccáta sua, et: *ferre peccata aliorum*, significat: pro peccatis aliorum puniri, sustinere poenas peccatorum, quas promeruerunt alii. Plane hoc significatu formulam: αἴρειν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, adhibuit D. Ioannes, 1. *Ep. III*, 5. Nam cum dehortari vellet Christianos ab omni genere vitiorum, vsus est argumento hoc, Iesum sustulisse peccata nostra, hoc est, eorum poenas, siue, vt dixerat *Cap. II*, 2. eum esse ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, peccatorum nostrorum expiatorem. Iam igitur ex hoc vsu loquendi euidente formula: αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, denotare aliud quid non potest, nisi hoc: poenas luere pro peccatis generis humani; et Dominus describitur hoc loco tanquam expiator hominum, qui in se suscepit poenas peccatorum eorum, vt liberari ab iis possent. Atque ita nihil est in his verbis de patientia et mansuetudine Domini in ferendis iniuriis aliorum omninoque huius vitae calamitatibus, quamuis fuerit plane admirabilis, nihil de innocentia animi atque vitae, nihil denique de doctrinae eius vi et excellentia, qua exstirpaturus esset saeculi sui improbitatem et res magnas effecturus, sed omnia referuntur ad mortem Domini eiusque consilium de impetranda hominibus venia peccatorum; neque etiam dicitur αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν τοῦ αἰῶνος τούτου, sed, quod est valde notabile: τοῦ κόσμου, vt intelligatur, hoc eius beneficium pertinere ad genus humanum vniuersum. Omnino autem in his formulis est comparatio manifesta cum victima piaculari, atque inde quoque locus noster intelligendus atque explicandus. Etenim victima eiusmodi cum adduceretur ad aram, cum sacerdos capiti eius imponeret manum, qui erat actus symbolicus, quo significabatur, peccata, ab aliquo commissa, imponi victimae, cum denique mactaretur, tum dicebatur *ferre peccata alterius*; quo denotabatur, eiusmodi victimam luere poenam peccatorum, ab alio commissorum, puniri morte, dum interficeretur et vita

priuaretur, et quidem loco alterius, eoque consilio, vt alter a poena peccati liberaretur. Ergo quando Christus, Dominus, appellatur *agnus, ferens peccata mundi*, manifeste intelligitur is, qui suscepturus esset in se peccata hominum, sic, vt poenas peccatorum lueret, et quidem eorum loco, eoque consilio, vt homines a poena peccatorum liberarentur liberarique possent; describiturque tanquam *sacrificium pro peccatis hominum*, siue potius, tanquam is, *qui offert eiusmodi sacrificium*, tanquam *expiator*; ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν explicauit Ioannes, et quidem περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ὅλου τοῦ κόσμου. 1. *Ep. II*, 2. Nec obstat, quod obiiciunt nonnulli, appellari Dominum hoc loco agnum, agnos vero inter victimas piaculares non fuisse; sufficit enim, agnos tamen fuisse inter sacrificia; nec profecto improbabile est, Ioannem nomine agni data opera vsum fuisse loco animalis cuiusque. Neque offendere potest quenquam, appellatum esse Dominum a Ioanne expiatorem peccatorum mundi; est enim haec, quod negari nullo modo potest, vnanimis doctrina Apostolorum, quippe qui docent ad vnum omnes, mortem Christi esse causam veniae peccatorum, et effectum huius mortis esse remissionem peccatorum. Denique quando dicitur agnus τοῦ Θεοῦ, intelligitur *a Deo destinatus et missus*, indicaturque, Iesum passum esse atque mortuum non casu et fortuito, sed deliberato consilio diuino, Deo volente, destinante, gubernante, adeoque mortem Christi fuisse opus Dei. Vnde sensus verborum Ioannis existit hic: *en expiatorem peccatorum humani generis, a Deo missum!* siue: *en humani generis Seruatorem, a Deo missum!* Sed hic sermo maxime notabilis videbitur cuique, duplicem ob caussam; etenim primum Ioannes diserte Iesum professus est Seruatorem humani generis, deinde vero etiam, eum professus est Seruatorem non talem, qualem Iudaei fore opinabantur, sed qualem Ioannes

Euangelista in toto hoc libro contra Iudaeorum opiniones descripsit, scilicet liberatorem a pernicie aeterna, felicitatisque totius generis humani instauratorem. At propterea sine dubio commemorauit Euangelista hunc sermonem Ioannis Baptistae, quoniam consilio ipsius in scribendo hoc libro fuit accommodatissimus, in quo docere voluit, Iesum esse Seruatorem mundi, qui impetrasset humano generi veniam peccatorum et vitam aeternam.

Sed dicunt, in primis qui nostris temporibus iactant interpretationem librorum sacrorum historicam, cognitionem de Christo eiusmodi, eum scilicet esse moriturum suaque morte genus humanum expiaturum, neque habuisse Ioannem Baptistam, neque habere potuisse, adeoque huius loci explicationem, quam modo vidimus, veram esse nullo modo posse. Ac primum quidem, cognitionem eiusmodi de Christo Ioannem habere *non potuisse*, demonstrari posse putant hoc modo: innutritus erat opinionibus Iudaicis de Messia inde a iuuentute; Iudaei autem ad vnum omnes fouebant opinionem de Messia terreno eiusque regno terreno; immo vero ipsi discipuli Domini, ab ipso instituti per triennium integrum, hac ipsa opinione occupati erant, non tantum quam diu viueret in his terris, sed adeo etiam post mortem eius reditumque in vitam et adscensionem in coelos. Vnde igitur, inquiunt, haec sapientia Ioanni Baptistae? A quonam demum eam audiuerat ac didicerat? Quod discipuli Christi non habebant, habere non potuit Ioannes. Si voluisset dicere his verbis, Messiam moriturum esse, suaque morte humanum genus expiaturum, id ne ipse quidem intellexisset, nedum cepissent ipsum audientes. Deinde vero, Ioannem talem cognitionem de Messia *non habuisse*, euidenter patere putant ex *Matth. XI*, 2. sq. Nam in hoc loco Ioannes dicitur misisse ad Iesum discipulos, quaesituros, quisnam esset. Iam quaerunt,

quonam consilio eos miserit? Num sua, an discipulorum causa? Quicquid autem fuerit, Ioannes videtur vel dubius haesisse, vel Iesum habuisse pro Messia terreno; misit enim, ut Iesum certiorem redderet de conditione sua, eumque excitaret, ad auxilium ipsi ferendum potestatemque suam demonstrandam.

Sed bene habet interpretatio nostra. Etenim in partem contrariam demonstrari potest euidenter, et quidem ex eadem historia, adeoque ex legibus interpretationis historicae, Ioannem meliorem de Christo cognitionem, nominatimque eam, quam ipsi tribuimus, et habere potuisse, et vere habuisse. Et habere eum quidem *potuisse* talem cognitionem, maxime probabile est ex iis, quae de ipso tradita reperiuntur a Luca; *Cap. I*, 15. *seqq.* ibi enim praedicitur futurus esse vir inter Israelitas summus, instructus donis diuinis inde a iuuentute, adducens popularium longe plurimos ad Deum suum, hoc est, ad Messiam, vates Dei O. M. imbuens populares salutari cognitione ad consequendam remissionem peccatorum. Iam vero talis ac tantus, qui imbuere debebat alios cognitione salutis, nonne necesse fuit, vt et ipse haberet talem cognitionem? Deinde vero etiam eum vere *habuisse* cognitionem talem, non minus euidenter patet ex aliis eius sermonibus de Iesu, Domino, a Ioanne Euangelista commemoratis, partim in hoc ipso Cap. *vers.* 27. *et* 33. *sqq.* partim vero atque in primis *Cap. III*, 25. *sqq.* Hic enim locus continet confessionem fidei Ioannis Baptistae de Iesu Seruatore, insigniter notabilem. Et quemnam confitebatur, qualemne putabat esse ac docebat Iesum? Confitebatur vero ac docebat, eum fuisse in coelo, de coelo venisse, de coelo doctrinam suam deportasse, attributis infinitis instructum esse, Filium Dei ipsum esse carissimum, Patrem ei tradidisse omnia, nominatim potestatem, beatos reddendi homines, in se vitam esse salutem humani generis, sic,

vt, quicunque fidem ei habuerit, vita aeterna potiatur; qui denegauerit, vitam aeternam non consequatur, immo vero perniciem sibi contrahat. Talem Seruatorem cum existimaret, statueret, doceret esse Iesum, qui esset Filius Dei, a quo penderet vnice vniuersa salus totius generis humani, quis tandem diceret, aut dicere auderet, eum veram Iesu Seruatoris cognitionem nec habuisse, nec habere potuisse, aut vel dubium haesisse de Iesu, vel in eo Messiam terrenum cogitasse? Nec tale quid ex loco Matthaei, supra laudato, colligi vllo modo posse; de eo non putamus esse dubitationem inter interpretes eruditos. Constat enim, Ioannem non sua causa misisse discipulos ad Dominum, sed ipsorum gratia, vt vel ex *Io. III*, 25. patet. Verissime tamen BENGELIVS, *in Gnom. ad h. l. Ioannes*, ait, *diuinitus instructus appellauit agnum Dei, quanquam primo illo tempore appellationis huius exacta intelligentia, si non ipsum Ioannem, certe auditores eius fugeret.* Sed hanc rem extra omnem dubitationem ponunt, quae in sequentibus de Ioanne tradita reperiuntur, inde a versiculo tricesimo primo vsque ad quartum et tricesimum.

Etenim quo magis commendaret Iesum, Dominum, eiusque dignitatem manifestam redderet populo, repetiit, quae saepius in ore habuisse videtur, quaeque die proxime superiori professus erat palam, praesentibus legatis magistratus summi; et veluti digito monstrauit, hunc illum ipsum esse, de quo dixisset: *post me venturus est aliquis, qui ante me extitit*, quoad naturam, *meque longissime praestat* personae et muneris excellentia; de quibus verbis iam vidimus ad versiculum quintum et decimum.

Verum ne quis erraret, existimaretque, Ioannem tot ac tanta praedicasse de Domino sine causa et veluti per coniecturam, docuit *vers.* 31. et tribus sequentibus, quomodo hanc de Iesu, Filio Dei et Seruatore mundi,

cognitionem adeptus esset, scilicet, quod est valde notabile, diserto oraculo diuino. Etenim, *nec ego ipse*, inquit, *eum noueram, quamuis missus essem, vt vterer baptismate ad illum manifestandum commendandumque populo Israelitico, donec vidissem Spiritum de coelo descendere more columbae, ipsique insidere.* Ita enim cohaerere videntur versiculi tricesimus primus et secundus, et verba: *καὶ ἐμαρτύρησεν Ἰωάννης, λέγων*, continere repetitionem pleonasticam, in dicendi consuetudine hebraica vsitatam, et in vertendo omittendam. Igitur, vt dicebam, *nec ego noueram eum*, tanquam Filium Dei et Seruatorem, priusquam ipsum baptizassem; *sed* Deus, *qui hoc baptismate aquarum me vti iussit, me*, ne quid erroris esset in persona, certo signo docuit, quo ipsum cognoscerem, et *admonuit sic: videbis Spiritum descendentem insidere baptizandorum cuidam, atque hic est, qui sancto Spiritu imbuet; idque vidi ego, ac propterea affirmo, eum esse Filium Dei.* Videtur Dominus vsque ad tempus baptismatis quam maxime ignotus fuisse hominibus, ipsisque adeo cognatis et amicis, et non nisi pro mero homine habitus; versabatur humilis, nec vlla re insignis inter populares, velut vnus quispiam e populo. Sed primum tanquam Messias innotuit Ioanni in baptismate atque per hunc multitudini populi. Ac Ioannes nouerat ipsum quidem de facie, non autem tanquam Filium Dei et Seruatorem mundi; sciebat quidem, Messiam adesse, non autem, quisnam esset et qualis ac quantus. Id demum didicit ex peculiari reuelatione diuina. Contigit enim Ioanni oraculum diuinum hoc: *ἐφ᾽ ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον ἐπ᾽ αὐτὸν, οὗτός ἐστιν.* Videbat autem hoc in Iesu. Hinc certo colligere poterat, eum esse. Igitur non per coniecturam, non ex sermonibus Iesu, multo minus ex eius habitu externo et vultus hilaritate agnouit Iesum Messiam, sed oraculo diuino monitus. Placuit enim diui-

nae sapientiae, Iesum manifestare signo aliquo externo atque adspectabili, vt Ioannes notam certam haberet, qua agnosceret, Iesum esse Messiam, videntes vero audientesque omnes attenti redderentur atque intelligerent, hunc esse virum aliquem insignem, exornatum a Deo donis extraordinariis. Neque enim haec res accidit *κατὰ φάσιν*, vt visum est interpretibus nonnullis, et antiquioribus, et recentioribus, sed vere. Nam apud Matthaeum, *Cap. III*, 16. 17. narratur, coelum adapertum fuisse, quod idem est, atque, nubes discessisse, vt fit, cum fulmina delabuntur ex nubibus, *εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς*, est apud Marcum; *Cap. I*, 10. et Ioannes dicitur vidisse Spiritum Dei descendentem more columbae, et quidem *σωματικῷ εἴδει*, vt habet Lucas; *Cap. III*, 22. vox quoque perhibetur audita fuisse, quae pronunciaret certa verba. Quare dubitari vix potest, rem accidisse vere, modo visibili. Videtur autem fuisse eiusmodi, cuiusmodi fuit effusio sancti Spiritus in Apostolos die pentecostali. Vt enim ibi ignis adspectabilis, ita hic corpus aliquod visibile, *εἶδος σωματικὸν*, delabebatur; atque vt illud, ita etiam hoc fuit indicium donorum extraordinariorum vel conferendorum, vel collatorum. Id autem est in promtu, quando Spiritus dicitur descendisse, non intelligi personam sancti Spiritus, quae non potest locali motu volui, sed dona Spiritus, eaque extraordinaria, muneri alicui gerendo necessaria; quae cum viro alicui diuino, veluti prophetae, conferuntur, Spiritus dicitur ei superuenisse. Igitur quando sanctus Spiritus traditur venisse super Dominum, indicatur, ei, qua homini, vel conferri, vel collata esse dona extraordinaria, quibus opus haberet ad munus Seruatoris et suscipiendum et administrandum. Vnde statim a Luca, *Cap. IV*, 1. dicitur a Iordane reuersus esse *Spiritu sancto plenus*, et *Act. X*, 38. *vnctus fuisse a Deo Spiritu et vi*; atque in vniuersum, quicquid fecit Dominus, fe-

esse traditur ἐν πνεύματι, diuina vi instructus. Cum autem narratur, Spiritum descendisse ὡς, siue, ὡσεὶ περιστερὰν, non exprimitur similitudo formae, sed motus, indicaturque nihil aliud, nisi hoc, signum illud delapsum fuisse, vt columba coelitus deuolare solet, siue, instar columbae volantis, hoc est, velociter. Male igitur fecerunt, qui ex hoc loco occasionem sumerent, depingendi sanctum Spiritum sub specie columbae. Neque alio modo τὸ πνεῦμα ἅγιον intelligendum est in sequentibus. Etenim ne putaret Ioannes, Iesum esse Messiam terrenum, cuiusmodi opinabantur Iudaei, propterea subiecta sunt haec: ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Nam et hic intelliguntur dona sancti Spiritus, partim extraordinaria, quae conferebantur primum Apostolis die pentecostali, et deinde etiam aliis in baptismate et per impositionem manus, quibus opus haberent ad gerendum munus Apostolicum, partim vero ordinaria, non tantum doctrinae et intelligentiae, sed quaecunque demum Domino accepta referenda sunt ad tenendam fidem, peccatorum remissionem, sanctitatem, animi tranquillitatem, vniuersamque huius et futurae vitae felicitatem. Talem igitur Messiam intellexit Ioannes Baptista, talemque intelligi voluit, non terrenum, nullo modo, sed spiritualem, allaturum humano generi bona, non terrestria, sed spiritualia et coelestia. Denique ne quid erroris esset de persona Messiae, docebat, eum esse Filium Dei. Ita enim audiuerat de coelo; neque alio sensu eum appellare poterat Filium Dei, quam quo sensu Pater eum appellauit Filium suum, eundemque μονογενῆ. Sed hoc nomine eum insigniuit Pater, non propter Messiae munus, sed propter naturae communionem, vt demonstrasse nobis videmur ad versiculum decimum quartum. Igitur de natura quoque diuina Domini veram cognitionem et habuit et habere debuit Ioannes Baptista.

Neque tamen satis habuit Ioannes, populo demon-

strasse Iesum tanquam Messiam et commendasse, verum etiam atque inprimis discipulos suos ad fidem adducere studuit. *Postridie* enim *cum Ioannes esset* eodem in loco iuxta Iordanem, *atque vna cum eo discipuli ipsius duo, conspiceretque Iesum ambulantem,* digito demonstrans, *hunc esse,* ait, *expiatorem, a Deo missum. Qua oratione audita, discipuli isti,* (erant autem Ioannes Euangelista haud dubie, et Andreas,) *secuti sunt Iesum* abeuntem, flagrantes desiderio, eum vberius cognoscendi et ab eo discendi. *Iesus autem,* intelligens, quo animo ipsum sequerentur, *intuitus eos, quaerit, quid velint. Isti magistrum appellant et domicilium illius percunctantur;* quo non obscure significarunt consilium ac studium discendi, seque tradendi in amicitiam eius ac disciplinam. Quare Dominus, delectatus pio eorum desiderio, comiter ad domesticum colloquium inuitat his verbis: *venite visum. Venerunt igitur et non tantum viderunt domicilium, vbi habitabat, verum etiam, quia* iam serum *erat, ad horam decimam,* nostro more, quartam pomeridianam, *illo die apud ipsum commorati sunt,* eiusque colloquio vberius instituti, inflammatique sic, vt non solum sibi ipsi gratularentur, verum etiam alios ad huius felicitatis consortium inuitarent. Etenim *alter horum discipulorum, qui Ioannis admonitu secuti fuerant Iesum, Andreas, vt primum nactus est fratrem, Simonem, inuenimus, inquit, Messiam, quod vocabulum Christum denotat, adducitque ad Iesum, qui, eum contemplatus,* vt praesentem integritatem amabat, ita futuram constantiam veluti aenigmate subindicabat, *his verbis vsus: tu Simon vocaris, Ionae filius; vocabere vero Cephas,* *) *quod nomen significat Petrum.*

---

*) Inclytus eris hoc nomine. Etenim καλεῖσθαι denotat saepissime: inclytum esse et ab aliis pro tali agnosci, ore ferri

Sic igitur Iesus Dominus primum per Ioannem Baptistam tanquam Messias manifestatus est populo, in primis autem Ioanni Euangelistae et Andreae, ac per hunc Petro. Atque hoc est notabile testimonium Ioannis Baptistae de Iesu Messia et Filio Dei, quod consulto Euangelista commemorauit hoc loco, vt eo magis fidem faceret ei capiti doctrinae, de quo in sequentibus accuratius exponere instituit.

Iam enim propius accedit ad Iesum ipsum, resque ab eo gestas, explicare incipit a *versiculo quarto et quadragesimo;* a quo initium facere debebant noui segmenti, qui libros sacros in capita distinguerent. Nam, quae tradita leguntur in reliqua parte huius Capitis, arcte cohaerent cum initio sequentis, continentque velvti praeparationem et introductionem in ea, quae commemorata sunt Capite secundo initio. Scilicet Iesus Dominus, commendatus populo a Ioanne Baptista tanquam Messias, noluit diutius commorari in Iudaea. Visum enim erat admirabili ipsius sapientiae ac modestiae, non protinus palam pro Deo se gerere, Deumque se diserte profiteri; nam, vt pulcherrime ait D. Paulus, *Phil. II,* 6. *non raptum iuit diuinitatem*, sed subinde prodere indiciis quibusdam diuinam naturam, quibus animaduersis, qui animos ei addixissent, paulatim adsuescerent, verum sentire. Itaque *postridie rediit,* (ἠθέλησεν ἐξελθεῖν,) *in Galilaeam*, comitantibus ipsum Ioanne, Andrea et Petro, Galilaeensibus, atque in itinere *reperit Philippum* quendam, *natum Bethsaidae, quae erat vrbs patria Andreae et Petri, quem, vt se sibi comitem daret, rogauit.* Ille nihil cunctatus, comitem ei se praebuit, atque, vel ex sermonibus sectatorum, vel ex colloquiis Iesu ipsius,

---

et celebrari. *Matth. V,* 9. *Luc. I,* 76. *Iac. II,* 23. Quod ad rem ipsam attinet, conf. *Matth. XVI,* 18.

eum agnouit Messiam. Vnde *Nathanaelem nactus*, qui et Bartholomaeus appellabatur, *Io. XXI*, 2. *Luc. VI*, 14. amicum et sodalem, eundemque, vt visus est nonnullis, Ioannis Baptistae discipulum, quem et ipsum teneri sciebat incredibili desiderio Messiae venturi, narrat magna animi laetitia, quae sibi euenerint, his verbis vsus: *Messiam inuenimus, de quo vaticinati sunt Moses et prophetae in libris sacris; atque is est Iesus, Iosephi filius, Nazarenus.* Tum enim vulgo ab omnibus putabatur esse Iosephi filius, et hoc nomine notior erat, quam Mariae matris; dicebatur autem *Nazarenus*, quoniam a puero ibi cum parentibus versatus et educatus erat. Id vbi audiuit Nathanael, fauet quidem nuncio laetissimo, sed imbutus magistrorum Iudaicorum opinione, quae tum videtur fuisse dominans, (conf. *Cap. VII*, 52.) nimirum in Galilaea vatem aliquem originem nunquam habuisse, eaque opinione impeditus, dictis Philippi fidem denegauit. Nam: *qui potest, inquit, ex vrbe Nazarena vir excellens existere?* *) Est enim in voce ἀγαθοῦ neutrum genus pro masculino positum. Quam dubitationem cum explicare non posset Philippus, rudis adhuc, inuitat Nathanaelem ad Iesum, non dubitans, quin, viso eo et audito, statim sit crediturus. *Veni, inquit, et videbis*, si mihi credere dubitas. Ita vero breui tempore alius alium adduxit ad Christum, Ioannes Baptista Ioannem et Andream, Andreas Petrum, Christus ipse Philippum, Philippus Nathanaelem. Iuuat enim ad fidem pa-

*) Fuerunt tamen doctorum veteris ecclesiae nonnulli, in his ORIGENES, qui haec verba affirmatiue interpretarentur, non interrogatiue, tanquam Nathanael non dubitauerit, immo vero probabile putauerit, quod Philippus dixerat, existimaueritque contra opiniones Iudaicas, in vrbe quoque Nazarethana extitisse viros excellentes, atque adeo fieri posse, Messiam et ipsum esse Nazarenum; alter vero subiecerit verba sequentia, quibus id ipsum confirmare voluerit.

tria, iuuat amicitia, iuuant humanae necessitudines omnes.

Sed Philippus nactus erat Nathanaelem sub ficu degentem; quod non minus latebat Iesum, quam colloquium ipsum. Quare *Iesus, conspicatus Nathanaelem, venientem ad se*, versus ad suos, demonstrato Nathanaele: *en, inquit, verum Israelitam, integerrimum hominem!* Laudat enim in his verbis antiquam integritatem ac probitatem Nathanaelis, morumque simplicitatem et candorem. Nam *verus Israelita* is dicitur; qui imitatur fidem et mores Israelis; quo sensu et a Paulo vsurpatum legitur, *Rom. IX*, 6. eratque perquam honorificum apud Iudaeos, et fortasse vsu tritum, hominem, animi vitaeque honestate conspicuum, appellare *verum innocentemque Israelitam;* nec improbabilis est coniectura LIGHTFOOTI, Nathanaelem et ipsum insignitum fuisse hoc nomine ab amicis. Deinde vir, *in quo dolus non est*, hominem integrum, denotat scelerisque purum, ex dicendi consuetudine hebraica. *Ps. XXXII*, 2. *XIV*, 5. 1. *Petr. II*, 22. Ita vero Nathanael appellabatur, vel in vniuersum ob totius vitae integritatem sanctitatemque, vel in specie, vt placuit non nullis interpretibus, quoniam in praesenti occasione sceleris omnis expers erat, veneratque ad Iesum non simulate et fraudulenter, quemadmodum alii Iudaei consueuerant. Sed ex his Nathanael facile intelligere poterat, antequam cum Iesu sermonem vllum contulisset, ei se fuisse cognitum. Dominus autem vel ex se ipso, vt res erat, vel ex Philippo, aut alio eius familiari, eam de ipso opinionem habere poterat. Si ex aliis habuisset, nihil magnum, nihil mirum; maximum autem, si ex se ipso. Quaerit igitur ex Domino Nathanael: *vnde nosti me?* Suspicabatur haud dubie, Christo aliquid dictum fuisse de se a Philippo. Quam suspicionem vt amoliretur Dominus,

ostenderetque, se non ex Philippo, aut alio quo, sed ex sese ipsum nosse, abdita patefacit, quae tum praeter Philippum et Nathanaelem scire nemo poterat. Nam, *noui te*, inquit, *antequam Philippus te, sub ficu degentem, huc vocaret.* Quod dicit: *sub ficu degentem*, interpretes antiquiores, veluti CHRYSOSTOMVS et THEOPHYLACTVS, intelligunt sic, tanquam Nathanaelem Philippus reppererit sub ficu quadam, ibique cum illo de Christo locutus fuerit, idque nunc, vt virtutem diuinam in ipso agnosceret, Dominus illi declarauerit. Verissime! Nam colloquium fuerat duorum, nec quisquam, qui renunciare quicquam potuisset, interfuerat. Locus quoque colloquii erat expressus. Hinc non poterat non virtutem diuinam in Iesu agnoscere. Quare non tantum sermone Philippi, verum etiam oratione Domini commotus, plena fide testimonium ei reddidit verbis hisce: *magister, tu es Filius Dei, tu es rex Israelitarum.* Quonam sensu Filium Dei dixerit, itemque regem Israelitarum, ex hoc quidem loco certo doceri non potest; vtroque tamen nomine idem significasse visus est nonnullis interpretibus, si vera sunt, quae post GROTIVM notauit MOSHEMIVS *Obss. ad Origenis Libros c. Cels.* p. 112. et BÜSCHINGIVS ad h. l. Messiam tum a Iudaeis vulgo appellatum fuisse, Filium Dei; *) certe cum regem Israelitarum diceret, de regno terreno cogitasse videtur. Verum quanquam veram notionem Messiae non capiebat, Iesum tamen Messiam esse non dubitabat amplius; et quamuis non ad plenum credebat, in Iesu esse diuinitatem ipsam, tamen in eo admirabatur quiddam maius homine, in primis quoniam nullo nuncio cognouit, quae inter ipsum et Philippum acta essent. Nec Dominus subito, sed paulatim, non vi externa, sed interna, ad fidem ho-

*) Conf. *Io. XI*, 27. et *Matth. XVI*, 16. et quae notauimus supra ad *vers.* 14.

mines adducere voluit, immo vero ostendere potius, ei, qui credit, non esse festinandum.

Quare fidem eius, rudem quidem et ancipitem, sed simplicem tamen et sinceram, non modo confirmabat, verum etiam ad exspectationem sublimioris cognitionis et certitudinis maioris excitabat. Subiiciebat enim haec: *tu* me Dei Filium regemque Israelitarum esse *credis, quia te a me visum esse dixi, cum sub ficu degeres, sed maiora videbis* eius rei documenta. *Etenim verissime affirmo, futurum esse ab hoc tempore, vt videatis coelum adapertum et angelos diuinos adscendentes et descendentes ad filium hominis.* Quae quonam consilio Dominus dixerit, num vt fidem Nathanaelis laudaret, an tarditatem ad credendum reprehenderet, dubium visum est interpretibus antiquioribus, in alteram partem inclinantibus nonnullis, veluti CHRYSOSTOMO et THEOPHYLACTO, tanquam eodem modo taxare voluerit Nathanaelem, quo Thomam, Apostolum, reprehensum legimus. *Io.* XX, 29. Melius tamen sensere alii, in his CYRILLVS, existimantes, laudem tributam esse Nathanaeli a Domino, tanquam dixisset: qui tantum vno meo verbo in fide profecisti, vt me Messiam et Filium Dei profiterere, quantos in ea progressus facies, si maiora a me miracula fieri videris! Itaque laudat Dominus, sed simul exhortatur. Ceterum vltima verba antiquiores interpretes omnes, quos quidem vidimus, accipiunt proprie de ministerio angelorum, quod Domino praestiterunt, dum viueret in his terris a natiuitate eius vsque ad adscensionem in coelos, quodque aliquando praestituri sint in extremo iudicio. Sed sunt haud dubie figurata atque ex vsu loquendi T. V. desumta, in quo frequentissime Deum constat dici, si qua res magni alicuius momenti gerenda esset, aut vbi prouidentiae suae documentum in primis illustre edere vellet, vel ipsum descendisse in terram;

ostenderetque, se non ex Philippo, aut alio quo, sed ex sese ipsum nosse, abdita patefacit, quae tum praeter Philippum et Nathanaelem scire nemo poterat. Nam, *noui te*, inquit, *antequam Philippus te, sub ficu degentem, huc vocaret.* Quod dicit: *sub ficu degentem*, interpretes antiquiores, veluti CHRYSOSTOMVS et THEOPHYLACTVS, intelligunt sic, tanquam Nathanaelem Philippus repererit sub ficu quadam, ibique cum illo de Christo locutus fuerit, idque nunc, vt virtutem diuinam in ipso agnosceret, Dominus illi declarauerit. Verissime! Nam colloquium fuerat duorum, nec quisquam, qui renunciare quicquam potuisset, interfuerat. Locus quoque colloquii erat expressus. Hinc non poterat non virtutem diuinam in Iesu agnoscere. Quare non tantum sermone Philippi, verum etiam oratione Domini commotus, plena fide testimonium ei reddidit verbis hisce: *magister, tu es Filius Dei, tu es rex Israelitarum.* Quonam sensu Filium Dei dixerit, itemque regem Israelitarum, ex hoc quidem loco certo doceri non potest; vtroque tamen nomine idem significasse visus est nonnullis interpretibus, si vera sunt, quae post GROTIVM notauit MOSHEMIVS *Obss. ad Origenis Libros c. Cels.* p. 112. et BÜSCHINGIVS ad h. l. Messiam tum a Iudaeis vulgo appellatum fuisse, Filium Dei; *) certe cum regem Israelitarum diceret, de regno terreno cogitasse videtur. Verum quanquam veram notionem Messiae non capiebat, Iesum tamen Messiam esse non dubitabat amplius; et quamuis non ad plenum credebat, in Iesu esse diuinitatem ipsam, tamen in eo admirabatur quiddam maius homine, in primis quoniam nullo nuncio cognouit, quae inter ipsum et Philippum acta essent. Nec Dominus subito, sed paulatim, non vi externa, sed interna, ad fidem ho-

*) Conf. *Io. XI*, 27. et *Matth. XVI*, 16. et quae notauimus supra ad *vers.* 14.

mines adducere voluit, immo vero ostendere potius, ei, qui credit, non esse festinandum.

Quare fidem eius, rudem quidem et ancipitem, sed simplicem tamen et sinceram, non modo confirmabat, verum etiam ad exspectationem sublimioris cognitionis et certitudinis maioris excitabat. Subiiciebat enim haec: *tu* me Dei Filium regemque Israelitarum esse *credis, quia te a me visum esse dixi, cum sub ficu degeres, sed maiora videbis* eius rei documenta. *Etenim, verissime affirmo, futurum esse ab hoc tempore, vt videatis coelum adapertum et angelos diuinos adscendentes et descendentes ad filium hominis.* Quae quonam consilio Dominus dixerit, num vt fidem Nathanaelis laudaret, an tarditatem ad credendum reprehenderet, dubium visum est interpretibus antiquioribus, in alteram partem inclinantibus nonnullis, veluti CHRYSOSTOMO et THEOPHYLACTO, tanquam eodem modo taxare voluerit Nathanaelem, quo Thomam, Apostolum, reprehensum legimus. *Io.* XX, 29. Melius tamen sensere alii, in his CYRILLVS, existimantes, laudem tributam esse Nathanaeli a Domino, tanquam dixisset: qui tantum vno meo verbo in fide profecisti, vt me Messiam et Filium Dei profiterere, quantos in ea progressus facies, si maiora a me miracula fieri videris! Itaque laudat Dominus, sed simul exhortatur. Ceterum vltima verba antiquiores interpretes omnes, quos quidem vidimus, accipiunt proprie de ministerio angelorum, quod Domino praestiterunt, dum viueret in his terris a natiuitate eius vsque ad adscensionem in coelos, quodque aliquando praestituri sint in extremo iudicio. Sed sunt haud dubie figurata atque ex vsu loquendi T. V. desumta, in quo frequentissime Deum constat dici, si qua res magni alicuius momenti gerenda esset, aut vbi prouidentiae suae documentum in primis illustre edere vellet, vel ipsum descendisse in terram;

veluti *Gen.* *XI*, 5. 7. *Ex.* *III*, 8. *XIX*, 18. *Ps.* *XVIII*, 10. *CXLIV*, 5. *Ies.* *LXIII*, 19. *LXIV*, 2. reliqua; vel angelos, ministros suos, misisse. 2. *Reg.* *XIX*, 35. *Ies.* *XXXVII*, 36. *Ps.* *XXXIV*, 8. Quare Dominus his verbis haud dubie innuere volebat ac docere, discipulos suos ac sectatores in posterum et plura, et vero etiam illustriora argumenta ac testimonia et virtutis et prouidentiae diuinae plane singularis visuros esse, e quibus, quis et qualis sit, euidenter et sine dubitatione intelligere possint.

CAPVT II.

Nec diu euentu caruit haec promissio. Etenim tertio abhinc die, Canae in nuptiis amici, praesentibus his ipsis discipulis, quos modo collegerat, (*Cap. I*, 37. *sqq.*) itemque propinquis et amicis aliis, diuinae virtutis miraculum edidit, adeo manifestum et illustre, quo omnes, inprimisque discipuli isti, in fide, quam modo erant professi, maxime confirmarentur. Quod quidem miraculum commemorasse videtur vir diuinus, et quoniam primum erat vel omnium miraculorum, vel certe eorum, quibus gloriam suam palam manifestaret, et quia ostendere volebat, ratam fecisse Dominum promissionem eam, quam discipulis dederat ad finem Capitis antecedentis, quocum arctissime cohaerere supra diximus initium huius, denique quoniam, vt disertis verbis indicauit versiculo vndecimo, efficacissimum erat ad illustrandam maiestatem Iesu Domini. Est vero tota narratio ita plana et perspicua, et quae habere possent difficultatis aliquid, abunde excussa sunt ab interpretibus, vt pauca tantum addere liceret.

Triduo post Canae in Galilaea celebrabatur conuiuium nuptiale, cui intererat mater Iesu et Iesus ipse cum discipulis. Etenim Dominus, baptisatus a Ioanne Baptista, populoque commendatus tanquam Messias promissus, non diu commoratus erat in Iudaea, sed redierat potius in Galilaeam, in qua notior fuit, quam in reliquis regionibus Iudaicis, quamuis nondum inclaruisset praeclare factis, quorum tamen magna multitudine edendorum occasionem nactus est creberrimam. Ac talis ei se obtulit statim *die tertio*, vel quo reuersus esset in Galilaeam, vel, quod videtur esse probabilius, quo ille cum Nathanaele [illegible], quae [illegible]-

rantur ad finem Capitis antecedentis. Interfuit, ob affinitatem, vt videtur, conuiuio nuptiali, vna cum matre et discipulis, iisque non duodecim, sed quinque tantum, quos modo collegerat, et qui nominati sunt *vers*. 35. 41. 42. 44. et 46. Capitis antecedentis, nimirum Andrea et cum eo alio quo, qui haud dubie fuit Ioannes, Petro, Philippo et Nathanaele.

Inter coenandum *cum vini copia deficere inciperet, id mater Iesu ei significat verbis his: vino destituuntur;* eique inopiae quomodo succurrendum sit, quaerit. Maria quare in curae partem venerit et quonam consilio id significauerit filio, dici certo non potest. Illud tamen credibile est, quod putant nonnulli, eam officii causa adfuisse, tanquam nuptiarum magistram, cuius fuerit, rerum, ad conuiuium pertinentium, curam gerere. Nec plane improbabile est, quod statuerunt nonnulli, eam edoctam fuisse experientia, Iesum vario modo, etiam miraculoso, necessitatibus vitae subuenire posse et tali modo parentum inopiae succurrisse. Saltem eiusmodi quid colligi posse videtur, partim ex hoc sermone Mariae eiusque fiducia, qua filio hanc rem significabat, partim ex responsione Domini.

Etenim *respondit illi Iesus: missum me fac, o mea; nondum adest tempus opportunum.* Neque enim adeo dura fuit et aspera responsio Domini, vt primum videtur, aut vt expressa est in versione germanica. Nam appellatio: *γύναι,* qua alias quoque vsus est Dominus, *Cap. XIX*, 26. et *XX*, 15. fuit vel maxime honesta, apud Graecos quoque, qui reginas adeo hoc nomine appellare solebant, reddique posset: *carissima.* Deinde verba: *τί ἐμοὶ καὶ σοί,* continent formulam, in vita communi vsitatam, atque inde petitam et explicandam; quare varias significationes habere potest pro ratione subiectorum et rerum, et quamuis dura videatur, emolliri tamen poterat sono vocis, quo pronunciabatur. Denotat itaque fere hoc: lassen sie mich

sorgen, gute Mutter. Certe non est formula reprehendentis, aut recusantis, sed potius consolantis et promittentis. Atque id sequentia quoque docent: οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου. Nam his ipsis verbis promisit matri, se suo tempore satisfacturum esse desiderio eius et curam gesturum, vt vinum acciperent. Monet tantum, tempus opportunum nondum adesse, se vero id obseruaturum. Atque hoc sensu accipiebat Maria, opemque a filio exspectabat. Consulto autem differebat Dominus opem suam, quo magis innotesceret omnibus et vini defectus, et miraculi veritas et magnitudo.

Quare illa ministros mensae iussit, vt facerent, quicquid praeciperet; scilicet plena spe dulcissima, fore, vt inopiae succurrat. Neque enim offendebatur responsione filii, neque diffidebat de eius beniuolentia et virtute; modo famulos iubet, facere, quicquid voluerit; caeterum nihil respondet filio, sed ei temporis ac rei gerendae arbitrium tacita relinquit.

Erant autem ibi ad vsus lotionum Iudaicarum hydriae lapideae sex, quarum singulae capiebant cados binos aut ternos. Ac ὑδρία quidem erat vas, ad aquam recipiendam destinatum; *Cap. IV*, 28. earumque ibi positae erant sex, in vsum solennem, vt, si quis ad Iudaeorum consuetudinem lotione se purgare vellet, haberet paratam aquae copiam; de qua consuetudine videri potest LIGHTFOOTVS *in Horis* ad hunc locum. Erant porro tanta amplitudine, vt quaeque caperet duas aut tres metretas, seu, cados. Sed μετρητὴς erat genus mensurae liquidorum, alias amphora dicebatur, et quidem Attica, hebraice: בַּת, quod interpretes Alexandrini reddiderunt: μετρητής. 2. *Chron. IV*, 5. Conf. EISENSCHMIDIVM *de ponderibus et mensuris Sect. II. Cap.* 4. et interpretes ad hunc locum, qui variis modis hoc genus mensurae cum nostro comparare tentarunt, omnes autem consentiunt, fuisse admodum magnum.

Iesus, tempus opportunum adesse sentiens, *iubet hydrias aqua repleri; ministri implent ad summam vsque. Iubet porro, inde haurire, et magistro conuiuii afferre; atque afferunt. Hic vt gustarat aquam, in vinum mutatam, ignarus, vnde esset; quod sciebant famuli, qui aquam hauserant, sponsum compellat his verbis: alias apponi solet ab initio vini genus praestantius, deinde vero, postquam ad satietatem biberunt conuiuae, ignobilius; tu cur optimi generis vinum ad finem coenae seruaueris, non liquet.* Res adeo minutas commemoratas hic esse a Ioanne, mirum visum est nonnullis. Sed facile perspicere potest intelligentissimus quisque, id factum esse data opera et sapienti consilio, scilicet, vt in oculos incurreret miraculi et veritas et magnitudo. Res agebatur in conspectu omnium, vt fraudi nullo modo locus esse posset. Hydriae positae erant ad consuetudinem Iudaeorum ad manus conuiuarum abluendas, aut ad vasa potoria et escaria eluenda, adeoque nullo alio liquore refertae, quam aqua. Erant lapideae et molis maioris, quam vt facile possent deferri ad fontem, aut puteum, vt potius aliis vasis in illas aqua esset congerenda. Erant magnae amplitudinis et impletae ad marginem vsque, continebantque magnam copiam aquae, atque adeo etiam vini, ex aqua facti, vt nemo posset suspicari, illud per fraudem fuisse procuratum. Mandavit Dominus, hydrias aqua complere, non discipulis, sed famulis, vt et hic abesset suspicio fraudis. Hos vinum gustandum praebere iussit ἀρχιτρικλίνῳ, hoc est, ei, qui conuiuio curando praefectus erat. Is nesciuisse dicitur, vnde vinum profectum esset; et tamen generosissimum esse iudicabat; idque testabatur non ex fauore erga Iesum, sed ex rei veritate. Famuli sciunt, nil nisi aquam fuisse, quam hausissent. Sponsus scit, tale vinum apparatum non fuisse. Omnes agnoscunt, aquam versam esse in vinum, idemque optimum.

Accedit iudicium Ioannis de his omnibus, non tantum hoc loco, sed etiam alio. Etenim versiculo vndecimo subiecit haec: *tale tamque illustre initium fecit Iesus miraculorum suorum Canae in Galilaea, eoque manifestauit maiestatem suam, sic; vt discipulorum fides quam maxime confirmaretur.* Igitur ex sententia Ioannis Dominus edidit miraculum, et quidem miraculorum primum, eoque manifestauit τὴν δόξαν αὐτοῦ, hoc est, vim virtutemque Filii Dei, vid. *Cap. I*, 14. explicauerat; idque bene intellexisse, ait, discipulos, eorumque fidem in Iesum hoc miraculo valde esse confirmatam; nam πιστεύειν accipiendum est de fidei augmentis et incrementis; fides autem eorum, quam modo professi erant, *Cap. I*, 42. 46. et 50. fuit haec, Iesum esse Messiam, promissum per prophetas, eundemque Filium Dei. Sed idem iudicium repetiit quoque Ioannes alio loco, nempe *Cap. IV*, 46. commemorauitque tanquam miraculum omnipotentiae diuinae, Iesum Canae in Galilaea aquam vertisse in vinum. Quare qui de huius miraculi veritate dubitauerit, idque in sensum facti vulgaris, a fraude vix alieni, detorquere ausus fuerit, is, necesse est, omnem legitimam interpretationem vel ignoret, vel certe negligat, et vniuersam historiae veritatem in fabulam conuertere tentet; quemadmodum praeclare demonstrarunt, qui nuperrimi cuiusdam interpretis dubitationes contra veritatem huius miraculi sub examen vocarunt; nominatim HEVBNERVS, Dissertat. quae inscribitur: *miraculorum ab Euangelistis enarratorum interpretatio grammatica, Witteb.* 1807. *p.* 15. FLATTVS *Commentat. über das Wunder der Verwandlung von Wasser in Wein, in* SÜSKINDII *Magazin für christliche Dogm. und Moral, Part.* 14. *p.* 75. *sqq.*

Sed haec priuatim gerebantur, in obscuro oppidulo, inter cognatos atque in eorum maxime vtilitatem, qui et ipsi tum non adeo praeclare de eo sensisse viden-

tur. Erat tamen veluti prolusio, praeludens pluribus et maioribus. Etenim a *versu duodecimo* docuit D. Ioannes, atque ostendit, quomodo ex obscuritate communis hominum vitae in publicum Iudaeorum prodierit Dominus, et in lucem adspectumque proferre coeperit virtutem auctoritatemque diuinam, a Patre coelesti acceptam. Nam Capernaumum petiit, vrbem miraculis et doctrina eius celeberrimam. Tum vero non nisi per paucos dies ibi commoratus est. Instante enim paschate Hierosolymam se contulit, non tantum vt ex legis praescripto dies illos religiose ibi transigeret, verum etiam vt ibi semina fidei iaceret, et miraculis edendis, et doctrina promulganda. Etenim templum ingressus, cultui diuino dicatum, offendit non templi speciem, sed forum. *Reperit enim in atrio, qui venderent boues, oues, columbas,* atque eius generis alia, quae ex consuetudine Iudaeorum offerri solebant, aut sacerdotibus donari, *itemque numularios*, qui minutiore moneta mutarent maiorem, aut sacra et domestica profanam et peregrinam, atque inde quaestum sordidum et iniquum facerent, et templi religionem profanarent; quos ille omnes cum mercatibus suis exturbauit. Nam *flagello, ex funibus confecto, oues et boues omnes eiecit, pecuniam autem numulariorum effudit in terram, mensis euersis,* *) *et columbas vendentibus praecepit, ista hinc auferre, ne domum, Patri suo colendo dicatum, in domum mercatus conuerterent.* Verum et haec sunt in promtu; modo illud posset habere difficultatis aliquid, quod Ioannes hanc rem ad muneris Christi annum primum refert, reliqui

*) Lectio recepta ἀνέστρεψε non videtur esse sollicitanda, vt LAMB. BOSIO placuit. Nam et verbum ἀναστρέφειν hoc significatu in vsu est, de quo exempla multa KYPKIVS ad h. l. collegit; quamuis negari non possit, lectionem ἀνέτρεψε esse elegantiorem.

vero Euangelistae ad annum vltimum. *Matth.* XXI, 12. *Marc.* XI, 15. *Luc.* XIX, 45. Sed et haec difficultas quomodo tolli possit ac debeat, interpretes docuerunt, sic, vt statuendum esse praeciperent, vel Ioannem non tenacem fuisse ordinis temporum, vel, in quam sententiam inclinauit iam CHRYSOSTOMVS, eandem rem bis accidisse.

Atque et illud manifestum est, Iesum edidisse ingens virtutis suae documentum; quod et ipsi venditores emtoresque sensisse videntur, iussis Domini prompte et sine mora obtemperantes. Discipuli vero inde intellexerunt ardentissimum eius aduersus religionem studium, quod diserte monuit Ioannes. *Nam recordati sunt*, inquit, *loci Scripturae: cultus tui amore vehementissimo teneor*. Hic enim haud dubie est sensus loci *Ps.* LXIX, 10. Nam vocabulum ζῆλος non tantum aestum animi impetumque denotat, verum etiam studium alicuius rei et amorem. Verbo autem *comedendi*, itemque *incendendi* et id genus aliis, vsi quoque sunt scriptores graeci et latini ad exprimendum studium acre et vehemens. Denique οἶκος non tantum domum significat et templum, sed etiam cultum, qui ibi praestatur Deo, religionemque vniuersam. At vero etiam totius populi exspectationem in se excitauit Dominus hac re, qui et ipse magni quid et insoliti reperiebat in eo, quod ignotus homo tanta auctoritate saeuiret in eos, qui rem sacerdotum ac religionis, nisi iussu, saltem permissu senatus summi, adiuuare viderentur, et vnus, nulla instructus vi, nemine impediente, tantam multitudinem abigere auderet. Nam quando quaesiuerunt sic: *quonam tu argumento nobis demonstras*, *) *tibi haec*

---

*) Siue etiam: *quale exhibes nobis, quale edere potes miraculum*. Nam verbum δεικνύειν non tantum denotat: monstrare, sed etiam: vere dare, exhibere. Vid. SCHLEVSNERI *Spicilegium Lexici in interpretes gr. V. T. Spec. II.*

faciendi potestatem competere; intellexisse videntur, magni aliquid esse, quod fecerit, et non nisi diuina potestate instructis eiusmodi quid licere, adeoque de Iesu admodum praeclare sensisse, parumque abfuisse, quin pro viro aliquo legatoque diuino agnoscerent, modo postulasse, vt argumento, nulli dubitationi obnoxio, se talem probaret. Atque cum Dominus daret responsum hoc: *templum hocce vos destruetis, at vero ego intra triduum restituam;* promisit signum euidentissimum, ex quo sine omni dubitatione posset intelligi, se non modo iure suo vsum esse potestate illa, verum etiam legatum diuinum, ipsumque adeo Messiam esse. Nam modum imperandi λύσατε habere interdum vim temporis futuri, in promtu est, et vel ex GLASSIO, p. 286. constat; verbum autem λύειν denotare *destruere*, ἐγείρειν vero *reficere*, *denuo exstruere*, satis docuerunt interpretes, ELSNERVS, LAMPIVS, KYPKIVS, LOESNERVS. Igitur resurrectio Christi signum maximum fuit, quo declarata est legatio eius diuina. Ac Dominus quidem data opera per aenigma respondit, cui occasionem praebebat templum, in quo versabatur. Sed Iudaei non capiebant sermonis vim, immo vero non modo absurdum putabant esse, verum etiam impium. Nam templum destruere tantae religionis, impium erat, destructum autem tantae molis aedificium triduo instaurare, dictu absurdum videbatur. Intelligebant enim sermonem Domini proprie, eiusque bene memores, suo tempore in crimen capitale conuertere audebant. Sed qualis intellectus erat, talis eorum responsio. Etenim *quadraginta et sex annis*, inquiunt, *hoc templum* *) *exstructum est, et tu triduo exstrues?*

*) Intelligendum autem esse templum non Sorobabelicum, sed Herodianum, nunc quidem constat inter viros doctos. Etenim Herodes M. templum, destructo Sorobabelico, totum a fundamentis aedificauit, non totum quidem eodem tem-

Sed per templum innuebat corpus suum, quod illi per impietatem suam morte essent destructuri, ipse vero virtute diuina intra tertium diem instauraturus. Sane locutus erat obscurius, nec explicuit sermonis inuolucrum, sed data opera, quoniam non magis credituri fuissent, quam exhibito hoc maiestatis Christi documento credebant. Ac ne discipuli quidem tum assequebantur sermonis potestatem ac sententiam, sed tamen recondentes in pectore, quid sibi vellet, admirabantur peracta resurrectione Domini. Etenim *cum rediisset e morte in vitam, huius sermonis recordabantur*; et quo magis intelligerent, euentum sermonibus Domini respondisse, eo magis *fidem habebant* et Scripturae et *dictis Iesu*.

Sed excitauit tamen iam tum non exiguam totius gentis Iudaicae de se exspectationem, non tam doctrina tradenda, quam potius edendis miraculis. Nam *per hos dies festos Paschatis, quos Hierosolymis agebat, visis miraculis eius, commoti sunt multi, fidem in eum concipere*, siue, eum pro viro aliquo diuino, atque adeo ipso Messia habere. Hanc enim notionem formulae: *πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ*, seu, *εἰς αὐτὸν*,

---

pore, sed per partes; et sanctissimum quidem exstrui curauit intra annum cum dimidio, et sanctum intra annos octo; sed aedificiorum externorum instauratio et exornatio annis vix quinquaginta absoluta est. Initium fiebat anno imperii Herodiani decimo octauo; atque inde ab hoc tempore vsque ad tempus id, quo Iudaei ista dicebant, effluxerant ipsi anni sex et quadraginta. Insignis in hanc rem et maxime memorabilis locus est IOSEPHI, *Ant. Iud.* XV, 11. *Tom. I. Opp. p. 777. sqq. ed. Hauercamp.* ad quem, vti de tota hac re, videndi sunt, qui ibi laudantur, in primis SCALIGER, *de Emendat. Temp. L. VI. p.* 635. CASAVBONVS, *adv. Baron. Exercit. XIII. n.* 22. et VSSERIVS, *Annal. ad ann.* 3987. Breuiter quoque, sed accurate eum explicauit ERNESTI, *Prol. de templo Herodis M. Opp. Philol. Crit. p.* 351.

inesse hoc loco, ex serie orationis patet, vt nempe in vniuersum denotet: credere, Iesum esse vatem aliquem, diuinitus missum, siue Messiam ipsum; quamuis qui eum Messiam esse crederent, veram notionem Messiae non habuerint. Nicodemus, qui inter illos fuisse non improbabiliter videtur, *Cap. III*, 2. explicauit fidem suam his verbis: *οἴδαμεν, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος*. Est tamen hic locus admodum notabilis propterea, quoniam inde intelligi potest, quamnam vim Ioannes tribuerit miraculis Domini, quodque fuerit consilium eorum primarium. Docet enim, miraculis Iesu excitatos esse non paucos ad credendum, eum esse diuinitus missum. Igitur miracula edita fuisse statuit ad demonstrandam legationem Iesu diuinam. Idem declarauit *Cap. XII*, 37. *sqq.* ibi enim late exposuit, quantopere peccauerint Iudaei, quod ne miraculis quidem, a Domino editis, excitari se siuerint, Messiam in eo agnoscere, eiusque rei causam ex loco V. T. docuit fuisse mentis stuporem ac negligentiam et auscultandi et contemplandi. Pari modo de miraculis Domini iudicarunt Apostoli reliqui, veluti Petrus, *Act. II*, 22. vbi docuit, Iesum multis miraculis demonstratum esse *ἄνδρα ἀπὸ θεοῦ*. Neque aliter sentiebant inter Iudaeos ii, quicunque vidissent miracula Domini, essentque animo ad intelligendum verum composito; iudicabant enim, in iis esse argumentum euidens, quod nullam dubitationem relinquere possit, Iesum esse virum, a Deo missum; quemadmodum clare docent exempla, *Cap. III*, 2. *VII*, 31, *IX*, 30. *sqq.* commemorata. Atque et Dominus ipse eandem vim tribuit suis miraculis. Quotiescunque enim de iis locutus est, toties colligi ex iis voluit, se esse eum, quem dixisset, missum nempe a Patre ad salutem hominibus et acquirendam et tribuendam, ostenditque, Iudaeos, nisi verbis ipsius ac doctrinae fidem habere voluissent, factis saltem et operibus eius credere oportuisse; veluti *Cap. V*, 31. *sqq.* *X*, 25. 38.

XIV, 11. XV, 24. vt ad haec loca videbimus. Atque et hactenus miracula Domini illo tempore fuerunt maximi momenti. Hinc quando Iudaeos taxasse legitur, quod miracula desiderauerint, veluti *Cap. IV*, 48. *Matth. XII*, 39. id non fecisse putandus est in contemtum miraculorum, quasi parum iis tribuisset, tribuique voluisset, nullo modo, sed propter stuporem eorum, qui credere nollent, nisi conspicatis miraculis. Igitur consilium miraculorum, editorum a Domino nostro, spectabat non ad confirmandam doctrinae suae veritatem, quam potius ad homines sui temporis alliciendos mouendosque; vt audirent ipsum admitterentque, atque ad edocendos eos confirmandosque, eum a Deo missum esse; erant enim signa euidentissima maiestatis et potentiae diuinae, in eo conspicuae, et declarationes Dei de missione eius diuina. Veritas autem doctrinae christianae per miracula Domini nec demonstrata est, nec demonstrari potest, nisi per consequens, hactenus nempe, quatenus erant documenta legationis diuinae; illa enim ab aliis argumentis pendet, firmiterque staret, etsi miracula nulla facta essent. Verissime THEOPHYLACTVS, *in Cap. VII. Io.* οὐκ ἀπὸ τῶν σημείων, inquit, δεῖ πιστεύειν οὕτως ὡς ἀπὸ τῶν γραφῶν· ἡ γὰρ διωρθωμένη πίστις ἀπὸ τῶν γραφῶν ἐστι· *non tam propter signa, quam propter Scripturas credendum est; fides enim vera ex Scripturis est.* Et CHRYSOSTOMVS *Hom. XII. in Matth.* τὰ σημεῖα οὐ τοῖς πιστεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀπιστοῦσι· *signa non dantur credentibus, sed iis, qui non credunt.* Similia loca excitauit SVICERVS sub voce σημεῖον.

Neque tamen fides eorum, in quorum animis miracula spem aliquam de Domino excitauerant, satis certa erat et accurata; quod Ioannes innuit verbis his; *Iesus autem, cum nosset omnes, iis se non credidit,* non vsus est iis familiariter; sciebat enim, fidem eo-

rum rudem esse et ancipitem, nec ignorabat inuidiam et maleuolentiam Pharisaeorum. Ac tam sapienter egit non aliorum admonitu; *nam opus non habebat aliorum testimoniis de hominum suae aetatis sensibus et cogitatis; quippe ipse sua vi perspiciebat, quo quisque animo esset.*

Sed fuit tamen vis miraculorum Domini tanta, vt adeo etiam ex Iudaeorum principibus nonnullos ad fidem traheret; quod notabili exemplo illustrauit Ioannes Capite sequente.

CAPVT III.

Inter eos enim, qui conspectis Iesu miraculis nonnullam de eo opinionem conceperant, erat quidam *Nicodemus*, *sectae Pharisaeorum addictus*, idemque iuris consultus et *senatus summi Hierosolymitani assessor*, *) qui Dominum deinceps adiit inter priuatos parietes, instituitque cum eo sermonem multis de causis notabilem et consilio Ioannis in scribendo hoc libro accommodatissimum, ac propterea dignissimum, qui primo loco commemoraretur, quoniam in eo luculentum in modum Dominus ipse *de Messia disseruit, quidque et quomodo de eius persona et opere sit statuendum, edocuit.* In quo tamen explicando nec de consilio Nicodemi consentiunt, nec de summa sermonis ipsius eiusque argumento praecipuo satis recte statuere videntur interpretes.

Fuerunt enim, suntque etiamnum, veluti IO. CONR. SCHWARZIVS *Commentar. ling. graec. N. T. p.* 940. et KOPPIVS, **) qui Nicodemum vehementer reprehendendum taxandumque esse existimarent, hominemque putarent fuisse vel timidum, vel superbum, vel astutum et callidum, atque adeo etiam impium et sceleratum, qui, pietatem in Dominum ac reuerentiam, discendique cupiditatem simulans, pessimo consilio ipsum adiisset, vt percunctando interrogandoque ex eo eliceret, cuius accusari apud senatum

---

*) *Ἄρχων τῶν Ἰουδαίων*, siue etiam, vt alias eiusmodi homines dicuntur, *τοῦ λαοῦ*. Conf. *Cap. VII*, 50.

**) In commentat. inscripta: *interpretatio orationis Christi cum Nicodemo*, Gotting. 1778. et repetita in POTTII *Sylloge Commentatt. theolog. Vol. VI. p.* 31. *sqq.*

summum posset. Nos quidem eiusmodi quid in eo reperire non potuimus, sed potius optimum integerrimumque virum censemus fuisse, qui fortasse paucissimos illo tempore haberet sibi similes. Nam quod accessit *tempore nocturno*, seu potius, *vespertino*, (νυκτὸς,) eius rei causa excusandus potius videtur esse, quam taxandus; fuit enim metus potius, si metus fuit, quam impietas, pudor humanus verius, quam peruersitas; potest autem et metus habere iustas causas, et pudor generosis quoque ingeniis solet insitus esse. Deinde consilia eius praua, si qua habuisset, Dominus sciuisset accurate, (nam perspiciebat quoque, vt est ad finem Capitis antecedentis, quid lateret in vniuscuiusque pectore, et quo quisque in ipsum animo esset,) longeque aliter eum allocutus fuisset et tractasset, quam videmus fecisse. Etenim non repulit timidum, sed comiter excepit imbecillem quidem, sed malitiae expertem, edocuitque accuratius et euidentius de rebus longe grauissimis, quam apud suos ipsius discipulos intimosque amicos fecit, certe tum facere potuit. Denique quae idem Ioannes de eodem Nicodemo deinceps tradidit, *Cap. VII*, 50. *XIX*, 39. omnia alia loquuntur; fuit enim haud dubie idem ille, qui auctoritate sua patrocinaretur Domino aduersus Pharisaeorum calumnias, quique mortuo sepulturae officium exhiberet. Vnde vix dubitari posse videtur, Nicodemum venisse consilio optimo.

Sed quonam? Ac plerique quidem omnes, quantum vidimus, eum putant rescire voluisse, *quid sibi faciendum esset, vt potiretur regno coelesti*, seu, *felicitate aeterna*, atque adeo *de vera ratione iustificationis coram Deo*, siue, *de modo salutis tenendae* quaesiuisse; de quo tamen, vt libere fateamur, nobis videtur statuendum esse aliter. Sane in principio sermonis siue Nicodemus, siue Ioannes causam non diserte et perspicue explicauit; potest tamen facile intelligi ex

responsione Christi, quam quidem contineri putamus versiculo decimo quarto et sequentibus. Vt tamen in illam opinionem inciderent viri docti, quaestionem esse de modo consequendi salutem aeternam, decepti fuisse videntur verbis Domini: *nisi quis denuo natus fuerit, non potest potiri regno divino;* quibus quidem putarunt doceri viam salutis tenendae, omnibus hominibus ineundam. Verum his verbis, omninoque toto loco, a versiculo tertio vsque ad decimum tertium, non continetur responsio ipsa ad quaestionem propositam, sed *admonitio, sequenti responsioni praemissa,* qua quidem praemonere Dominus voluit Nicodemum, quam ardua esset quaestio atque impedita, quamque difficile, vt Iudaei illorum temporum de ea edoceri atque ad credendum adduci possent, propter opiniones peruersas, quibus occupati excoecatique tenerentur eorum animi; quas quidem ante omnia exuere oporteret, mentemque nouam induere, si veram vim capitis doctrinae, de quo quaerere instituisset, capere voluerint. Ac deinde demum, *inde a versiculo quarto et decimo* sequitur *responsio Domini ad quaestionem propositam,* in qua quidem edocuit Nicodemum *de persona Messiae, de morte eius, mortisque consilio, causis et effectis.* Vnde euidenter patet, quaestionem fuisse *de Messia in genere, et de eius persona ac salute, ab eo exspectanda,* de quo variabat multitudinis opinio, et Nicodemum rescire voluisse, *quisnam futurus esset Messias, quidnam demum ab eo exspectandum.* Scilicet siue ipse quodammodo intellexit, populum Iudaicum illius temporis de Messia non recte sentire, modo dubius haesit, et certiorem atque accuratiorem de ea re cognitionem optauit, sibique a Iesu expetiit, vt nonnulli interpretes non improbabiliter existimarunt; siue, quod videtur esse vero similius, communem illorum temporum sententiam de regno Messiae terreno fouit; sperabat tamen cum vniuerso populo, tempus venturi Messiae nunc

adesse; et cum sciret, eam spem denuo factam et excitatam esse praeconio Ioannis Baptistae, *Matth. III, 2.* fuissetque inter eos, qui *Io. II,* 23. visis miraculis Domini, praeclaram de ipso opinionem concepisse dicuntur, Iesum adiit, discendi cupiditate incensus, atque de Messia futuro eiusque regno institui edocerique voluit paulo accuratius. Quaerit igitur, quid tandem de Messia sit statuendum, quisnam futurus, quid effecturus, quaenam tandem bona allaturus sit, num regnum Israelis propediem erigendum, num istud a Iesu exspectandum, vti fama ferebat; siue, vt breuiter dicamus, quaerit *de notione et regno Messiae.* Et Dominus libenter satisfecit eius voluntati; modo ante omnia monuit, quam parum ea res ad captum populi Iudaici accommodata, quam difficile esset, vt de Messia edoceri eiusque regno potiri Iudaei possent; quod si fieri deberet, opus esse ingenti mutatione, quoad vniuersam sentiendi agendique rationem; quibus praemissis incipit tandem inde a *versiculo decimo quarto* edocere Nicodemum de Messia, de quo quaesiuerat. Hoc putamus esse consilium huius sermonis, hanc occasionem et summam eius veramque sententiam. Hinc intelligi potest, quam notabilis sit et esse debeat hic sermo, *in quo Messias de Messia instituit* luculentum in modum. Iam locum ipsum videamus; modo illud monebimus, haud dubie non integrum sermonem hoc loco legi, sed eius tantum partes praecipuas, vt factum videmus esse etiam in aliis.

Primum igitur testatur Nicodemus, quonam sit aduersus Iesum animo. Orditur enim sermonem verbis hisce: *magister, persuasum nobis est, te esse doctorem diuinitus missum, quoniam tanta miracula, vt tu, edere nemo potest, nisi habuerit Deum praesentem et opitulantem.* Itaque Iesum, nisi ipsum Messiam esse credebat, quod tamen non improbabile videtur, illud certe persuasum sibi habebat, vatem diuinum esse, a quo institui certo et accurate posset, quid de Messia et

regno Israelis esset statuendum. Nam praemisso elogio perquam honorifico, vel quaestionem Domino disertis verbis proponebat, a Ioanne non expressam, quoniam ex sermone ipso intelligi facile poterat, vel Dominus eum interrumpebat, per omniscientiam satis intelligens, quid sibi vellet. Etenim instituit dicere (ἀπεκρίθη) sic: *id pro indubitato habeto, non nisi qui denuo natus fuerit, adire posse regnum Messiae.* Haec verba, omnique totam disputationem si quis velit accurate perspicere, ante omnia tenendum est, *in hoc toto sermone respexisse Dominum non ad omnes omnium temporum homines, sed proprie ad Iudaeos; eumque adeo etiam de his proprie intelligendum explicandumque esse.* Docuit enim, quonam *Iudaeis* opus esset, quid faciendum, quaenam via ineunda, si voluerint et regni Messiani vim et indolem recte percipere, et vero etiam eius felicitate potiri. Nam appellatio: ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, in sermonibus Christi et Apostolorum patet latissime, exprimitque *regnum Christi vniuersum*, seu, omnes omnino partes muneris Christi et olim peracti et peragendi vsque ad finem rerum humanarum. Est enim *regnum Christi* institutum Dei, quo decreuit et voluit, salutem generis humani reparare per Filium suum, sic, vt eum mitteret in has terras, non modo ad homines de salute ipsorum edocendos, sed etiam ad hanc ipsam salutem iis acquirendam per mortem in cruce, deinde vero e morte in vitam reuocaret atque ad dextram maiestatis suae collocaret, daretque vim ac potestatem, regundi generis humani, adducendi ad salutem, quicunque crediderint, mortuos quoque aliquando suscitandi et rependendi cuique pro factis. Et ratione Domini nostri *regnum Christi* est opus eius, a Patre ipsi demandatum ad salutem hominibus et acquirendam et conferendam, quodque peregit olim, cum in his terris viueret, non tantum docendo, sed etiam atque in primis pro iis moriendo, quod peregit in primis inde ab eo tempore, quo

euectus ad consortium maiestatis diuinae, curam peculiarem gerendo pro genere humano vniuerso et pro vnoquoque in specie, quod denique peracturus est vsque ad finem rerum humanarum, quo mortuos quoque reuocabit in vitam et cuique pro factis retribuet. Hoc demum est *regnum Christi*; ita descripserunt Apostoli omnes, et Dominus ipse, in primis in hoc Ioanneo Euangelio, nominatim *Cap. V*, 19. *sqq. X*, 1. *sqq. XVII*, 2. rell. atque adeo in hoc ipso sermone, cum Nicodemo habito, inde a *vers.* 13. *sqq.* Dicitur autem *βασιλεία τοῦ Θεοῦ* propterea, quoniam Deus partim instituit et voluit, partim peragit per Christum, estque adeo et institutum Patris et opus Patris, dum ipse agit et operatur per Christum; hinc quae Christus dicitur agere, Pater quoque agere dicitur, et Dominus propterea traditur euectus esse ad hanc maiestatem, vt omnia vergerent *εἰς δόξαν πατρός*, *Phil. II*, 11. vt pateret, esse opus Dei, intelligereturque, quam sapiens esset Deus, quamque benignus et salutifer hominibus. Dicitur vero *βασιλεία τοῦ Χριστοῦ*, propterea, quoniam est Christo demandatum, et a Christo peragitur, Pater vero per Christum exsequitur. Iam vero *ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ* idem est, quod: *εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ*, haec enim formula cum illa permutata reperitur versiculo quinto, nimirum: *adire regnum Christi, fieri ciuem regni Christi*, et quidem cum effectu, sic, vt vim regni Messiani intelligas, bonorumque eius particeps fias, iis potiaris et fruaris. Verum id contingere non potest, nisi *denuo natis*, hoc est, *quoad mentem animumque et vitam penitus immutatis.* Etenim formulam: *γεννηθῆναι ἄνωθεν*, exprimere *immutationem animi mentisque*, interdum etiam *vitae et morum*, facile quisque concesserit doctus atque intelligens; de eo tantum dubitatur, num significet generationem *coelestem* et *diuinam*, an *nouam*, sitque idem, quod *ἀναγεννηθῆναι.* Vltimum videtur esse probabilius, certe

hac ratione Nicodemus accepit versiculo sequente; potest autem τὸ ἄνωθεν esse vel *desuper*, vel *denuo*, velvti *Gal. IV*, 9. vbi iunctum reperitur τῷ· πάλιν. Deinde et illud patet, eam formulam translatam esse a similitudine cum ortu hominis naturali, quod vel locus *Cap. I*, 13. confirmat; quamuis nec improbabilis est sententia quorundam virorum doctorum, veluti LIGHTFOOTI, *Hor. ad h. l.* eam repetitam esse ex loquendi consuetudine Iudaeorum, qui, proselytos renasci atque ex parentum naturalium filiis filios Abrahami fieri, dicere solebant. Denotat igitur in vniuersum: *immutari quoad rationem cogitandi, sentiendi, agendi.* Qui regeneratur, incipit aliter cogitare, sentire, agere. Modo haec immutatio non est vna eademque in quocunque homine, sed admodum diuersa pro ratione cogitandi, sentiendi agendique, quam quisque hucusque sectatus fuerat. Atque hoc loco in primis bene tenendum est, quod antea monuimus, et quod iam notauit CLERICVS, *ad Hammondum*, Dominum *hac formula respexisse in specie ad Iudaeos, eorumque opiniones peruersas de Messia*, atque exprimere voluisse *immutationem animorum, in primis quoad opiniones de Messia, eiusque regno*, ac docere, *populo Iudaico* opus esse ingenti mutatione opinionum de Messia; alias illum regno Messiae potiturum non esse, nec potiri posse; id quod deinceps quoque res et vsus et experientia docuit. Constat enim, quot et quantis opinionum temere susceptarum vinculis impediti fuerint Iudaei, quo minus vim regni Messiani recte caperent eiusque salutem consequerentur. Quod si fieri debebat, impedimenta ista erant remouenda, anteceptae opiniones exuendae, nouus animus induendus, totus homo quoad sentiendi viuendique rationem immutandus, vt aliter statueret de rebus diuinis et nominatim de Messia, fidem in eum assumeret, quam hactenus ipsi denegasset, vitamque totam et mores ad normam doctrinae christianae compo-

neret. Haec erat illa noua generatio, hoc τὸ γεννηθῆναι ἄνωθεν. *)

Atque et Nicodemus eius formulae vim bene capiebat, et capere in vniuersum debebat, si recepta fuit in loquendi consuetudine Iudaeorum vulgari; modo id mirum ipsi videbatur, quomodo tali mutatione opus esse posset Iudaeis, et qui tandem dicere potuerit Dominus, Iudaicum populum regno Messiae potiri non posse, nec potiturum esse, nisi denuo natus fuerit. Et hic locus insignis est ad intelligendum, quam multiplex, quamque graue damnum oriatur ab opinionibus praeoccupatis in religione, omninoque veri cognitione! Quaerit igitur, *qui fieri possit, vt homo adultus denuo nascatur; possitne fieri, vt iterum vterum matris intret et inde nascens denuo prodeat?* Ita dum quaerit, non dubius haesit de sensu formulae: *denuo nasci*, sed dubitabat de tali immutatione populi Iudaici, de qua Dominus loquebatur, eamque putabat vel non necessariam esse, nimis bene sentiens de populo Iudaico, tanquam esset ita comparatus, vt eiusmodi mutatione non egeret, vel non magis fieri posse, quam vt denuo aliquis, qui iam adoleuit, (γέρων,) vterum matris intret et nascatur, tanquam populus esset adeo peruersus, vt mutationem talem non admitteret. Itaque Dominus

*) Ad hunc locum recte intelligendum conferri potest similis apud Paulum Apostolum; 1. *Cor. II,* 14. nam et ipse pertinet ad illorum temporum homines, inprimisque Iudaeos, qui praeconceptis opinionibus impediti, veritatem et praestantiam doctrinae christianae neque capiebant, neque fide amplectebantur, sensusque loci est hic: *homo rudis*, appetens humana, exspectans ac desiderans Messiam terrenum et regnum terrenum, *non capit res spirituales ac diuinas*, velvti de Messia, in cruce mortuo, de regno eius spirituali, ac de salute, per fidem in eum, sine obseruatione legis Mosaicae tenenda; *immo vero stultas existimat;* (conf. *Cap. I,* 23. *sqq.*) *nec potest capere; opus enim est perfectiore intelligentia;* si de his rebus recte statuere velis.

eam et necessariam esse, et omnino fieri posse, docuit, dum non modo iterauit, quae dixit, verum etiam modum rei explicauit; addidit enim, eam contingere ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, quae haud dubie recte intelligunt, qui alterum de baptismate, alterum vero de ἐνεργείᾳ et vi salutari Spiritus sancti, in animis hominum per doctrinam diuinam se explicante, vel de doctrina diuina ipsa, interpretantur. Tali enim modo effici poterat salutaris immutatio apud Iudaeos, eaque duplex; partim externa, ratione religionis et cultus publici, quae contingebat per baptismum, quo suscipiendo, relicta religione Iudaica, christianam amplectebantur; et inchoabant μετάνοιαν, saltem promittebant; partim vero interna, ratione opinionum, sensuum morumque, quam efficiebat doctrina christiana, cum per eam edoceri se ac corrigi emendarique paterentur. Sed hoc tali modo, hac tali immutatione vnice quoque idonei reddi poterant ad obtinendum regnum Messiae. Itaque et haec pertinent proprie ad Iudaeos et de his explicanda sunt.

Verum ne miraretur Nicodemus, Iudaeis quoque esse renascendum, nec dubitaret amplius, eiusmodi immutationem fieri posse ac debere, Dominus rem illustrauit exemplo. Subiecit enim haec: *natum ex carne, carneum est, sed natum per spiritum, spirituale est.* Hic quidem locus habet aliquam difficultatem, et diuersas interpretationes expertus est, quas breuiter recensebimus. Sunt autem potissimum tres. Etenim plerique per *carnem* intelligunt vitiositatem naturalem, per *spiritum* autem primo loco Spiritum diuinum, et altero, meliorem animi indolem, per Spiritum illum excitatam, hoc sensu: *ex hominibus vitiosis natus, itidem vitiosus est et indolis vitiosae; sed per Spiritum diuinum natus, diuinae est indolis;* tanquam scripsisset: ὁ γεγεννημένος ἐκ τῆς σαρκὸς, σαρκικός ἐστι· καὶ ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος, πνευματικός ἐστι. Haec interpretatio vsui loquendi scriptorum V. et N. T. accu-

rate respondet. Alii vero his verbis respexisse putant Dominum ad eam Iudaeorum opinionem, cum iam propter natales ex maioribus se existimarent Deo esse carissimos ac probatissimos, vnosque regni diuini haeredes; per *carnem* igitur intelligendam esse naturam hominis simpliciter, seu natiuitatem naturalem, per *spiritum* autem natiuitatem spiritualem; vtque adeo sententia Domini sit haec: *ex hominibus natus, homo est*, hoc est, *ex solo natiuitatis beneficio nihil praecipui quisquam habet, praeter naturam humanam et iura propinquitatis externa; sed per Spiritum diuinum natus et immutatus, habet demum diuinam ingenii indolem, ad tenendum regnum diuinum necessariam.* Haec igitur adiecit Dominus, vt ostenderet, non per natiuitatem quemquam habere ius ciuitatis in regno Messiano, sed hoc demum accipere per indolem diuinam, excitatam per sanctum Spiritum, adeoque Iudaeis regenerationem esse necessariam. Nec haec interpretatio ab vsu loquendi abhorret, contextui autem reique ipsi est longe conuenientissima, SEMLERO probata et a IO. FRID. BAHRDTIO, Theologo quondam Lips. in primis exornata. *Prol. Fest. Nat. Chr. a.* 1773. *publice proposita.* Alii denique existimant, per vocabulum πνεύματος intelligi spiritum in genere, itaque ex lege disiunctorum per vocem σαρκὸς corpus, hisque verbis Dominum afferre voluisse exemplum, quo doceret, qualemne generationem intelligeret, scilicet non naturalem, sed spiritualem, per quam enascerentur effectus spirituales, non propagationem corporum, sed transformationem animarum, mentemque eius fuisse hanc: *simile de simili nascitur; e carne nascitur caro, e corpore corporeum, e spiritu spirituale; illa generatio non contingit ex corpore, ergo non est corporea, sed ex spiritu, ergo est spiritualis.* Sic ERASMVS hunc locum interpretatus est, et fere CHRYSOSTOMVS *Hom. XXV. in Io. Tom. VIII. Opp. p.* 144.

Sed quomodocunque interpreteris, saluum manet id, per Spiritum diuinum et effici posse et vere effici immutationem spiritus humani in melius. Neque vero mirum videri poterat Nicodemo, quod dixit Dominus, Iudaeos denuo nasci oportere.

His deinde *versiculo octauo* addidit exemplum rei quidem notissimae, sed tamen mirabilis, cuius vis sentiri quidem, modus autem non penitus intelligi possit explicarique; quo quidem exemplo docere voluit, fieri omnino posse, atque adeo etiam futurum esse, vt hoc tali modo et Iudaei et reliqui homines immutentur. Sed et in hoc loco admodum dissentiunt interpretes, et primum quidem in exemplo ipso explicando, deinde in sensu eiusdem enucleando et ad rem praesentem transferendo. Ac vocabuli *πνεύματος* varias virorum doctorum interpretationes vel WOLFIVS recensuit in *Curis ad h. l.* quarum tamen omnium minime probabilis sine dubio est ea, quae doctorum veteris ecclesiae fuit et sanctum Spiritum intelligi iubet. Nam quoniam Dominus subiecit verba haec: *οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος*, eum, in promtu est, in antecedentibus vsum fuisse exemplo, quod in his ad rem accommodauit; exemplum autem diuersum esse oportet ab eo, cuius causa affertur. Itaque consentiunt nunc interpretes, Dominum re sensibili illustrare voluisse rem spiritualem, et per *τὸ πνεῦμα* intellexisse ventum, *) ac

*) MALDONATVS, interpres non contemnendus, in *Commentar. in IV. Euang.* ad h. l. per *τὸ πνεῦμα* intelligendam esse censuit animam humanam, et Dominum data opera spiritum pro anima dixisse, quoniam de generatione per Spiritum sanctum agebat et exemplum maiorem similitudinem et gratiam habebat, si nomine simili vteretur, adeoque argumentatum fuisse a generatione naturali ad spiritualem, fere hoc modo: homo generatur, quamuis nesciat, vnde, aut quomodo animam hauserit; ita quoque regeneratur, quamuis, quomodo id fiat, non intelligat. Spiritus enim naturalis *vbi*

dissertuisse fere in hanc sententiam: ventus non cohibetur hominum arbitrio, sed impetu suo fertur, quo visum est, nunc tranquillus ac tacitus, nunc violentior, interim ab oriente spirans, interim ab occidente, per omnia sese diffundens et effectu se prodens, vt vim eius audias atque percipias, praesentemque sentias, nec tamen videas venientem, nec, quo se proripiat abiens, cernas. Eiusmodi quid habet haec spiritualis natiuitas; arcana vi mentes hominum a Spiritu diuino agitantur ac transformantur; effectus ineffabilis sentitur, nec tamen oculis cernitur. Deinde vero quod ad sententiam huius exempli et applicationem attinet, in verbis: *οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος*, ea plerique omnes in vniuersum exponunt de immutatione hominum omnium temporum per sanctum Spiritum, quae verissima est atque certissima, quamuis modus eius explicari nullo modo possit. Sed posses tamen etiam, et, quoniam totus locus ad illa tempora pertinet, haud dubie deberes, in specie de hominibus illorum temporum, Iudaeis et Gentilibus, accipere, atque de incognita propagatione doctrinae Christianae et regni Messiani inter Gentiles quoque, salutarique immutatione exponere, quae per Spiritum sanctum ope huius doctrinae in vniuerso orbe terrarum contigit, hoc modo: vt venti vis vbique se prodit, nec fines eius definiri possunt; ita quoque vis sancti Spiritus ineffabili modo se exseret,

---

vult, spirat, i. e. quae vult, animat corpora, seu, quae ita affecta sunt, vt animari possint, nec pendet ex eius, qui generatur, cognitione atque iudicio; inscii quippe gignimur; *et vocem eius audis*, audis hominem loquentem, vides viventem; *nescis tamen, vnde veniat, aut quo euadat*, quia ignoras, quomodo anima in corpus ingrediatur, quomodo egrediatur e corpore, vnde gignatur, aut quo desinat. Si igitur tuam ipsius naturalem generationem non intelligas, quid mirum, si capere non possis, quomodo per Spiritum sanctum renasci homo possit.

regnumque coeleste in omnibus finibus orbis terrarum propagabit. Sic fere hunc locum intellexisse videtur SEMLERVS, *in Paraphr. Eu. Io.*

Sed instat quaerendo Nicodemus, non repugnans quidem Domino, sed, impeditus vel rei nouitate, vel opinionis antecaptae imperio, sententiam sermonis non penitus assequens et planius exponi cupiens, instat igitur quaerendo, qui tandem fieri possit ac debeat, vt Iudaei, collustrati luce verae cognitionis, tamque pii et sancti, Deoque cari homines, mutationem talem subeant, Gentilibus fortasse necessariam; hos renasci oportere, non autem Iudaeos, si regno Messiae potiri velint. Scilicet vel incredibile ipsi videbatur, populum Iudaicum de Messia peruerse sentire ac statuere, vel fieri nullo modo posse existimabat, vt salute Messiae, ipsi promissi et vnice destinati, vnquam excidat. Itaque Dominus respondit sic: *tibi quidem, magistro Iudaeorum* et Scripturarum perito, *eiusmodi quid incredibile aut mirum videri non debebat. Scito igitur, verissima esse atque certissima, quae dixi, quamuis videantur fide indigna, nec admittantur ne in capitibus quidem facilioribus intellectu, multo minus in difficilioribus atque absconditis; verissima igitur sunt atque certissima; neque enim quisquam* *) *res eiusmodi melius nosse potest atque explicare, quam Messias, qui de coelo venit, vbi ante fuit.* Haec tota disputatio pertinet ad fidem faciendam iis, quae Dominus hactenus Nicodemo exposuerat et in sequentibus in primis expositurus erat, quaeque vix capere posse videbatur animus eius. Affirmat enim, se esse talem, cui tuto credi possit, quippe qui non tantum afflatu aliquo diuino

*) Ita haec cohaerent cum antecedentibus et verba: *καὶ οὐδεὶς*, reddenda sunt: *nemo enim*, siue: *nemo autem.* Codex Veserii habet: *οὐδεὶς δὲ*, quod sine dubio est interpretamentum lectionis receptae: *καὶ οὐδείς.*

haec sciat et cognita habeat, vt prophetae cognouerunt res diuinas, sed sua ipsius vi sciat et veluti de coelo in terram deportauerit. Nam *versiculus tertius et decimus* cohaeret cum verbis *versiculi vndecimi*, et confirmat, verissima esse, quae tradat Dominus. *) Vim autem potestatemque formulae *ἀναβαίνειν εἰς τὸν οὐρανὸν*, omnium optime intellexisse videntur, qui tropice interpretati sunt, vt denotet: *res abstrusiores et veluti in gremio Dei reconditas penetrare ac manifestare*; de quo conferenda sunt loca *Deut.* XXX, 12. *Rom.* X, 6. *Prou.* XXX, 4. *Baruch.* III, 29. Eiusmodi res, inquit Dominus, non potest non cognitas habere Messias, *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, quoniam de coelo venit, et in coelo *fuit*; ita enim *τὸ ὁ ὢν*, accipiendum esse, BENGELIVS vidit rectissime, *in Gnom. ad h. l.* et falluntur, qui in praesenti tempore haerent. Est autem hoc effatum Domini notatu longe dignissimum; etenim disertis verbis declarauit, se in coelo fuisse et venisse de coelo; quae de mero homine, ne legato quidem aliquo diuino, veluti propheta aliquo, dici nullo modo possunt, et manifeste indicant consortium naturae maiestatisque diuinae, quod cum Patre habuit, antequam venisset in has terras. Atque in vniuersum, ex huius Euangelii locis pluribus, veluti *Cap. VI*, 38. 62. *XVI*, 28. *XVII*,

---

*) In verbis *versiculi vndecimi* quaesiuerunt interpretes, quare Dominus vsus esset numero multitudinis, existimaruntque, eum locutum esse vel de se in numero plurali, vel suo et Patris, vel suo et discipulorum nomine. MALDONATVS autem statuit, eum nec de se, nec speciatim de certo aliquo teste, sed in vniuersum de bonis testibus omnibus locutum esse, hisque verbis contineri sententiam generalem, et quidem hanc: non solemus testari, nisi quae audiuimus, aut vidimus; quare, quoniam me tam constanter hoc affirmare vides, intelligere debes, me certo scire, teque credere oportet; sed hominibus incredulis et pertinacibus nullum testimonium ad credendum satis est.

5. reliquis, euidenter patet, solenne fuisse Domino, se describere tanquam eum, qui in coelo fuerit, de coelo venerit et rediturus sit in coelum. Ac propter hanc causam a Ioanne dicitur fuisse apud Deum iam ante rerum omnium initia, et in gremio Patris; *Cap. I*, 1. 18. atque in hoc ipso *Cap. III. vers.* 31. a Ioanne Baptista appellatus esse legitur: *ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος*, et: *ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος*. Iam vero *τὰ ἐπίγεια* de rebus notis intellectuque facilioribus dicta sunt; *τὰ ἐπουράνια* vero de rebus altioris indaginis, minus notis et ad intelligendum difficilioribus. Vulgo quidem plerique haec de rebus ad regnum gratiae et gloriae pertinentibus, illa de rebus terrenis interpretantur; cui tamen interpretationi repugnare videtur series orationis. Sed *τὰ ἐπίγεια* sunt: *quae in terra accidunt et ante oculos fiunt*, ac deinde: *quae facile ab vnoquoque cognosci intelligique possunt*; eiusmodi erant, quae hactenus tradiderat Dominus Nicodemo, veluti, necesse esse, vt Iudaeorum animi immutentur, vt aliter sentire, cogitare et agere discant, si potiri velint regno Messiano; haec quisque facile intelligere poterat, qui peruersas opiniones et mores Iudaeorum nosset; ac propterea dicantur *τὰ ἐπίγεια*. Itaque *τὰ ἐπουράνια* sunt, proprie quidem: *quae fiunt in coelo*, deinde vero: *quae sunt recondita, atque, etiamsi manifestentur, ad intelligendum difficilia*; cuiusmodi erant, quae in proxime sequentibus tradidit Dominus; veluti: Messias est Filius Dei; item: Messias morietur in cruce et morte sua beabit non tantum gentem Iudaicam, sed Gentiles quoque, omninoque vniuersum genus humanum; haec *ἐπουράνια* erant Iudaeis illorum temporum, hoc est, erant capita doctrinae subliniora et recondita, *μυστήρια* appellauit Paulus aliquoties, et Petrus: *δυςνόητα*, 2. *Ep. III*, 16. quae concoquere nullo modo poterant, eorumque opinioni exspectationique penitus contraria; quippe tum parum aut nihil intellexisse videntur de

diuina natura Messiae, de morte eius et salute, ad vniversum genus humanum pertinente; putabant potius, eum futurum esse principem aliquem terrenum, eundemque longe illustrissimum, nunquam moriturum, (*Cap. XII*, 34.) et perpetuo regnantem, gentemque Iudaicam tantum beantem, reliquas vero gentes perdentem.

Hactenus Nicodemo, quaerenti de Messia eiusque persona et salute, ostenderat Dominus in vniuersum, quam difficile esset, ea explicare Iudaeis, quoniam sint contra omnem eorum spem exspectationemque, eosque ad fidem, iis habendam, atque adeo etiam ad regnum Messiae ipsum adducere. Sed explicat tamen Nicodemo, integerrimo viro et discendi cupidissimo. Incipit enim nunc, *inde a versiculo decimo quarto, respondere ad quaestionem de Messia.* Et nunc sequitur locus ille longe illustrissimus, in quo *explicat Messias ipse, quis et qualis sit Messias.* Non diserte quidem se professus videtur esse Messiam, saltem ex hoc loco ipso eiusmodi quid non patet, sed loquitur tanquam vir, diuinitus missus, quem Nicodemus putabat esse, et explicat caput de Messia. Et quomodo? Nimirum *vers.* 14. 15. *et* 16. qui arcte inter se cohaerent, hac ratione: *Scilicet vt Moses in deserto serpentem suspendit; ita quoque suspendetur Messias, vt, quicunque fide eum amplexus fuerit, non modo eripiatur e morte, verum etiam vitam, eamque aeternam et beatissimam, consequatur. Adeo enim adamauit Deus genus humanum, vt traderet etiam Filium suum vnum, vt, quisquis in eum crederet, ab interitu liberaretur, vitamque aeternam ac beatam consequeretur!*

Igitur primum instituit Dominus Nicodemum *de persona Messiae.* Eum vero diserte appellauit *Filium Dei*, et quidem *Filium in suo genere vnum*, μονογενῆ, eoque perspicue docuit, Messiam non esse merum hominem; quod pertinet ad intelligendam diuinam maie-

statem Messiae; simulque significare voluit, non modo Iudaeos non satis praeclare sentire de Messia, dum exspectarent merum hominem et terrenum principem, verum etiam testimonium et ipsum, a Nicodemo ipsi tributum, quod a Deo missus esset, quamuis magnificum, tamen longe infra ipsius dignitatem diuinam esse; siquidem ille nihil adhuc altius videtur sensisse de Iesu, nisi quod missus esset a Deo sic, vt reliqui prophetae a Deo leguntur missi esse, et vt Ioannes Baptista missus erat; sed Dominus longe sublimius missus erat a Deo, qui semper fuisset apud Patrem, antequam mitteretur. Ac profecto hic locus maxime notabilis est etiam propterea, quoniam ex eo euidenter intelligi demonstrarique potest, nomen: *υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, in sermone Domini ipsius non esse muneris nomen, sed naturae; vt notauimus iam supra ad *Cap. I*, 14. Etenim Dominus fuit in eo, vt doceret, quis et qualis esset Messias; atque eum non modo appellauit *τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ*, et quidem *τὸν μονογενῆ*, verum etiam *vers.* 15. diserte dixit, *de coelo venisse et in coelo fuisse;* quod de mero homine, neque adeo de Messia, qua tali, dici nullo modo potuit; denique declarauit, eum esse obiectum fidei, a quo pendeat salus cuiuscunque hominis, immo vero humani generis vniuersi; quod itidem conuenit non nisi vero Deo. Ex quibus omnibus manifestum est, *τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ* intelligendum esse Filium proprie dictum, Patri parem, non tantum quoad negotia diuina, sed etiam quoad naturam. Haec de persona Messiae.

Deinde docuit Dominus Nicodemum, *Messiam moriturum esse,* secus quam opinabantur exspectabantque Iudaei, existimantes, Messiam nunquam esse moriturum; atque hoc est alterum caput doctrinae de Messia, quod Dominus hoc loco tradidit, pertinens ad *opus Messiae*, vt illud ad personam eius. Atque *versi-*

cülo quidem *quarto et decimo* aenigmate vsus est et exemplo. Nolebat enim data opera verbis propriis loqui et dicere: *Messias cruci affigetur;* itaque exemplo vsus est: *suspendetur, vt serpens ille;* quemadmodum in antecedente Capite in re simillima vsus erat exemplo Ionae vatis. Saltem nec in loco apud Mosen indicium vllum est, Israelitas adspectu serpentis de morte Messiae admonitos fuisse et cogitasse; nec Dominus hoc loco diserte dixit, serpentem illum suspensum fuisse, vt praefiguraret mortem Messiae, quod colligere volunt viri docti ex hoc loco; denique non se cum serpente, sed mortis genus et causam cum suspensione serpentis comparauit. Vt enim Moses serpentem suspendit et omnium conspectui exposuit; ita Messias suspendetur et omnium conspectui exponetur. Et vt Moses serpentem suspendit eo consilio, vt sanitatem recuperarent Israelitae, serpentum morsu in deserto vulnerati; ita Messias suspendetur, hac de causa, vt salutem recuperent homines, perniciei obnoxii. Atque et verbum ὑψωθῆναι ipsum vsurpauit Dominus alias quoque de morte sua, in cruce subeunda; et Ioannes de morte Domini diserte explicauit. *Cap. VIII,* 28. *XII,* 32, 33. Verum quae hic dixerat per figuram, propriis verbis repetiit *versiculo decimo sexto,* vbi τὸ ἔδωκεν posset quidem de destinatione explicari, sic: *dedit, donauit Filium suum;* sed obstat series orationis; primum enim addendum fuisset, cui donauerit: αὐτῷ, scilicet κόσμῳ· deinde antecedit verbum ὑψωθῆναι, quod vt de morte haud dubie est intelligendum, ita etiam τὸ ἔδωκεν, quod illi plane aequipollet, et cui eadem vis, idem effectus tribuitur, explicandum est de morte, vel strictius, vel saltem latius accepta, vt recte iudicauit CHRYSOSTOMVS, *Hom. XXVII. in Io.* Denique verba δίδωμι et παραδίδωμι, quotiescunque vsurpata leguntur de Domino nostro, sic, vt vel Pater Filium, vel Filius se ipse dedisse dicatur, toties exprimunt mortem

eius, susceptam ad salutem humani generis; quare traditus esse dicitur ὑπὲρ ἡμῶν, vel διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, vel etiam ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. *Io. VI*, 51. *Luc. XXII*, 19. *Gal. I*, 4. *Rom. IV*, 25. *VIII*, 32. 1. *Tim. II*, 6. *Tit. II*, 14. reliqua. Vnde patet, per τὸ ἔδωκεν Dominum innuere voluisse mortem suam, et nominatim quidem, vt ex verbo ὑψωθῆναι intelligitur, supplicium atrocissimum in cruce, non exclusis tamen miseriis, contumeliis vexationibusque acerbissimis, quibus tanquam infimae conditionis homo oppressus fuit per totam vitam. Porro *de causis et effectis mortis suae* instituit Nicodemum; quod prae caeteris est notabile, nec facile vspiam euidentius explicatum reperitur, quam hoc loco. Etenim *causas* mortis suae commemorauit duplicis generis, quarum *altera* pertinebat *ad depellendam perniciem a genere humano*, *altera* vero *ad acquirendam eidem felicitatem aeternam*. Ac perniciem quidem expressit verbo ἀπολέσθαι, quod interitum significat ac de animo et corpore dicitur. Eam autem fuisse constat duplicis generis, partim hominibus omnibus communem, peccato primo contractam, nimirum mortem, quae in Scripturis denunciata esse legitur tanquam poena peccati, partim vero etiam propriam, quam quisque sibi contraxit suis ipsius peccatis. Felicitatem autem appellauit ζωήν, partim ex vsu loquendi Hebraeorum, qui hoc vocabulo indicare solebant vitam beatam, partim quia in ipso est vita, *Cap. I*, 4. hactenus, quatenus et habet vitam in se, pari modo, vt Pater, *Cap. V*, 26. et aliquando tribuet. *Vers.* 28. *sq.* et *Cap. XVII*, 2. Appellauit quoque ζωὴν αἰώνιον, non quatenus demum est in altero saeculo exspectanda, quam potius in vniuersum, quatenus est perpetua; initia habet in hac vita, perfectionem autem et consummationem in altera. *Cap. IV*, 14. Igitur etiam *effecta* mortis eius sunt duplicis generis, quorum *alterum* est in liberatione a pernicie cum communi, tum

propria, sic, vt neque intereat genus humanum in morte, neque poenas dare teneantur fideles propter sua ipsorum peccata, vt potius a poena communi omnino omnes, a propriis autem credentes liberentur, liberarique possint; *alterum* vero in instauratione felicitatis, quae est in vita quoad animam et corpus, eademque aeterna ratione hominum omnium, beata vero etiam ratione piorum in hoc et altero saeculo. Conf. si placet *Proluss. de opere Christi salutari et de resurrectione mortuorum beneficio Christi, in Opusc. Theol. p.* 452. *sqq. et* 469. *sqq.* Tum Dominus non sine causa dixit: *τὸν κόσμον,* praeter opinionem Iudaeorum, contra quam pluribus disputauit in proxime sequentibus, subiecitque: *ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων κ. τ. λ.* vt intelligeretur, salutem, a Messia exspectandam, pertinere non ad vnam aliquam gentem, sed ad gentes omnes atque adeo ad genus humanum vniuersum, destinatamque esse credentibus ad vnum omnibus, et Messiam esse seruatorem non Iudaeorum tantum, sed omnium populorum. Denique haec omnia tribuit partim amori Patris erga homines omnes immenso et propemodum incredibili; (videtur enim Dominus haec admirabundus dixisse;) vt intelligatur, esse hoc decretum Dei atque institutum sapientissimum; partim vero fidei; itidem contra opinionem Iudaeorum, qui se solos arbitrarentur caros esse Deo, et salutem omnem repeterent ab obseruatione legis Mosaicae, in primisque circumcisione et id genus aliis rebus externis. Est vero hic locus notabilis etiam propterea, quoniam ex eo intelligi demonstrarique potest vera notio fidei, quam requirit Dominus ad tenendam salutem. Ac formulam: *πιστεύειν εἰς Χριστὸν,* vidimus supra ad *Cap. I,* 12. denotare in vniuersum: Iesum suscipere talem, qualis describitur in loco quoque. Enimuero hoc loco se descripsit tanquam Seruatorem, qui esset Filius Dei in suo genere vnus, qui moriturus esset in cruce hac de causa, vt, quisquis eum ample-

xus fuerit fide, non pereat, sed consequatur vitam aeternam, qui denique hoc ipso consilio missus esset a Deo pro ingenti eius in genus humanum amore. Igitur spectari voluit Dominus in causa salutis spectandusque est vt talis, qui est Filius Dei vnigenitus, qui mortuus est in cruce ad depellendam a genere humano perniciem extremam et impetrandam aeternam vitam, qui denique hoc fecit consilio Dei deliberato, eoque longe benignissimo. Hinc obiectum fidei, quam desiderat Dominus ad tenendam salutem, est partim Christus, Seruator, quatenus est Filius Dei, et in cruce mortuus ad acquirendam humano generi liberationem a pernicie et vitam aeternam, partim vero Deus Pater, quatenus ita voluit et instituit, vt moreretur Seruator suaque morte acquireret liberationem a pernicie et aeternam felicitatem, vtque ab eo salutem repeterent, quicunque eam consequi voluerint. In hac causa itaque Seruator spectandus est non tantum quatenus est homo, sed quatenus etiam est Filius Dei, non quatenus doctrinam diuinam tradidit, sed quatenus mortuus est in veniam peccatorum; quam Paulus appellauit *πίστιν ἐν τῷ αἵματι Χριστοῦ*. *Rom. III*, 25. Haec est basis totius operis Christi, eum nempe esse Filium Dei et in cruce mortuum; alias nec impetrare potuisset salutem, nec conferre posset; quoniam vero est Filius Dei et salutem acquisiuit morte sua, propterea Pater tradidit hanc ipsam salutem humani generis in manus eius, siue, vt loquitur, potestatem ei dedit imperiumque in genus humanum, conferendi salutem vitamque aeternam omnibus, quicunque ei se crediderint. *Cap. XVII*, 2. Igitur *πιστεύειν εἰς αὐτὸν* est: credere, Iesum esse Servatorem talem, qui sit Filius Dei et in cruce mortuus ex decreto Patris benignissimo, suaque morte impetraverit, vt, quicunque voluerint, a pernicie omni liberari vitamque aeternam tenere possent, atque adeo ab hoc Seruatore, Filio Dei et in cruce mortuo, liberatio-

nem a pernicie vitamque aeternam expetere atque exspectare.

Quae sequuntur inde a *versiculo decimo septimo*, proprie ad Iudaeos pertinent, et haud dubie dicta sunt a Domino contra opinionem illam impiam et in genus humanum iniquam, cum existimarent, Messiam non nisi Iudaicum populum liberaturum, reliquas vero gentes omnes suppliciis atrocissimis affecturum, penitusque perditurum esse. *Neque enim*, ait, *Deus ablegavit Filium suum in hanc terram, vt mundum perderet, sed vt seruaret mundum.* Etenim vocabulum *κόσμου* variis modis vsurpatum reperitur, vt alias, nominatimque in sermonibus Christi apud Ioannem, ita etiam hoc loco, vbi, saltem in formula: *κρίνειν τὸν κόσμον*, haud dubie in primis intellexit Dominus et intelligi voluit Gentiles; verbum *κρίνειν* autem pro *κατακρίνειν* dici, in promtu est, cum ex perpetua consuetudine Scriptorum sacrorum, atque adeo etiam profanorum, tum in primis hoc loco ex verbo opposito *σώζειν*, quod vt *beare* denotat, ita illud significare patet: *punire, interimere.* Sensus igitur est hic: Messias venit, non eo consilio, vt Gentiles suppliciis afficeret ac perderet, sed vt eos aeque ac Iudaeos bearet, hominesque omnino omnes e pernicie ereptos ad felicitatem adduceret. Atque id denuo inculcauit Dominus *sequente versiculo*, ostenditque, salutem, a Messia acquirendam et exspectandam, communem esse omnibus gentibus, eamque non minus, ac perniciem hominum, a causis externis pendere, vt opinabantur Iudaei, non seruari Iudaeos, quia Iudaei sint, nec damnari Gentiles, quia Gentiles sint, sed seruari quemcunque ex quocunque populo, qui crediderit, damnari autem, qui non crediderit, siue Iudaeus fuerit, siue ethnicus. Ita enim perrexit: *quicunque demum ex omni genere hominum fide eum amplexus fuerit, non perit; perit autem certissime, qui eum repudiauerit, quoniam fidem*

denegauit Filio Dei vnico. Nam verba: ἤδη κέκριται, vel de certitudine perniciei intelligi possunt, vel de praesente pernicie, sic: iam nunc infelix est, nimirum quia vitiis peruersisque opinionibus inhaeret, nec se adduci patitur ad fidem in Messiam. Haec enim est verissima miseria et causa omnis miseriae infelicitatisque, eaque tanto maior, quanto grauius crimen est, repudiare Filium Dei vnicum, et quanto maior felicitas, cuius iacturam facit, qui fidem ei denegare ausus fuerit. Atque haec quoque causa fuit omnis perniciei populi Iudaici vniuersi, vt Dominus ex instituto docuit *versiculo decimo nono*, scilicet pessima eorum sentiendi viuendique ratio, qua fiebat, vt nec Iesum Messiam agnoscerent, nec vim doctrinae eius caperent, neque adeo fidem ei haberent et regno Messiae potirentur, immo vero eodem excluderentur. *Nam haec est*, inquit, *causa perniciei hominum, quod luci oblatae tenebras praeferunt, quoniam male sentiunt et agunt.* Etenim in his quoque proxime respexit Dominus ad Iudaeos, cum singulos, tum vero etiam atque in primis ad populum vniuersum; nec tantum locutus est de poenis vitae futurae ac damnatione aeterna, verum de vniuersa pernicie totius populi in his quoque terris, quae erat in reiectione a regno Messiae, in euersione templi, vrbis ac totius reipublicae, et quae sunt reliqua; quam miseriam, κρίσιν, aliis multis modis praedixit, *) eiusque causam nullam aliam esse docuit, quam Iudaeorum opiniones peruersas et mores pessimos. Nimirum Iesus, auctor salutis omnis, τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, (*Cap. I*, 4—10.) venit in hanc terram, venit ad suam ipsius gentem, cui pro-

*) Nempe in locis *Matth. XXIV.* *Luc. XIX*, 41. *sqq.* et *Cap. XXI.* itemque *Io. XVI*, 11. vbi per τὴν κρίσιν et τὸ κρίνεσθαι idem iudicium, populo Iudaico imminens, eandemque miseriam intellexit, quam innuit hoc loco.

missus erat ac in primis destinatus; verum haec ipsa gens, hi ipsi homines ἠγάπησαν μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς, id est, non lucem dilexerunt, sed tenebras, siue, praeferebant luci tenebras, doctrinae Iesu suas opiniones de Messia, fidei verae, quam Iesus tradebat, suam spem exspectationemque vanam, praeceptis Domini sua praecepta, instituta, ritus, felicitati spirituali et coelesti corporalem et terrenam; cuius rei causae erant peruersa eorum sentiendi viuendique ratio, opiniones et cupiditates terrenae et mores improbi: ἦν γὰρ πονηρὰ αὐτῶν τὰ ἔργα. Atque hanc alias quoque Dominus docuit esse causam perniciei populi Iudaici, veluti *Matth.* XXII, 2 *sqq.* *Luc.* XIV, 16. *sqq.* quae loca ad intelligendum nostrum sunt conferenda. Ad extremum finem dicendi fecit Dominus, *versiculo vicesimo et sequente*, loco quodam communi, quo ostendere voluit, quantum detrimenti afferant opiniones praeoccupatae veritatis religionisque studio, atque docere, homines, opinionibus, sensibus, cupiditatibus, moribusque peruersis imbutos, repudiare veritatem, omnemque meliorem institutionem et cognitionem, eam vero amare atque admittere non nisi ingenuos et integros atque ab opinionibus antecaptis alienos. Subiecit enim haec: *nam quicunque imbutus est opinionibus moribusque peruersis*, (nam vtrumque exprimitur per formulam: φαῦλα πράσσων,) *auersatur lucem*, id est, cognitionem et institutionem meliorem, salutemque ipsam, atque adeo etiam impedire conatur apud alios, *nec se subiicit luci*, suas opiniones et mores suos non facile sub examen vocauerit, nec vocari siuerit, ne erroris conuincatur; *prodit vero in lucem, qui recte sentit et agit, vt sensus et mores ipsius conspicui fiant, vtpote voluntati diuinae consentanei.* Etenim τὰ φαῦλα, quoniam opponuntur vocabulo ἀληθείας, quod denotat: *verum*, seu, *veras opiniones et recte facta*, non tantum significant *male facta*, verum etiam *male cogitata*, opinio-

nes peruersas, errores. Et vt formula: *ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν*, denotat: *deditum esse vero, siue, intelligentem et amantem esse veri; est* enim idem, quod: *εἶναι ἐκ τῆς ἀληθείας, Io. XVIII, 37. 1. Io. III,* 19. Ita τὸ *φαῦλα πράττειν* est: *obnoxium esse erroribus et vitiis.* Atque ex his quoque facile intelligere Nicodemus et poterat et debebat, quod docere voluit Dominus, et quod illi videbatur plane improbabile, facile fieri posse, certissimeque futurum esse, vt Iudaei, nisi resipuerint, opiniones cupiditatesque terrenas abiecerint, nouam mentem induerint, nouamque vitae et morum rationem instituerint, atque adeo veluti de nouo generati fuerint, regno Messiae non modo non potiantur, verum adeo etiam eo exclusi, ad perniciem summam detrudantur. Intelligere vero etiam poterat hoc, Messiam esse Filium Dei, Seruatorem non tantum Iudaeorum, verum etiam Gentilium, hominum omnino omnium, eum moriturum esse in cruce, suaque morte effecturum, vt a pernicie liberari aeternamque salutem adipisci possit quisque; atque hoc esse consilium Dei ratione Messiae promissi, in eoque documentum amoris eius ingentis illustrissimum; adeoque oportere homines omnes, hunc Seruatorem fide suscipere, si perniciem euadere et salutem obtinere voluerint, nefandum vero scelus committere, sibique perniciem adsciscere, quisquis eum repudiauerit.

Sed D. Ioannem ad demonstrandam diuinam Iesu Domini maiestatem, illustrandamque atque explicandam operis ipsius naturam atque excellentiam, quam ex instituto rebus factisque explicare voluit in hoc diuino opere, vsum quoque esse vidimus in principio eius aliquoties, vt eo magis fidem faceret legentibus, auctoritate Ioannis Baptistae, quae apud Iudaeos erat maxima. Atque haec quoque caussa fuit, quare inde a *segmento secundo et vicesimo* commemoraret sermonem quendam, quem idem Ioannes habuerat aliquando

ad discipulos suos, in quo contra ipsorum spem opinionemque insigniter laudasset vehementerque commendasset Dominum, seque, qui ipsorum iudicio magni aliquid esse videretur, ad illius sublimitatem nihil esse, diserte professus fuisset.

Etenim Iesus, cum aliquamdiu commoraretur in Iudaea, Ioanne baptismo initiare pergente populi multitudinem, non quidem ad Iordanem, vt ab initio solitus erat, sed in obscuriore loco, cui nomen erat Aenon, affluente tamen aquarum copia, nondum enim erat in vincula coniectus, et ipse baptizare instituebat per discipulos, (conf. *Cap. IV*, 1. 2.) ita quidem, vt baptismus eius ab insigni populi multitudine expeteretur, Ioannis vero minus desideraretur, atque adeo in contemtum abire videretur. Quae quidem res vehementer concitauit inuidiam discipulorum sectatorumque Ioannis aduersus Iesum, (gloriam enim, vt fit, inuidia sequitur,) iniquum esse existimantium, vt, cum ipse nuper baptizatus esset a Ioanne, seque veluti pro discipulo eius gessisset, ac testimonio illius populo commendatus fuisset ac veluti inclaruisset, (solet enim, qui minor est, maioris testimonio commendari,) nunc repente illi sese aequaret, immo anteponeret, saltem ab aliis anteponeretur, verentiumque, ne per illum praeceptoris sui, eiusque baptismatis auctoritas, quam in dies augeri cupiebant, obscurata imminueretur. Neque inuidebant tantum discipulis Christi et Christo ipsi, verum etiam persuadere conabantur populo, baptismum sui praeceptoris esse dignitatis maioris baptismate discipulorum Iesu, quippe ipse a Ioanne fuerit baptizatus, tentabantque allicere homines ad suum praeceptorem, a Iesu vero auertere, et, qui per discipulos Iesu baptismum suscepissent, taxare; atque ita auctores extiterunt multae controuersiae cum Iudaeis de baptismate Iesu et Ioannis. Etenim ζήτησιν περὶ καθαρισμοῦ, *versiculo quinto et vicesimo*, denotare

quaestionem de baptismate Iesu et Ioannis, vter efficacior atque insignior esset; verbis autem: *ἐκ τῶν μαθητῶν Ἰωάννου*, indicari, quaestionem illam controuersiamque excitatam esse a discipulis Ioannis. *) viderunt iam interpretes antiquissimi, veluti CHRYSOSTOMUS *in Io. Hom. XXIX.* **) Lectio vero: *Ἰουδαίων*, recepta in libris editis, habet quidem sensum admodum commodum, vt scilicet discipuli Ioannis multum disputauerint cum Iudaeis pluribus de praestantia baptismatis Ioannei, occasionemque praebuerint controversiae inter ipsos Iudaeos de hac re. In vniuersum enim tum partes fuisse videntur inter Ioannis asseclas et sectatores Iesu, illis Ioannem Christo praeferentibus, his Christo potiores partes tribuentibus eumque tanquam Messiam amplectentibus. Atque illorum quidem non pauci fuisse videntur, in primis de secta Pharisaeorum, cui in nonnullis similis erat disciplina Ioannis, dum et ipse vitam seueriorem et duriorem agebat, et discipuli quoque ieiuniis crebris vacabant et fortasse etiam baptizatis imponebant; vnde de his rebus ipsis coorta est aliquando disputatio, cur discipuli Ioannis, itidemque Pharisaeorum, crebro ieiunarent ac precibus vacarent, Christi vero populariter viuerent; atque et Dominus ipse accusabatur, tanquam cum hominibus flagitiosis conuiuaretur. *Matth. IX*, 11 sqq. Nec improbabilis opinio est SEMLERI, tales sectatores Ioannis, talique opinione occupatos fuisse eos, de quibus est *Act. XIX*, 4. ac propterea necesse fuisse, vt iterum baptizarentur, et quidem in Iesum Messiam, atque illam controuersiam saeculo demum secundo so-

*) Formulam ipsam e scriptoribus graecis illustrarunt RAPHEL. *Obss. Herod.* et KYPKIVS.

**) Verba sunt haec: *οὐ γὰρ εἶπεν*, scilicet Euangelista, *ὅτι Ἰουδαῖός τις μετ' αὐτῶν ἐζήτησεν, ἀλλ' ὅτι ζήτησις ἐκ τῶν μαθητῶν Ἰωάννου ἐγένετο μετὰ Ἰουδαίου τινός.*

pitam fuisse. Neque alia causa fuit, quare Ioannes aliquando, vt Matthaeus habet *Cap. XI*, 1. *sqq.* duos discipulorum ablegaret ad Iesum, vt ex eo quaererent, num esset promissus Messias, an alius exspectandus, quam vt rectius de Christo sentire discerent; et Dominus ipse, quando iis responsum dabat huiusmodi: renunciate Ioanni, quae vidistis et audiuistis, scilicet coecos visum, claudos pedum vsum, leprosos sanitatem, surdos auditum, mortuos vitam recepisse, hominesque tenuis sortis salutari doctrina imbui, sed beatum esse, qui in me non offensus fuerit, hoc responso et eorum inuidiam taxare, et melius de ipso instituere, ac monere eos voluit, vt ne ex felici doctrinae euangelicae successu occasionem sumerent, male sentiendi agendique; nam vltima verba illius loci in primis pertinent ad discipulos Ioannis eorumque inuidiam aduersus Iesum, vt recte vidit ERASMVS. Igitur res ipsa admodum fauet lectioni receptae: *Ἰουδαίων*. Sed probabilior tamen haud dubie est lectio: *Ἰουδαίου*, ob rationes criticas; quare eam in textum recepit GRIESBACHIVS. Ita enim, vt de eo tantum dicamus, CHRYSOSTOMVS *l. c.* diserte non modo legit, sed etiam explicauit hunc locum de vno aliquo Iudaeo, eoque a discipulis Christi baptizato, quem adorti fuissent Ioannis discipuli, cuique persuadere voluissent, baptisma suum habere aliquid amplius baptismate discipulorum Iesu. Sed totus locus CHRYSOSTOMI dignus est, qui legatur. BENTLEII autem coniectura, legi iubentis: *Ἰησοῦ*, nobis quidem improbabilis videtur esse.

Igitur subirati magistrum aliquando adeunt, existimantes, illum indigne laturum et seuere cohibiturum esse hanc aemulationem, suasque querelas ad eum indignabundi deferunt his verbis: *magister, qui nuper fuit apud te iuxta Iordanem, quemque magno elogio ornaras, is et ipse baptisma instituit, ac ingens copia ad eum confluit.* Haec verba nonnulli quidem, veluti

HEVMANNVS, in partem meliorem interpretari tentarunt, tanquam discipuli Ioannis venerabundi Iesum suspexerint, modo a Ioanne petierint, vt illam caussam ipsis explicaret accuratius. Verum rectius haud dubie videntur statuisse, qui viros illos, integros alias, sed admodum imbecilles, tali modo excusari satis non posse existimarunt, veluti ERASMVS, BENGELIVS, SEMLERVS, et ex antiquioribus CHRYSOSTOMVS, ad *h. l.* cuius verba haec sunt: *ζηλοτύπως γὰρ ἔχοντες ἀεὶ πρὸς τοὺς τοῦ Χριστοῦ μαθητὰς οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου, καὶ πρὸς αὐτὸν δὲ τὸν Χριστόν·* et paucis interiectis: *ταῦτα ἔλεγον, ἀτελέστερον ἔτι διακείμενοι, καὶ οὐδέπω φιλοτιμίας ὄντες καθαροί.* Offensi autem erant duplici causa, primum quod Iesus, quem e discipulorum numero esse, seque ipsum, expetendo suscipiendoque baptismate, discipulum Ioannis professum fuisse putarent, se a magistro segregare et magistrum agere ac baptisma instituere sustinuerit; deinde, quoniam, ignotus omnibus, et Ioannis demum elogio populo commendatus, ad detrimentum famae auctoritatisque Ioannis adeo inclaruerit, vt longe maxima pars eius baptisma expeteret, disciplinamque sectaretur. Etenim verba discipulorum: *ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας,* dicendi consuetudini Graecorum convenientissime CHRYSOSTOMVS interpretatus est hoc modo: *ὃν σὺ λαμπρὸν ἔδειξας καὶ περίβλεπτον ἐποίησας.* Reliquorum verborum interpretatio est in promtu. Id autem patet ex hoc loco, discipulos Ioannis baptisma sui praeceptoris praeferendum esse baptismati Domini existimasse propterea, quoniam et ipse a Ioanne baptizatus fuerit, eiusque adeo discipulus sit.

Verum Ioannes hoc immodicum erga se studium, hancque malignam de Iesu opinionem castigauit sic, vt ostenderet, quis quantusque esset Iesus. Ac primum quidem atque in vniuersum: *non potest, inquit, quisquam quicquam sibi sumere, quod ei non concessum fuerit diuinitus.* Hac enim sententia vniuersali et [illegible]

pitam fuisse. Neque alia causa fuit, quare Ioannes aliquando, vt Matthaeus habet *Cap. XI*, 1. *sqq*. duos discipulorum ablegaret ad Iesum, vt ex eo quaererent, num esset promissus Messias, an alius exspectandus, quam vt rectius de Christo sentire discerent; et Dominus ipse, quando iis responsum dabat huiusmodi: renunciate Ioanni, quae vidistis et audiuistis, scilicet coecos visum, claudos pedum vsum, leprosos sanitatem, surdos auditum, mortuos vitam recepisse, hominesque tenuis sortis salutari doctrina imbui, sed beatum esse, qui in me non offensus fuerit, hoc responso et eorum inuidiam taxare, et melius de ipso instituere, ac monere eos voluit, vt ne ex felici doctrinae euangelicae successu occasionem sumerent, male sentiendi agendique; nam vltima verba illius loci in primis pertinent ad discipulos Ioannis eorumque inuidiam aduersus Iesum, vt recte vidit ERASMVS. Igitur res ipsa admodum fauet lectioni receptae: Ἰουδαίων. Sed probabilior tamen haud dubie est lectio: Ἰουδαίου, ob rationes criticas; quare eam in textum recepit GRIESBACHIVS. Ita enim, vt de eo tantum dicamus, CHRYSOSTOMVS l. c. diserte non modo legit, sed etiam explicauit hunc locum de vno aliquo Iudaeo, eoque a discipulis Christi baptizato, quem adorti fuissent Ioannis discipuli, cuique persuadere voluissent, baptisma suum habere aliquid amplius baptismate discipulorum Iesu. Sed totus locus CHRYSOSTOMI dignus est, qui legatur. BENTLEII autem coniectura, legi iubentis: Ἰησοῦ, nobis quidem improbabilis videtur esse.

Igitur subirati magistrum aliquando adeunt, existimantes, illum indigne laturum et seuere cohibiturum esse hanc aemulationem, suasque querelas ad eum indignabundi deferunt his verbis: *magister, qui nuper fuit apud te iuxta Iordanem, quemque magno elogio ornaras, is et ipse baptisma instituit, ac ingens copia ad eum confluit.* Haec verba nonnulli quidem, veluti

HEVMANNVS, in partem meliorem interpretari tentarunt, tanquam discipuli Ioannis venerabundi Iesum suspexerint, modo a Ioanne petierint, vt illam causam ipsis explicaret accuratius. Verum rectius haud dubie videntur statuisse, qui viros illos, integros alias, sed admodum imbecilles, tali modo excusari satis non posse existimarunt, veluti ERASMVS, BENGELIVS, SEMLERVS, et ex antiquioribus CHRYSOSTOMVS, ad *h. l.* cuius verba haec sunt: *ζηλοτύπως γὰρ ἔχοντες ἀεὶ πρὸς τοὺς τοῦ Χριστοῦ μαθητὰς οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου, καὶ πρὸς αὐτὸν δὲ τὸν Χριστόν·* et paucis interiectis: *ταῦτα ἔλεγον, ἀτελέστερον ἔτι διακείμενοι, καὶ οὐδέπω φιλοτιμίας ὄντες καθαροί.* Offensi autem erant duplici causa, primum quod Iesus, quem e discipulorum numero esse, seque ipsum, expetendo suscipiendoque baptismate, discipulum Ioannis professum fuisse putarent, se a magistro segregare et magistrum agere ac baptisma instituere sustinuerit; deinde, quoniam, ignotus omnibus, et Ioannis demum elogio populo commendatus, ad detrimentum famae auctoritatisque Ioannis adeo inclaruerit, vt longe maxima pars eius baptisma expeteret, disciplinamque sectaretur. Etenim verba discipulorum: *ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας,* dicendi consuetudini Graecorum convenientissime CHRYSOSTOMVS interpretatus est hoc modo: *ὃν σὺ λαμπρὸν ἔδειξας καὶ περίβλεπτον ἐποίησας.* Reliquorum verborum interpretatio est in promtu. Id autem patet ex hoc loco, discipulos Ioannis baptisma sui praeceptoris praeferendum esse baptismati Domini existimasse propterea, quoniam et ipse a Ioanne baptizatus fuerit, eiusque adeo discipulus sit.

Verum Ioannes hoc immodicum erga se studium hancque malignam de Iesu opinionem castigauit sic, vt ostenderet, quis quantusque esset Iesus. Ac primum quidem atque in vniuersum: *non potest, inquit, quisquam quicquam sibi sumere, quod ei non concessum fuerit diuinitus.* Hac enim sententia vniuersali et haud

vulgari trita, innuere voluit, neo se sibi sumere posse, quae Deus non dederit, nec illum, quae a Deo non habeat; itaque quae ab illo gerantur, contingere auctore Deo. Nam verba: *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ,* idem denotare, quod: *θεόθεν,* vt explicauit NONNVS, siue: *ἐκ τοῦ θεοῦ,* vel inde constat, quia coelum in Scripturis pro Deo dicitur. *Matth. XXI*, 25. *Luc. XV*, 18. Deinde amolitus est ampliorem illam dignitatem, quam in ipsum deuoluere instituebant eius asseclae, sic, vt iis in memoriam reuocaret, quod publice priuatimque professus esset, se non Messiam, vt multi opinarentur, sed tantum legatum eius esse, missum eo ipso consilio, quod male habebat discipulos, vt scilicet eum notum faceret ac famae eius omni modo consuleret, ministrumque ne dignum quidem, qui tali viro vilissima ministeria praestet; quibus, facile patet, docere voluisse, ista omnia non fieri se inuito, vel nolente, sed admodum cupiente et promouente. *Ipsi testes estis*, ait, *quod professus sim, me Messiam non esse, sed legatum eius.* Talem enim diserte se professus fuerat, vt Ioannes docuit supra. *Cap. I*, 19. *sqq.* Tum porro vsus est similitudine hac: *sponsus est, qui sponsam habet. Vt vero amici sponsi cum gaudio ipsi ministrant, eiusque mandata exsequuntur; ita et ego solidum gaudium sentio.* In his verbis explicandis illustrandisque multi confugiunt ad antiquitates Iudaicas; quibus tamen, vt in aliis multis locis, ita et in hoc, non videtur opus esse. Nonnulli etiam multa philosophati sunt de Christo sponso et ecclesia sponsa. Sed facile quisque intelligere potest, in his verbis esse meram illustrationem per similitudinem, cuiusmodi fere Dominus et ipse alias vsus est apud *Matth. IX*, 15. et *Marc. II*, 19. mentemque Ioannis fuisse hanc: vt in nuptiis locum principem sponsus obtinet, hancque ipsi dignitatem felicitatemque eius amici non modo non inuident, sed potius gratulantur laetabundi; ita et illi principatus debetur, mihi vero non

nisi partes amici competunt, atque vt illum non aegre ferre, ita de his vehementer laetari decet. Fatebatur itaque, non sibi, vt arbitrabantur ipsius asseclae, sed Christo primarias partes deberi, ostenditque, multum abesse, vt ex rebus Christi praeclare gestis dolorem sentiret, immo vero se non modo non aegre ferre, quod gloria Iesu indies crescat, verum etiam propterea liquido gaudere, et gaudere debere, cum missus fuerit eo consilio, vt gloriam ipsius illustraret, cumque hoc consilium non irritum esse intelligeret. Verba vltima egregie interpretatus est CHRYSOSTOMVS hoc modo: *ἤνυσται παρ᾽ ἐμοῦ τὸ ἔργον, ὃ γενέσθαι ἔδει, καὶ πλέον οὐδὲν δυνάμεθα ἐργάσασθαι λοιπόν.* Sed vt non tantum praesentis, verum etiam futurae inuidiae causas praecideret, ostendit, quae hactenus a Iesu gesta fuerint, de minimis esse, longe insigniora esse futura, quibus multo magis gloria ipsius illustretur, sua autem deprimatur, idque vel maxime aequum esse et iustum. Propter hanc causam subiecit haec: *illum augeri decet, me minui,* honorem ac palmam ei concedere. His enim verbis innuere voluit, vel, quidnam futurum esset, scilicet vt sua disciplina discipulorumque copia in dies imminuatur ac tandem penitus cesset, Iesu autem in dies laetiora incrementa capiat, vel, omnino aequum esse, vt auctoritas et fama Christi, qui hactenus longe minor habitus esset, quam sit, discipulorumque copia in dies magis magisque augeatur illustreturque, suum autem nomen, qui maior esset habitus, quam sit, minuatur atque obscuretur. Priori ratione haec verba accepit CHRYSOSTOMVS, sed altera tamen propter sermonem sequentem, in quo eius rei causae commemorantur, videtur esse probabilior.

De hoc sermone *vers.* 31—36. dubitatur quidem inter viros doctos, num fuerit Ioannis Euangelistae, quod praeter alios WETSTENIO et BENGELIO placuit, an vero Ioannis Baptistae, quod plerisque proba-

tur, et ex antiquioribus CHRYSOSTOMO, idque haud dubie rectius. Etenim scriptus est vna continuatione cum antecedente, nullo signo, aut verbulo interposito, ex quo posset colligi, quae sequuntur, subiecta fuisse a Ioanne Euangelista. Nec causa patet, quare Ioannes haec addiderit et veluti iudicio suo confirmare voluerit testimonium Ioannis Baptistae; quod iam per se maxime notabile et fide dignissimum debebat esse legentibus. Vicissim vero causae sunt in promtu, quare hic sermo sit Ioannis Baptistae. In eo enim commemorare voluit causas, quibus confirmaret, quae dixisset in antecedentibus, nimirum principatum deberi non sibi, sed Christo, aequum adeo esse, vt fama eius latius propagetur, discipulorumque numerus augeatur, quippe qui missus sit de coelo, donis exornatus praeter modum magnis, immo vero Filius Dei dilectissimus, rerum humanarum dominus, exspectatusque Seruator verissimus. Disseruit enim in hanc sententiam: *qui de coelo venit, omnibus maior est; sed in terra prognatus, et ipse terrenus est, et terrena tradit. Enimuero ille de coelo venit, atque adeo maior est omnibus, docetque, quae vidit et audiuit* (in caelo); *nec adeo multi sunt, qui eius doctrinam admittant. Quicunque vero admittunt, fidunt Deo veracissimo; nam legatus diuinus non potest non diuina tradere. Hunc Deus donis exornauit supra modum magnis; amat enim Pater Filium, eiusque potestati omnia subiecit. In hunc Filium qui credit, vita aeterna potietur; qui non credit, vitam non modo non consequetur, sed adeo etiam poenis obnoxius erit.* Haec omnia Ioannes disseruit contra opinionem discipulorum sectatorumque suorum, ipsum maioris aestimantium Iesu Domino, putantiumque, non hunc, sed illum esse audiendum sequendumque; docuit enim, Iesum esse se, prophetisque omnibus infinito modo excellentiorem.

Ac primum quidem, vt dignitatem Iesu, eiusque

doctrinae disciplinaeque praestantiam ostenderet, vsus est sententia vniuersali, nimirum hac: qui de coelo venit, et maior est hominibus omnibus, et tradit non nisi coelestia; (hic enim subintelligendum est: *καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λαλεῖ*, vt respondeat sequentibus: *καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ*·) sed qui e terra profectus est, nec praestat caeteris, est enim et ipse terrenus, nec tradit, nisi terrena, quae in his terris didicit. Nam formula: *ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος*, in sequentibus explicatur per hanc: *ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος*. Vtraque autem fundamentum habet in eo, quod Dominus ante aduentum suum in has terras apud Patrem fuisse, et ab eo singulari modo ad nos missus esse, suamque doctrinam de coelo ad nos deportasse dicitur, exprimitque dignitatem et excellentiam plane singularem et omni humana maiorem, atque indicat eum, qui natura, missione in has terras, origine, scientia, sanctitate, institutione, operibus, alios omnes longissime antecellit; id quod postulat vsus loquendi apud Ioannem, et orationis series. Etenim Ioannes supra dixerat, Iesum fuisse quondam apud Deum, Patri intimum et coniunctissimum, et de coelo in has terras venisse; *Cap. I*, 1. 2. 11. 18. Dominus autem ipse, se in coelo fuisse et de coelo descendisse, dixerat. *Cap. III*, 13. *VIII*, 23. *VII*, 29. *VI*, 33. 46. 50. Deinde quod ad orationem contextam attinet, *τῷ ἄνωθεν ἐρχομένῳ* opponitur *ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς*. Hic quidem quisnam sit, dissentiunt interpretes, intelligentibus aliis de Ioanne Baptista, aliis de discipulis eius doctoribusque Iudaicis, qui inique de Iesu sentiebant. Nos in genere dicta esse arbitraremur de homine quocunque, qui in his terris nascitur naturali modo et viuit, vt homines nasci et viuere solent. Ergo *ὁ ἄνωθεν*, siue, *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος*, est: qui est originis coelestis et de coelo missus, veluti proles coeli, *ἀνατολὴ ἐξ ὕψους*. *Luc. I*, 78. Verba: *ἐπάνω πάντων ἐστίν*, egregie interpretatus est CHRYSOSTOMVS, hoc modo: *οὐδενὸς δεῖται, ἀλλ' αὐ-*

κῶν ἐστιν αὐτὸς ἑαυτῷ καὶ πάντων μείζων ἀσυγκρίτως, explicauitque de Ioanne sic, vt dicere voluerit: vos iactatis meum testimonium, quod illi perhibui, et elogium, quo eum exornaui; sed is mea commendatione non habet opus, cum sibi ipse sufficiat ad fidem dictis factisque suis conciliandam, sitque sine dubitatione maior omnibus. Itaque vt haec verba excellentiam dignitatemque summam exprimunt; ita, quae iis opponuntur: ἐκ τῆς γῆς ἐστι, imbecillitatem humilitatemque innuunt, comparatam cum illa dignitate et gloria. Bene CHRYSOSTOMVS: μικρὸς ἐγὼ καὶ οὐδενὸς ἄξιος λόγου, ἅτε χαμαὶ ἐρχόμενος καὶ ἐν τῇ γῇ τεχθείς· ὁ δὲ Χριστὸς ἄνωθεν ἡμῖν ἀφῖκται. Deinde quando addidit: καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, rursus indicauit imbecillitatem et nominatim doctrinae, non quidem per se consideratae, erat enim et ipsa diuina, atque adeo verissima, sed comparatae cum excellentia doctrinae Christi et veritate euidentissima, hoc sensu: *vulgaris homo non nisi tradit vulgaria, obvia, tralatitia*; (conf. *versiculum duodecimum* et sequentem;) *ille vero, qui de coelo venit, quae in coelo audiuit et vidit, tradit*: ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ. In his verbum μαρτυρεῖ facile quisque videt, hoc quidem loco idem denotare, quod: διδάσκει, seu, vt in proxime antecedentibus dixerat: λαλεῖ, cum verbum illud centies sic dicatur in libris sacris N. T. ad consuetudinem interpretum graecorum V. T. in vocabulo hebraico העיד exprimendo. *Deut.* XXXII, 46. *Neh.* IX, 34. Deinde et illud patet, ad verba: ἑώρακε καὶ ἤκουσε, subintelligendum esse: ἐν τῷ οὐρανῷ, seu: πρὸς τὸν πατέρα. Hac enim formula vsus est Ioannes, quoniam Dominus fuerat apud Deum et veluti in gremio Patris, qua ratione scimus supra locutum de eo esse scriptorem diuinum, *Cap. I*, 1. 2. 18. atque exprimere voluisse doctrinae Christi veritatem, et certitudinem, et vero etiam insignem excellentiam, quae est in ipsa eius indole, perspicuitate et efficacia, formulamque integram idem de-

notare, quod: τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖν, qua ratione in proxime sequentibus est locutus. Ita ex antiquioribus hanc formulam rectissime interpretatus est CHRYSOSTOMVS, nimirum verbis his: οὐδὲν τῶν παρ' αὐτοῦ ψεῦδός ἐστιν, ἀλλὰ πάντα ἀληθῆ. Patet autem, more humano haec dicta esse; neque enim Dominus ex visu et auditu acceperat, quae tradebat; sed vt vera et certa putantur, quae percepimus oculis auribusque nostris, vtpote nec fingamus, nec falsa dicamus, ita et Dominus, quae docuit, vidisse et audiuisse dicitur in coelis propterea, quoniam verissima sunt atque certissima. Vnde et ipse supra *versiculo vndecimo* dixerat; se tradere, quae viderit atque cognouerit, hoc est, *non nisi verissima et certissima*; infra autem, *Cap. V*, 30. vsus est verbis his: καθὼς ἀκούω, κρίνω, hoc est, *decernam*, (tempus enim praesens centies de futuro intelligendum est apud Ioannem,) *vt certo cognouerim*, seu, *repererim*; in primis *Cap. VIII*, 26. κἀγὼ ἃ ἤκουσα παρ' αὐτοῦ, ταῦτα λέγω εἰς τὸν κόσμον, *ea tantum trado in his terris, quae accepi a Patre*. Ac propter eandem caussam sanctum Spiritum discipulis tradituruın esse, ait, *quae audiuerit*; *Cap. XVI*, 13. οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, inquit, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, hoc est, *non commentitia, sed verissima tradet*; ita enim in proxime antecedentibus ipse explicauit, nimirum his verbis: ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, *ipsissimam veritatem vobis tradet*, sine vlla deprauatione aut ambiguitate declaratam. Itaque quando Ioannes in hoc nostro loco Dominum nostrum, ait, docere, quae viderit audiueritque, eum affirmat tradere non nisi verissima atque certissima, omniumque omnino hominum fide dignissima. Neque tamen adeo multi erant, qui hanc eius doctrinam verissimam probarent atque admitterent. Ita enim disserere pergit: καὶ τὴν μαρτυρίαν αὐτοῦ οὐδεὶς λαμβάνει. Nam vt verbum μαρτυρεῖν in proxime antecedentibus denotare vidimus, *docere*, ita vocabulum

κῶν ἐστιν αὐτὸς ἑαυτῷ καὶ πάντων μείζων ἀσυγκρίτως, explicauitque de Ioanne sic, vt dicere voluerit: vos iactatis meum testimonium, quod illi perhibui, et elogium, quo eum exornaui; sed is mea commendatione non habet opus, cum sibi ipse sufficiat ad fidem dictis factisque suis conciliandam, sitque sine dubitatione maior omnibus. Itaque vt haec verba excellentiam dignitatemque summam exprimunt; ita, quae iis opponuntur: ἐκ τῆς γῆς ἐστι, imbecillitatem humilitatemque innuunt, comparatam cum illa dignitate et gloria. Bene CHRYSOSTOMVS: μικρὸς ἐγὼ καὶ οὐδενὸς ἄξιος λόγου, ἅτε χαμαὶ ἐρχόμενος καὶ ἐν τῇ γῇ τεχθείς· ὁ δὲ Χριστὸς ἄνωθεν ἡμῖν ἀφῖκται. Deinde quando addidit: καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, rursus indicauit imbecillitatem et nominatim doctrinae, non quidem per se consideratae, erat enim et ipsa diuina, atque adeo verissima, sed comparatae cum excellentia doctrinae Christi et veritate euidentissima, hoc sensu: *vulgaris homo non nisi tradit vulgaria, obvia, tralatitia;* (conf. *versiculum duodecimum* et sequentem;) *ille vero, qui de coelo venit, quae in coelo audiuit et vidit, tradit:* ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ. In his verbum μαρτυρεῖ facile quisque videt, hoc quidem loco idem denotare, quod: διδάσκει, seu, vt in proxime antecedentibus dixerat: λαλεῖ, cum verbum illud centies sic dicatur in libris sacris N. T. ad consuetudinem interpretum graecorum V. T. in vocabulo hebraico עוד exprimendo. *Deut.* XXXII, 46. *Neh.* IX, 34. Deinde et illud patet, ad verba: ἑώρακε καὶ ἤκουσε, subintelligendum esse: ἐν τῷ οὐρανῷ, seu: πρὸς τὸν πατέρα. Hac enim formula vsus est Ioannes, quoniam Dominus fuerat apud Deum et veluti in gremio Patris, qua ratione scimus supra locutum de eo esse scriptorem diuinum, *Cap. I,* 1. 2. 18. atque exprimere voluisse doctrinae Christi veritatem, et certitudinem, et vero etiam insignem excellentiam, quae est in ipsa eius indole, perspicuitate et efficacia, formulamque integram idem de-

notare, quod: *τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖν*; qua ratione in proxime sequentibus est locutus. Ita ex antiquioribus hanc formulam rectissime interpretatus est CHRYSOSTOMVS, nimirum verbis his: *οὐδὲν τῶν παρ' αὐτοῦ ψεῦδός ἐστιν, ἀλλὰ πάντα ἀληθῆ*. Patet autem, more humano haec dicta esse; neque enim Dominus ex visu et auditu acceperat, quae tradebat; sed vt vera et certa putantur, quae percepimus oculis auribusque nostris, vtpote nec fingamus, nec falsa dicamus, ita et Dominus, quae docuit, vidisse et audiuisse dicitur in coelis propterea, quoniam verissima sunt atque certissima. Vnde et ipse supra *versiculo vndecimo* dixerat; se tradere, quae viderit atque cognouerit, hoc est, *non nisi verissima et certissima*; infra autem, *Cap. V*, 30. vsus est verbis his: *καθὼς ἀκούω, κρίνω*, hoc est, *decernam*, (tempus enim praesens centies de futuro intelligendum est apud Ioannem,) *vt certo cognouerim*, seu, *repererim*; in primis *Cap. VIII*, 26. *κἀγὼ ἃ ἤκουσα παρ' αὐτοῦ, ταῦτα λέγω εἰς τὸν κόσμον*, *ea tantum trado in his terris, quae accepi a Patre*. Ac propter eandem caussam sanctum Spiritum discipulis traditurum esse, ait, *quae audiuerit*; *Cap. XVI*, 13. *οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ*, inquit, *ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει*, hoc est, *non commentitia, sed verissima tradet*; ita enim in proxime antecedentibus ipse explicauit, nimirum his verbis: *ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν*, *ipsissimam veritatem vobis tradet*, sine vlla deprauatione aut ambiguitate declaratam. Itaque quando Ioannes in hoc nostro loco Dominum nostrum, ait, docere, quae viderit audiueritque, eum affirmat tradere non nisi verissima atque certissima, omniumque omnino hominum fide dignissima. Neque tamen adeo multi erant, qui hanc eius doctrinam verissimam probarent atque admitterent. Ita enim disserere pergit: *καὶ τὴν μαρτυρίαν αὐτοῦ οὐδεὶς λαμβάνει*. Nam vt verbum *μαρτυρεῖν* in proxime antecedentibus denotare vidimus, docere; ita, vocabulum

μαρτυρίας, in promtu est, ex eadem dicendi consuetudine Hebraeorum, habere significationem *doctrinae*. Vocabulum οὐδεὶς idem est, quod: *vix quisquam*, vt ERASMVS reddidit, siue: ὀλίγοι, quemadmodum CHRYSOSTOMVS interpretatus est. Haec autem Ioannes Baptista dixit partim contra Iudaeos in vniuersum, quorum non adeo multi fidem ei habebant, qui fide omnium erat dignissimus, partim vero etiam atque in primis contra suos ipsius discipulos ac sectatores. Hi enim: πάντες, aiebant, ἔρχονται πρὸς αὐτόν· Ioannes vero: τὴν μαρτυρίαν αὐτοῦ, inquit, οὐδεὶς λαμβάνει. Horum igitur et inuidiam et ignauiam perstringere voluit, atque ostendere, sectatorum Christi nequaquam esse multitudinem tantam, quanta ipsis videretur esse, et multo minorem, quam oporteret. Illi igitur nimis multos esse sectatores Iesu querebantur, hic nimis paucos; illi inique ferebant, magnam hominum vim ad eum confluere eiusque doctrinam probare, hic dolore intimo afficiebatur, non omnes, vt decebat, disciplinam eius admittere sectarique.

Sed ostendit quoque, quantopere peccarent, qui fidem ei denegarent, tacite autem innuit, multo grauius peccare discipulos, qui adeo ei fidem haberi nollent, dum subiecit haec. Primum: ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν, ἐσφράγισεν, ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστιν. Hactenus enim discipuli nihil graue putabant esse, Christum non audire, neque eius disciplinam sequi, immo vero peccare existimabant, qui ei maiorem fidem auctoritatemque tribueret, quam Ioanni. Hunc igitur errorem eorum grauissimum corrigere instituit sic, vt ostenderet, credere Deo, qui Christum misit, ac Christo fidem habere, idem esse, atque fidem habere Deo ipsi. Verbum enim: ἐσφράγισεν, interprete CHRYSOSTOMO, idem est, quod: ἔδειξεν, *ostendit*, *confirmat*, *profitetur*, modo loquendi desumto ab edictis regiis, sigillo imposito firmatis: in quam rem Hebraei vsurpant verbum [illegible],

quo interpres Syrus quoque vsus est hoc loco. Iam, confirmare, *Deum veracem esse*, clarum est, denotare: *Deo ipsi fidem habere*, sensumque adeo verborum, supra positorum, esse hunc: *qui doctrinae Christi fidem habet, fidem habet Deo ipsi, quippe veracissimo*. Bene CHRYSOSTOMVS, cuius verba haec sunt: δεικνύς, ὡς οὐκ ἂν ἄλλως τις ἀπιστήσειε τούτῳ, εἰ μὴ ψεῦδος καταγνοίη τοῦ πέμψαντος αὐτὸν Θεοῦ. Vnde et illud intelligere poterant, Deo non credere, qui Christo non credat, et Christo fidem denegare, idem esse, ac denegare fidem Deo. Cuius quidem rei rationem hanc reddidit: ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεός, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ. His enim declarare voluit, Iesum esse legatum diuinum, atque adeo doctrinam eius non posse non verissimam ac diuinam esse, et Christo fidem denegantem, fidem denegare Deo, ipsum mittenti; nam formula: τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖν, habet vim potestatemque hanc, vt denotet: *effata diuina eloqui*; quod supra expresserat hoc modo: *docere, quae in coelo vidit et audiuit*. Tum porro subiecit haec: οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα. Hic verbum δίδωσιν positum est accipiendumque pro: δέδωκε, quae permutatio temporum frequens est in primis Ioanni; ita enim explicatur versiculo proxime sequente; deinde τὸ πνεῦμα, auctore CHRYSOSTOMO, indicat ἐνέργειαν τοῦ πνεύματος, *dona spiritus*; denique per formulam: οὐκ ἐκ μέτρου, *non cum aliquo modo*, magnitudo summa et infinita exprimitur. Itaque phrasis integra: δοῦναι τὸ πνεῦμα οὐκ ἐκ μέτρου, vim habet hanc: *impertiri dona praeter modum magna et infinita*. Videtur in his respexisse Ioannes ad Prophetas, in quorum mentibus sanctum Spiritum habitasse non nisi mensura quadam, magistri Iudaeorum et ipsi tradebant, e quibus loca excitauit WETSTENIVS, ac docere voluisse discipulos suos sectatoresque, quod sibi persuadere nullo modo poterant, nimirum Iesum praestare magistro eorum et

Prophetis omnibus infinito modo; hos enim donis quidem diuinis, iisque excellentissimis, exornatos fuisse, sed tamen non nisi cum aliquo modo et mensura quadam, illum autem sine modo et sine mensura; hos multa cognouisse et tradidisse, quae Deus voluisset ad cognitionem hominum traduci, illum autem, quicquid doctrinae diuinae humano generi tradendum esset; hos multa et magna patrasse, illum innumerabilia et maxima. Iam si quaeritur, quaenam ista dona infinita fuerint, Christo tributa, eorum exempla commemorauit partim Ioannes in antecedentibus et sequentibus, nimirum intelligentiam voluntatis, consiliorum decretorumque diuinorum absolutissimam et potentiam summam, in primis homines beandi, partim Dominus ipse in variis locis huius Euangelii, veluti *Cap. V*, 19. *sqq.* vim potestatemque et habendi et faciendi, quaecunque Pater habeat et faciat, nominatim vitam tribuendi, mortuos suscitandi et iudicium habendi; et *Cap. XVII*, 2. *ἐξουσίαν πάσης σαρκός*, mandatum, salutem aeternam conferendi humano generi; et *Matth. XXVIII*, 18. *πᾶσαν ἐξουσίαν ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς*. Eiusmodi igitur dona intelliguntur per *τὸ πνεῦμα οὐκ ἐκ μέτρου*.

Sed ne mirarentur discipuli, tam magnifica praedicari de Iesu, vt potius eo magis intelligerent, quanti esset aestimandus, quantumque scelus committerent, si ieiune de eo sentirent, fidemque ei denegarent, instituit eos partim de persona, partim de munere eius. Primum enim eum *Filium Patris* esse docuit, eundemque longe dilectissimum. Et Filium Patris appellauit, quoniam hoc nomen audiuerat de coelo. Qualem vero Filium intellexerit, intelligique voluerit, iudicandum est ex serie orationis. Enimuero hunc Filium dixit esse eum, qui in coelo fuerit, plane vt Ioannes, *Cap. I*, 1. *fuit*, inquit, *apud Deum*, qui de coelo venerit et homo factus sit, vt est *Cap. I*, 14. qui habeat attributa infinita et plane diuina, quem denique Pater decreuerit

constituere dominum omnium et salutis humanae auctorem. Igitur omnia retulit ad naturam eius diuinam, nam de homine mero talia praedicari nullo modo possunt, intellexitque Filium Patris vnigenitum, in suo genere vnum. Quare hoc nomen nec est, nec esse potest muneris, sed naturae; de quo ad *Cap. I*, 14. disputauimus. Deinde eum docuit esse *humani generis Servatorem*, et quidem talem, in quo vnice posita esset salus vniuscuiusque, sic, vt eam assecuturus sit certissime, qui fidem ei habuerit, eius vero iacturam facturus, qui eum repudiauerit. Hunc enim Filium, ait, adamari a Patre tantopere, vt decreuerit, tradere in manum eius salutem totius humani generis vniuersam, et largiri per hunc Filium, quicquid felicitatis hominibus conferre voluerit. Nam quando dixit: *ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱὸν*, expressit dignitatem maiestatemque summam, quam concesserit Pater Filio, et quidem hanc: *πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ·* quod Paulus hoc modo expressit: *ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. Phil. II*, 9. Nam per *τὰ πάντα* intellexit Ioannes illud ipsum *πνεῦμα οὐκ ἐκ μέτρου*, dona, attributa, opera infinita, et nominatim *ἐξουσίαν πάσης σαρκός*, vt appellavit Dominus, *Cap. XVII*, 2. vim potestatemque, hominibus salutem et acquirendi et tribuendi. Vnde patet, fuisse hoc disertum consilium ac decretum Patris sapientissimum, conferendi hominibus salutem omnem per Filium, eamque ab hoc Filio oportere repetere quemcunque, qui ad eam adspirare voluerit; sic, vt salus omnis sit in Christo, sine Christo autem salus nulla. Id quod disertis verbis dicitur versiculo vltimo. Nam per *ζωὴν αἰώνιον* intelligenda est non praecise beatitudo vitae alterius, sed salus vniuersa, a Christo parta et per eum tribuenda, quatenus initium habet in hac vita, et in altera perdurabit sine vllo fine; vt ad *vers.* 16. vidimus. Hanc vitam felicitatemque consequetur *ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν*, quod est valde notabile; neque

Prophetis omnibus infinito modo; hos enim donis quidem diuinis, iisque excellentissimis, exornatos fuisse, sed tamen non nisi cum aliquo modo et mensura quadam, illum autem sine modo et sine mensura; hos multa cognouisse et tradidisse, quae Deus voluisset ad cognitionem hominum traduci, illum autem, quicquid doctrinae diuinae humano generi tradendum esset; hos multa et magna patrasse, illum innumerabilia et maxima. Iam si quaeritur, quaenam ista dona infinita fuerint, Christo tributa, eorum exempla commemorauit partim Ioannes in antecedentibus et sequentibus, nimirum intelligentiam voluntatis, consiliorum decretorumque diuinorum absolutissimam et potentiam summam, in primis homines beandi, partim Dominus ipse in variis locis huius Euangelii, veluti *Cap. V*, 19. *sqq.* vim potestatemque et habendi et faciendi, quaecunque Pater habeat et faciat, nominatim vitam tribuendi, mortuos suscitandi et iudicium habendi; et *Cap. XVII*, 2. *ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς*, mandatum, salutem aeternam conferendi humano generi; et *Matth. XXVIII*, 18. *πᾶσαν ἐξουσίαν ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς*. Eiusmodi igitur dona intelliguntur per *τὸ πνεῦμα οὐκ ἐκ μέτρου*.

Sed ne mirarentur discipuli, tam magnifica praedicari de Iesu, vt potius eo magis intelligerent, quanti esset aestimandus, quantumque scelus committerent, si ieiune de eo sentirent, fidemque ei denegarent, instituit eos partim de persona, partim de munere eius. Primum enim eum *Filium Patris* esse docuit, eundemque longe dilectissimum. Et Filium Patris appellauit, quoniam hoc nomen audiuerat de coelo. Qualem vero Filium intellexerit, intelligique voluerit, iudicandum est ex serie orationis. Enimuero hunc Filium dixit esse eum, qui in coelo fuerit, plane vt Ioannes, *Cap. I*, 1. *fuit*, inquit, *apud Deum*, qui de coelo venerit et homo factus sit, vt est *Cap. I*, 14. qui habeat attributa infinita et plane diuina, quem denique Pater decreuerit

constituere dominum omnium et salutis humanae auctorem. Igitur omnia retulit ad naturam eius diuinam, nam de homine mero talia praedicari nullo modo possunt, intellexitque Filium Patris vnigenitum, in suo genere vnum. Quare hoc nomen nec est, nec esse potest muneris, sed naturae; de quo ad *Cap. I*, 14. disputauimus. Deinde eum docuit esse *humani generis Seruatorem*, et quidem talem, in quo vnice posita esset salus vniuscuiusque, sic, vt eam assecuturus sit certissime, qui fidem ei habuerit, eius vero iacturam facturus, qui eum repudiauerit. Hunc enim Filium, ait, adamari a Patre tantopere, vt decreuerit, tradere in manum eius salutem totius humani generis vniuersam, et largiri per hunc Filium, quicquid felicitatis hominibus conferre voluerit. Nam quando dixit: ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱὸν, expressit dignitatem maiestatemque summam, quam concesserit Pater Filio, et quidem hanc: πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ· quod Paulus hoc modo expressit: ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. *Phil. II*, 9. Nam per τὰ πάντα intellexit Ioannes illud ipsum πνεῦμα οὐκ ἐκ μέτρου, dona, attributa, opera infinita, et nominatim ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, vt appellavit Dominus, *Cap. XVII*, 2. vim potestatemque, hominibus salutem et acquirendi et tribuendi. Vnde patet, fuisse hoc disertum consilium ac decretum Patris sapientissimum, conferendi hominibus salutem omnem per Filium, eamque ab hoc Filio oportere repetere quemcunque, qui ad eam adspirare voluerit; sic, vt salus omnis sit in Christo, sine Christo autem salus nulla. Id quod disertis verbis dicitur versiculo vltimo. Nam per ζωὴν αἰώνιον intelligenda est non praecise beatitudo vitae alterius, sed salus vniuersa, a Christo parta et per eum tribuenda, quatenus initium habet in hac vita, et in altera perdurabit sine vllo fine; vt ad *vers.* 16. vidimus. Hanc vitam felicitatemque consequetur ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, quod est valde notabile; neque

enim dicitur: ὁ πιστεύων εἰς Χριστὸν, sed: εἰς τὸν υἱὸν. Vnde intelligi potest, quod et tota series orationis euidenter docet, verbum πιστεύειν vsurpatum esse hoc loco non sensu latiori, tanquam idem sit, quod antecedens: τὴν μαρτυρίαν αὐτοῦ λαμβάνειν, effata Christi probare, doctrinam eius suscipere, sed sensu strictiori, quo denotat: Iesum suscipere tanquam Filium Dei, qui in coelo fuit et de coelo venit, cui Pater dedit potestatem, homines beandi, in quo adeo sita est salus hominum; ac propterea ab eo salutem repetere. Talis enim describitur in hoc loco, et qualis describitur, talis intelligendus est in loco vnoquoque, talisque vis verbo πιστεύειν tribuenda. Conf. *Cap. I*, 12. 13. *III*, 16. Vnde sensus horum verborum est hic: quicunque Iesum suscipit tanquam Filium Patris, salutisque auctorem, a Patre destinatum et constitutum, spemque salutis in eo ponit, ab eo expetit et exspectat, eam consequetur. Hinc in promtu est, sequens: ἀπειθεῖν τῷ υἱῷ, esse: repudiare Iesum, tanquam Filium Dei et salutis auctorem, ab eo salutem non expetere, neque exspectare. Quod qui commiserit, οὐκ ὄψεται ζωὴν, felicitate non potietur, neque in hac, neque in altera vita; hoc est primum; alterum vero: ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ μένει ἐπ' αὐτὸν, experietur poenas, easque grauissimas; ergo non tantum iacturam faciet salutis, verum etiam poenis afficietur, iisque grauissimis; neque enim sine causa dicitur ὀργὴ τοῦ Θεοῦ, suppliciumque defertur ad Deum; sed vt intelligatur, quantum scelus sit habeaturque a Deo ipso, si quis Iesu fidem denegauerit, eumque tanquam salutis auctorem repudiauerit; denegat enim fidem Filio Dei et Deo ipsi, qui eum tanquam Filium suum euidentissime demonstrauit, et vult, vt ei fidem habeat quisque, qui saluus fieri voluerit; *vers.* 33. et *Cap. VI*, 27. repudiat auctorem salutis, a Deo constitutum, eundemque vnum et summum.

Sed haec omnia vt ostendunt, quid Ioannes Bapti-

sta de Iesu senserit atque statuerit; ita non aliam ob causam commemorata sunt ab Euangelista, quam quoniam accommodatissima erant consilio ei, quod in scribendo hoc libro secutus est, nimirum vt intelligeretur, quid Ioannes de Iesu statuerit et quis quantusque ex viri huius diuini iudicio esset haberique deberet. Etenim professus erat contra spem opinionemque discipulorum, Iesum ipso excellentiorem esse infinito modo; quippe se non Messiam, nullo modo; sed tantum legatum et ministrum Messiae, hunc autem Messiam esse et dominum, se terrenae originis esse; hunc coelestis; se, vt prophetas reliquos, suam rerum diuinarum scientiam accepisse per reuelationem in his terris, hunc sua ipsius vi eas cognitas habere; se prophetasque omnes dona diuina accepisse ad certum quendam modum; hunc infinito modo; adeo, vt nihil habeat Pater, quod huic desit, cui etiam rerum omnium summam tradiderit; et quicquid generi humano conferri velit, per hunc largiri atque vnice per eum et ab eo felicitatis omne genus huius et futurae vitae exspectari tribuique voluerit. Adeo magnifice de Iesu sensit Ioannes Baptista; quippe quem existimaret esse non modo doctorem humani generis, diuinitus missum, atque adeo verissimum fideque dignissimum; verum etiam Filium Dei ipsum; rerum omnium dominum summum; vitaeque ac felicitatis instauratorem vnicum!

CAPVT IV.

Verum Ioannes, vir diuinus, cum in scribendo Euangelio sibi sumsisset hoc, quemadmodum vidimus ab initio, vt sermones quosdam insigniores literis consignaret, a Domino Optimo Maximo olim publice priuatimque habitos, e quibus, tanquam ipsum loquentem ac disserentem audirent, veluti ex ore eius, quisnam esset, quemnam ipse se habuisset, haberique ab aliis voluisset, discere atque intelligere euidentius, faciliusque ac certius credere omnes omnium temporum futurorum homines possent; idem quoque consilium secutus esse existimandus est in commemorando sermone eo, quem habuerat olim cum muliere quadam Samaritana. Cuius sententia mensque Domini vt luculenter ac perspicue intelligeretur, praefatus ei est, quemadmodum fecit in reliquis, indicanda eius habendi occasione. Neque enim cohaeret cum antecedentibus; modo, quod tertii Capitis segmento secundo et vicesimo Iesus cum discipulis aliquamdiu commoratus esse dicebatur in terra Iudaica, hic, interiecto satis longo temporis internallo, rediisse in Galilaeam perhibetur.

Orsus enim est hoc modo: *Sed Dominus cum comperisset, innotuisse principibus Iudaeorum, quod plures discipulos alliceret et baptismate adstringeret, ipso Ioanne; quamuis non ipse, sed per discipulos initiaret baptismate; relicta Iudaea, in Galilaeam reversus est.* His igitur praefari voluit Ioannes narrationi sequenti. Etenim fama doctrinae factorumque Iesu peruenerat tum ad principes quoque Iudaeorum, qui hoc loco a Ioanne appellati sunt *οἱ Φαρισαῖοι*, quod nomen latius interdum dici solet de summo magistratu Iudaico. In primis autem audiuerant, et cum indigna-

tione quidem, quam simul innuere voluit Ioannes verbo ἤκουσαν, maleque ferebant, quod non modo ipse magnum numerum discipulorum sibi colligeret, verum etiam hi tantum sibi sumerent, baptismate impertiendo, quantum vix ferebant in Ioanne Baptista, cui alias tribuebant plurimum. Nam Dominus *versiculo primo* baptizasse dicitur; atque sic dici potuit triplici ratione, siue, quoniam illi, a quibus renunciatum erat de hac re Iudaeorum principibus, mentiti erant, atque, vt rei inuidiam augerent, Iesum ipsum baptismate initiare dixerant; quae fuit sententia CHRYSOSTOMI, *in Io. Hom. XXXI.* quare sensus *versiculi secundi* esset hic; quanquam Iesus non ipse baptizabat, tamen perlatum erat ad principes, baptizare eum et ipsum; siue, quoniam, quod discipuli vel iubente, vel certe sciente magistro faciunt, magister ipse fecisse dicitur; siue denique, quia ille ipse baptismus, quo vtebantur discipuli, a Christo institutus erat, eiusque nomine atque auctoritate administrabatur, quod rem et inuidiam augebat; maioris enim momenti erat, instituere baptismum, quam administrare; vnde mens Ioannis versiculo secundo esset haec: sciebant quidem, non Iesum ipsum, sed discipulos eius baptizare, illud tamen in primis aegre ferebant, quoniam in suum nomen baptisma instituisset. Quicquid sit, nam vnaquaeque sententia habet probabilitatem quandam, id tamen in promtu est, Iesum non ipsum baptizasse. Cuius quidem rei interpretes varias causas excogitarunt, quas commemorare non est necesse. Dominus igitur, quem nihil omnino fugiebat, vt cognouit, sibi quoque contigisse, quod inter homines solet euenire, vt gloriam comitetur inuidia, non quod timeret, sed vt inuidiae causam praescinderet, reliquit Iudaeam, iactis ibi doctrinae euangelicae rudimentis, et in Galilaeam reuerti parauit, vnde venerat. Caeterum vocula πάλιν glossatorem redolere visa est MILLIO, haud dubie sine causa iusta.

Igitur quoniam proficiscendum ipsi erat per Samariam; venit ad vrbem, quae dicta est Sychar, in viciniam praedii, quod Iacobus Iosepho filio donauerat, fontisque Iacobi; ad quem, fessus ex itinere, sic temere consedit, hora diei duodecima. Ac primum quidem in promtu est, vocem Σαμαρείας non vrbis hoc loco nomen esse, vt et *versiculo septimo*, sed regionis. Deinde quando vir diuinus Iesum dixit reuerti *oportuisse* per Samariam, innuere voluisse videtur, Dominum profectum esse in Samariam, non odio aliquo aduersus Iudaeos impulsum, tanquam neglectis Israelitis sese transferre voluerit ad gentes profanas, vt CHRYSOSTOMVS ad hunc locum notauit, sed necessitate aliqua itineris coactum; quippe hanc et breuissimam viam fuisse et frequentissimam profecturis ex Iudaea, et in primis Hierosolymis, in Galilaeam, aut hinc in Iudaeam et Hierosolymas, locis Iosephi satis luculenter docuerunt WETSTENIVS et KREBSIVS. Nec porro sine causa scripsisse videtur: λεγομένην Συχάρ. Eam enim vrbem, satis constat, proprie et ab initio appellatam fuisse Sichem, idque nomen habuisse a Sichemo, a cuius nepotibus campos illos Iacobus coemisse, ibique tentoria posuisse et aram exstruxisse dicitur, *Gen. XXXIII*, 18. *sqq.* sed deinde, et quidem a Iudaeis, quoniam sita erat ad montem Garizinum, in quo sacra faciebant Samaritani, per conuitium dictam fuisse Συχάρ, ab hebraico vocabulo שֶׁקֶר, quod nonnunquam idolum denotat, tanquam vrbem, idola colentem, non improbabiliter statuerunt viri docti, auctore RELANDO, *Dissert. Miscell. P. I. p.* 141. Atque hoc nomine, tum vsitato, et hic vsus est Ioannes. Hinc vero et illud patet, non opus fuisse coniectura HIERONYMI, *ad Eustoch. Ep. XXVII.* loco: Συχάρ, legi praecipientis: Σιχήμ. Caeterum tamen rectius scribitur: Συχάρ, vt exprimi curarunt MILLIVS, BENGELIVS et GRIESBACHIVS, itemque MATTHAEI,

habentque editiones antiquiores, Complutensis, Erasmianae et Stephanianae, quam: Σιχάρ, vt primus edidit BEZA, quem secuti sunt reliqui. Sed locus ille nobilissimus est multis de causis, e Scripturis V. T. notissimis; in primis autem sacer erat Samaritanis, propter causam duplicem, hoc loco commemoratam, primum, quoniam Iacobus in eo habuerat praedium, idque duplex, alterum, quod coëmit a filiis Chamoris, iisdemque nepotibus Sichemi centum Kesitis, *Gen. l. c.* ad quem dignus est, qui legatur DATHIVS, alterum, quod armata manu Amoritis ereptum, Iosepho filio dederat, de quo est *Gen. XLVIII*, 22. Deinde extabat ibi fons Iacobi, πηγὴ τοῦ Ἰακὼβ, hoc est, quem Iacobus foderat et aperuerat, aut fodisse atque aperuisse putabatur, quoque vsus fuerat cum familia sua, vt explicatur in hoc nostro loco *versiculo duodecimo.* Cuius quidem rei etsi mentio non fit in sacris V. T. libris; tamen et Ioannes et mulier hoc loco de ea loquuntur sic, vt eam tum notissimam, et extra omnem controuersiam positam fuisse appareat; atque hodiernis quoque temporibus in ista regione fons extare dicitur, qui *puteus Iacobi* appellari solet; de quo vid. BÜSCHING. *Prolegom. ad Harm. Eu. p.* 48. Ad hunc igitur fontem, ἐπὶ τῇ πηγῇ, Iesus, vt se dabat locus, consedit. Hic in voce οὕτως se non eodem modo expedire vidimus interpretes eruditissimos et graece doctissimos, quam nimirum alii otiosam esse existimant, ex vsu loquendi scriptorum et sacrorum et profanorum, de quo consulendi sunt ELSNERVS, KREBSIVS et KYPKIVS, alii tamen eleganter vsurpatam esse putant, veluti BOISIVS, *Collat. Vet. interpr. ad h. l.* HEINSIVS, *Aristarch. S. p.* 879. BENGELIVS, *Gnom.* et WETSTENIVS, ita quidem, vt idem denotet, quod Graecorum: ὡς ἔτυχε, et Latinorum: *sic temere*; vt in loco apud HORAT. *Carm. II*, 11. 13. hoc: *cur non sub hac pinu iacentes sic temere — potamus vncti*, i. e. qua-

lemcunque sedem vel locum ex tempore praebebit humus. Atque haec altera quidem interpretatio bene convenit primum rei ipsi et verbis Ioannis: κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας· fessus enim quisque qualemcunque quietis locum solet capessere; quod exprimitur voce οὕτως. Consentit deinde vsus loquendi scriptorum graecorum antiquissimus et elegantissimus; ita enim haec vox, notante WETSTENIO, explicata reperitur *Schol. Sophocl. Aiac.* 1198. λαμβάνεται γὰρ — καὶ ἀντὶ τοῦ· ὡς ἔτυχεν. Denique hoc modo eam explicarunt interpretes antiquissimi, veluti THEOPHYLACTVS, cuius locum BOISIVS excitauit, et CHRYSOSTOMVS, *in Io. Hom. XXXI.* cuius verba sunt haec: *τί δέ ἐστιν, οὕτως; οὐκ ἐπὶ θρόνου, φησὶν, οὐκ ἐπὶ προσκεφαλαίου, ἀλλ' ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχεν ἐπ' ἐδάφους.*

Dominus igitur dum sedet illic, *discipulis vrbem ingressis ad cibos coëmendos, accedit femina Samaritana, ad aquam hauriendam, quam rogabat, vt ipsi facultatem bibendi concederet.* Rogauit autem, vel siti coactus, quam restinguere vellet, vel vt ansam praeberet colloquii, quoniam sciret, quid femina responsura esset, quidque inde euenturum. Illa enim: *qui fit*, ait, *vt tu, Iudaeus cum sis, a me, Samaritana femina, potum poscas?* Nimirum vel ex habitu, vel, quod magis placet, ex sermonis et linguae consuetudine intelligebat, Iesum esse Iudaeum, nec, quamuis ignara non esset, quantopere Iudaei solerent abhorrere a familiaritate Samaritanorum, potum ei denegabat propterea, quoniam pro inimico haberet et alieno a gente sua, sed modeste loquitur, admirata, quod et vltro compellaret, et potum ab ipsa peteret; vt bene notauit ad hunc locum CHRYSOSTOMVS. Quare adiecta reperiuntur verba haec: *Iudaei enim nullam familiaritatem habent cum Samaritanis.* Haec vero, dubitatur inter interpretes, mulierisne sint, an Euangelistae? Prius visum est CHRYSOSTOMO. alterum aliis quam plurimis:

neutrum probabilitate caret. Etenim Ioannes haec subiicere potuit eo consilio, vt causam afferret, quare diceret femina: quid tu a me potum petis? Sed et mulier ipsa dicere haec potuit, vel, vt irrideret superstitionem Iudaeorum, eorumque aduersus Samaritanos odium hostile, vel, vt ostenderet, se quidem illi, quamvis homini, genti suae inimicissimo, potum recusare nolle, sed eum tamen legis admoneret, videret, num sibi liceret, ab homine Samaritano potum petere atque accipere; nam si liceret, libenter daturam esse. Quicquid sit, id certe patet ex hoc loco, quod et aliunde satis constat, in Samaritanos atrox ac publicum odium fuisse Iudaeorum, ita, vt nullam familiaritatem cum iis haberent, eosque ne salutare quidem, nec dono aliquid ab iis accipere permitterent, atque adeo nomen Samaritani instar conuitii esset. Cuius quidem odii causae plures fuerunt; praecipua tamen ducta erat a cultu religioso Samaritanorum, quem instituerant in monte Garizino, de quo in sequentibus sermo est. Neque tamen patebat latius, quam ad consuetudinem et vsum vulgarem; nam in caeteris rebus emtionis et venditionis commercia vtrique genti fuisse, et interpretes docuere e scriptoribus Iudaicis, veluti LIGHTFOOTVS, *Hor. ad h. l.* et ex ipso exemplo discipulorum patet. Vnde intelligere facile quisque potest, verbo *συγχρᾶσθαι*, quo vsus est Euangelista, familiaritatem et consuetudinem exprimi, huncque locum rectissime redditum esse a GROTIO explicatumque sic: *non enim amice vtuntur Iudaei Samaritanis.* Caeterum praetermittendum non est, causam illius odii deferri ad Iudaeos; neque enim Samaritani cum Iudaeis, sed Iudaei cum Samaritanis familiaritatem nullam habuisse dicuntur.

Vt vero Dominus alias in tradendis doctrinae diuinae dogmatis saepissime reperitur transiisse a rebus corporeis ad spirituales, vsusque esse sapientissimo be-

dignissimoque consilio oratione tropica et figurata, vel vt excitaret audientium ingenia atque ad vlteriorem cognitionem paulatim alliceret ac praepararet, vel vt animorum imbecillitati inseruiret, propriorum verborum perspicuitatem nec permittenti, nec capienti; ita etiam hoc loco, vt animum feminae discendique studium acueret, vsus est aenigmate hoc: *si et beneficium nosses, quod nunc tibi offert Deus, et eum nosses, qui aquae potum abs te petiit, tu vtique vicissim ab eo petiisses et accepisses aquam vitalem.* Hic quidnam Dominus per τὴν δωρεὰν intellexerit, vehementer dissensere interpretes antiquiores. Nam Patres latini ad vnum fere omnes intellexerunt sanctum Spiritum, eundemque in sequentibus aquam viuam dici putarunt; graeci vero omnes in genere interpretati sunt: *donum Dei*, h. e. quicquid Deus potest aut solet dare; vt donum Dei dono hominis, aquae nimirum, quam mulier dare poterat, opponeretur. Haec interpretatio fuit CHRYSOSTOMI, CYRILLI, THEOPHYLACTI et reliquorum; nisi quod nonnulli Dominum ipsum se appellare putarent donum Dei, hoc sensu: si scires, quantum hominibus beneficium praestiterit Deus, quod me ad eos miserit; reliqua., Hoc modo fere idem declararent verba: *quid sit donum Dei,* ac sequentia: *quis ego sim.* Rectius haud dubie in genere accipitur de beneficio diuino, *) quod tum exhibebatur feminae, ac deinde quoque reliquis Samaritanis, cognoscendi Iesum, tanquam generis humani Seruatorem exoptatissimum; quod sane maximum erat, illisque praeter omnem spem opinionemque oblatum beneficium. Itaque si scires, inquit, quantum tibi beneficium contigisset diuina beneuolentia, et si nosses me, qui aquae potum abs te petii, abstinuisses non modo a commemorando Iudaeorum ad-

---

*) Hoc modo THALEMANNVS, *Vers. Euangel.* explicauit: *si nosses, quantum sit beneficium, quod tibi Deus destinauit.*

versus Samaritanos odio, nec dubitasses, aquae potum mihi praebere, verum etiam rogasses me, vt tibi darem aquam vitalem. Ac *ὕδωρ ζῶν*, quod dicebat Dominus, proprie quidem denotat aquam viuam, seu, recentem, e venis terrae ebullientem et salientem, opponiturque ei, quae colligebatur in cisternis; hebraicum enim: מים חיים, interpretes graeci V. T. reddiderunt interdum: *ὕδωρ ζῶν*, interdum vero: *ὕδωρ ἁλλόμενον*. Atque hoc sensu intelligebat femina. Sed Dominus improprie dicebat *ὕδωρ ζῶν*, pro: *ζωοποιοῦν*, intelligebatque *aquam vitalem, quae vitam det*, et innuere volebat aliquid, quod animo vim suppeditare, eumque exhilarare ac beare possit, atque adeo dicere: *tu me rogasses, vt tibi darem, quod animum tuum reficeret atque bearet*. In specie vero quid intellexerit Dominus, intelligique voluerit per aquam vitalem, in eo definiendo rursus dissentire vidimus interpretes antiquissimos; etenim alii explicarunt de Spiritu sancto, in quibus est CHRYSOSTOMVS, *l. c.* qui, sicut, ait, spiritum vocat ignem, vt vim ac feruorem gratiae, peccatorum autem perniciem significet, ita aquam vocat, vt purificationem et refrigerium animorum indicet, alii deinde de aqua baptismi, alii denique, velut THEODORETVS, *ad Ps.* I. de doctrina Christi. Et sane haec vltima interpretatio consentit quidem cum vsu loquendi scriptorum veterum, et profanorum, et Iudaicorum, qui cum aqua comparare solebant doctrinam et quicquid animum erudire, emendare, atque adeo sapientiorem, sanctiorem beatioremque reddere potest; de quo vid. WETSTENIVS *ad h. l.* et LIGHTFOOTVS, *Hor. ad Luc.* X, 25. qui praeter caetera excitauit locum e scriptore Iudaico hunc: *nos omnes discipuli tui sumus et de aquis tuis bibimus;* vbi facile quisque videt, sermonem esse de doctrina et institutione. Verum in hoc nostro loco *τὸ ὕδωρ* non denotat doctrinam, in primis cum dicatur *τὸ ὕδωρ ζῶν*, saltem

non solum; sed in vniuersum bona, quae animum recreant et reficiunt, beatumque reddunt, adeoque totam summam bonorum, a Christo suppeditatorum ad animos humanos emendandos, tranquillandos, beandos, beatitatemque ipsam. Etenim haec interpretatio accommodatior est primum menti Domini in hoc sermone; loquitur enim in vniuersum, quare et haec in vniuersum sunt intelligenda et explicanda; deinde vero etiam consilio huius sermonis atque euentui; *vers.* 42. denique vniversae consuetudini loquendi scriptorum sacrorum, atque inprimis Domini ipsius, cui solenne fuisse videtur, hoc tali aut simili modo, exprimere vniuersam summam felicitatis humanae. Nam in alio sermone apud eundem Ioannem, *Cap. VII*, 38. hominem credentem et pium dixit fore *instar fontis, sine intermissione copiosissime se effundentis*, quibus verbis, in promtu est, exprimi et copiam et diuturnitatem felicitatis, redundantis in eiusmodi hominem; fere vt in hoc nostro loco *vers.* 14. eius felicitatem dixit esse instar *ὕδατος, ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον*. Atque *Apoc. VII*, 17. beatos in altera vita dicitur pascere et *ἐπὶ ζώσας πηγὰς ὑδάτων* ducere, id est, adiumenta suppeditare felicitatis, et copiosissimae, et constantissimae, depulso omni genere miseriarum; et *Cap. XXI*, 6. itemque *XXII*, 17. se daturum esse promittit *ἐκ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς*, piosque accepturos esse *τὸ ὕδωρ ζωῆς*, hoc est, et felicitatem, et quicquid eos in dies feliciores beatioresque reddere possit. Et quod in hoc nostro loco dixit Dominus *ὕδωρ ζωῆς*, id in alio et alia similitudine appellavit *ἄρτον ζωῆς*, *Io. V*, 36. nam vtrique eadem praedicata tribuuntur: *οὐ μὴ πεινάσῃ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε*, et vltimum diserte explicatur de felicitate, *vers.* 40. et in primis *vers.* 51. Atque in vniuersum *aquam*, eandemque *viuam*, constat, esse *symbolum atque imaginem et felicitatis, et bonorum, felicitatem afferentium.* Etenim Deus dicitur *fons aquae viuae*, in oppositione ad

idola, quatenus auctor est et dator felicitatis omnis et bonorum omnium, quibus felicitas tenetur. *Ier. II*, 13. *XVII*, 13. Idemque appellatur *fons vitae*. *Ps. XXXVI*, 10. Nam in antecedente versiculo admirabatur Dauides immensam benignitatem diuinam, in magna bonorum terrenorum copia conspicuam. *Obruuntur*, inquit, *bonis praestantissimis domus tuae*, hoc est, mundi, in quo diuina prouidentia prospexit non modo necessitati, verum etiam copiae et abundantiae; *flumine deliciarum tuarum eos inundas*. Iam subiecit haec: *nam apud te est fons vitae, in tua luce videmus lucem*, hoc est: tu auctor es et dator felicitatis omnis, a te beatissimo redundat in nos beatitatis omne genus. Hinc homines dicuntur *haurire aquas e fontibus salutis*, *Ies. XII*, 3. hoc est, a Deo expetere, exspectare et accipere omne felicitatis genus. Et *Zach. XIV*, 8. promittuntur haec: *illo tempore manabunt aquae viuae ex Hierosolymis*, id est, bona et beneficia omnis generis ex vrbe Hierosolymitana manabunt in totam terram. Ac propter hunc vsum loquendi per aquam vitalem in vniuersum exprimi putamus in hoc nostro loco adiumenta et bona omnia, a Domino suppeditata, perueniendi ad veram felicitatem, atque adeo felicitatem ipsam, verbisque ipsius sensum subiectum esse hunc: tu me rogasses, vt tibi ostenderem explicaremque modum felicitatis tenendae, teque ad eam felicitatem ducerem.

Verum illa: *Domine*, inquit, *non haustrum praesto habes*, *puteus vero profundus est*; *vnde igitur tibi suppetat aqua viua? Numquid tu excellentior es Iacobo*, *auctore gentis nostrae*, *qui hunc puteum monstrauit nobis*; *ex eoque et ipse bibit et liberi eius ac domestici bibere?* Itaque non assequebatur mentem Seruatoris, existimans fortasse, Iesum esse virum magni alicuius nominis, a quo aquae potum accepisse, honori sit ducendum; vnde eum appellauit dominum, quod antea non fecerat; accipiensque τὸ ὕδωρ ζῶν proprie de

aqua viua, quae e terrae venis scatet, quam vel ex illo ipso puteo haurire vellet, vel alio in loco monstrare. Enimuero illud quidem fieri nullo modo posse putabat, propterea, quoniam haustrum ei ad manus non esset, nec ex alto puteo aqua sine instrumento hauriri posset; ad hoc autem quod attinet, probabile non esse arbitrabatur, in tota regione et copiosiores et salubriores aquas inueniri. Laudat enim puteum istum primum ab auctore Iacobo, qui eum monstrauerit, et quo non facile aliquis esse possit sapientior ad inueniendas aquas in hac regione; tu quidem, inquit, quamuis excellens sis, excellentior tamen Iacobo esse non potes, neque adeo excellentiorem aquarum fontem monstrare. Deinde vero etiam ab aquarum copia et salubritate laudat; ita enim ratiocinabatur: hic puteus tam magnus est, tam altus, tam abundans aquis saluberrimis, vt et ipse Iacobus, et liberi eius ac domestici, (τὰ θρέμματα αὐτοῦ nominantur, ex consuetudine loquendi Graecorum, de qua consulendus est KYPKIVS, *ad h. l.*) ex eo bibere potuerint; quare nefas est, eum contemnere, aut alium quaerere. Iacobum autem appellabat πατέρα, *gentis auctorem*; et quamnam ob caussam sic appellauerit, disputarunt antiquissimi interpretes, existimaruntque, id factum esse vel propterea, quia Samaritani eius se religionem sequi putassent, quae fuit CYRILLI sententia, vel quoniam genere Iacobi gloriarentur, vt CHRYSOSTOMVS aliique statuerunt, haud dubie rectius. Etenim IOSEPHVS auctor est, Samaritanos genus suum ad Iacobum in primis referre solitos fuisse. *Antiqu. IX*, 14. Locus CHRYSOSTOMI, *in Io. Hom. XXXI.* dignus nobis visus est, quem adscriberemus; est enim hic: *ἐφιλονείκουν μὲν γὰρ εἰς τὴν εὐγένειαν εἰσωθεῖν ἑαυτοὺς τὴν Ἰουδαϊκὴν, καὶ ἐφιλοτιμοῦντο ἐπὶ τῷ Ἀβραὰμ, καὶ πρόγονον αὐτὸν ἐπεγράφοντο, ἅτε ἀπὸ τῆς Χαλδαίας ὄντα, καὶ τὸν Ἰακὼβ πατέρα ἐκάλουν, ἅτε ἐκείνου ὄντες ἀπόγονοι.*

Itaque Dominus, imbecillum quidem, sed docilem animum ingenuumque in hac femina animaduertens, vt rem spiritualem esse intelligeret, de qua loqueretur, quae animum, non corpus reficeret, respondit hoc modo: *quisquis ex hac aqua bibit, breui post rursus sitiet; sed ex illa aqua, quam ego do, quisquis biberit, sitiet nunquam; nam haec aqua est instar fontis, in omnem aeternitatem profluentis.* Ita rursus per aenigma locutus est Dominus, nec disertis quidem verbis, vt praeter alios CHRYSOSTOMVS bene notauit, ad quaestionem, num Iacobo esset excellentior, respondit, ne mulierculae arrogans videretur ac temerarius, qui se Iacobo excellentiorem diceret, re tamen ipsa respondit, dum docuit, quid interesset inter aquam illam, quam Iacobus monstrauerit, et eam, quam ipse daret, ostenditque, si Iacobus propter aquam, quam monstrauerit, tanti aestimandus esse putaretur, se, qui longe excellentiorem aquam det, multo pluris habendum esse. Etenim huius aquae natura eiusmodi est, inquit, vt sitim quidem restinguat, sed ad breue tempus; nam paulo post redibit sitis; ea vero, quam ego do, (δώσω,) sitim extinguit in perpetuum; itaque beneficium, a Iacobo vobis tributum, quamuis magnum sit, neque tamen tantum est, quantum accipere potestis a me. Igitur *aquam* primo loco proprie intellexit, itemque vocabulum *sitire*, pro appetere potum; altero vero improprie vsurpauit, qua ratione vocabulum *sitiendi* in omnibus linguis saepissime dici solet, vt exprimat partim sensum indigentiae, partim desiderium vehemens, praecipue talis boni, quod ad veram hominis perfectionem et felicitatem pertinet, atque significet: *indigere aliqua re, eamque appetere*; veluti *Ps. LXIII*, 2. *Deum sitire*, hoc est, desiderare, anhelare eius gratiam et auxilium; *Matth. V*, 6. διψᾶν τὴν δικαιοσύνην, magno virtutis studio teneri. Conf. *Io. VI*, 35. *VII*, 37. Vicissim *non sitire* dicitur de iis, quorum sitis est extincta,

vt ne redeat sitis, id est, qui, participes eiusmodi bonorum, in iis penitus acquiescunt, nec quicquam amplius desiderant; exprimitque veritatem, copiam et magnitudinem felicitatis, si quis est omni ex parte beatus. *Ies.* XLIX, 10. Iam igitur, quid Dominus proprie exprimere voluit? Scilicet per *aquam*, vt vidimus ad *vers.* 10. intellexit bona eiusmodi, quae recreant et reficiunt animum, beatumque reddunt; quae quidem bona continentur scientia salutari, fide firma, virtute integra, denique spe certa remissionis peccatorum, gratiae diuinae et vitae salutisque aeternae. Hanc aquam, haec bona *dat* Iesus, hoc est, conciliauit et peperit morte sua, demonstrauit vita et doctrina sua, tribuit tandem eadem doctrina et imperio suo. Igitur hanc *aquam bibere*, denotat: bona illa appetere, sibi acquirere, possidere, et vsurpare, iis vti et frui; commutatur enim haec formula a Domino ipso in simillimo sermone, *Cap. VI*, 35. cum hac: *credere in Iesum*; nam ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, inquit, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε. Porro verba: *is sitiet nunquam*, habent sensum hunc: is nihil habebit, quo excellentius quid appetat atque desideret, nulla re indigebit, ad vitam tranquillam et beatam necessaria, possidebit potius eiusmodi bona, e quibus nascetur felicitas, expletura animum voluptate, semper recens, semper crescens, nunquam fastidienda, nunquam, per infinita saecula, satietatem allatura, hoc est, verissima et perfectissima; nam *aqua illa restinguit sitim*, est: bona illa explent desideria animi, quamvis immensa, gignuntque felicitatem, qua nec maior cogitari, nec praestantior et suauior appeti desiderarique potest. Vltimis denique verbis: *haec aqua est instar fontis, in perpetuum profluentis*, siue, *mutabitur in fontem profluentem in vitam aeternam*, sensus subiectus est hic: haec bona, vt ipsa et copiosissima sunt et perpetua atque aeterna, ita et felicitatem proferunt copiosissimam, constantissimam et aeternam. In his

docuit Dominus, ex hac huius vitae felicitate, et ex bonis, quae iam in his terris suppeditet, oriri felicitatem in altera vita, eandemque copiosissimam et perpetuam. Nam ὕδωρ ἀλλόμενον designat fontem, qui tantam habet aquarum copiam, vt copiosissime et cum impetu prorumpant et in altum protrudantur; et τὸ γενήσεται exprimit consequens et effectum bonorum felicitatis et felicitatis ipsius. Ergo Dominus in hac oratione se profitetur auctorem felicitatis humanae omnis et summae, hoc est talis, quae est primum *verissima*, vere quietum, tranquillum et laetum reddens animum, *explet sitim*; deinde *perfectissima*, tanta, quanta esse possit, *non sitiet*; porro *copiosissima*, *fons aquarum*; denique *constantissima*, *fons profluens in vitam aeternam*.

Hanc mentem Domini in hoc sermone ceperitne mulier ista, nec ne, dissentire vidimus interpretes antiquissimos. Ea enim visa est aliis, veluti CYRILLO, nihil intellexisse de his omnibus, quae Dominus diceret, sed, quamuis satis perspicue significasset, se ista improprie accipi voluisse, tamen in proprietate aquae et sitis haesisse, aliis vero, intellexisse Dominum, quamuis non penitus et omni ex parte, hactenus tamen, sermonem esse de spirituali aquarum genere, sed vel non credidisse promissis Iesu, irridendoque respondisse, vel aquam spiritualem, quam promitteret, de re corporea accepisse, quae non aliam vim haberet, quam vt corporis sitim restingueret, eamque expetiisse, vt laborem illum quotidianum, hauriendi aquam, deuitaret. Huius sententiae fuit ORIGENES, qui tamen in explicanda responsione mulieris, pro more suo, rationi allegoricae admodum indulsit, itemque CHRYSOSTOMVS. Hic enim, cum audiuisset, inquit, ea, quae dicebantur, esse spiritualia, credidit quidem, posse illam aquam sitim pellere, nec tamen, quid illa esset, sciebat, sed adhuc dubitabat; putabat certe, haec subliminiora esse, quam vt sensu

percipi possent, sed non prorsus id, quid esset, nouerat; nunc certe melius videbat, neque tamen totum percipiebat; nam, da mihi, ait, hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire; iam illum Iacobo praeferebat; et quae sunt reliqua. Locus extat *Hom. XXXII. in Io. Opp. Tom. VIII. p.* 185. *Montefalc.* Sed siue ceperit mentem orationis Domini, siue non ceperit, illud tamen in promtu est, Iesum in hoc sermone se profiteri felicitatis humanae omnis auctorem vnicum, et verbis: *qui aquam biberit, quam ego do, sitiet nunquam,* promisisse hoc, quemcunque, qui bona ea, quae impertiat, cognouerit, expetierit, amauerit atque vsurpauerit, et verissimam, et perfectissimam, et copiosissimam, et constantissimam felicitatem in omnem aeternitatem percepturum esse. In qua oratione Domini admirari iubet CHRYSOSTOMVS, *l. c.* sapientiam Domini, qui, vt acueret mentem mulieris, quoniam spiritualia capere non posset, discendique studium in illa accenderet, rebus visibilibus immorabatur; nam si dixisset: si credideris in me, beata eris, illa non intellexisset, cum non nosset eum, in quem credere iubebatur. Verissime! Etenim ne sic quidem assequebatur mentem Domini, dum dicebat haec: *da mihi, domine, aquam eiusmodi, ne mihi, recurrente siti, huc itandum sit ad aquam hauriendam.* Neque tamen indigne tulit, contemni puteum Iacobi, de quo religiose sentiebat, nec irrisit magnificam orationem et ignoti, et Iudaei atque alieni, sed discere cupiit, quaenam esset illa aqua.

Quare Dominus, de ista re sermonem abrumpens, ad aliam vertit, atque argumento omniscientiae suae feminam prouocauit, vt de ipso statuere disceret magnificentius. Iubet enim, vt maritum suum accersat, atque illo comitata mox redeat. *Abi, inquit, ad accersendum maritum tuum, et cum illo redi.* Ac Dominum quidem sciuisse, feminam non habere maritum,

ἄνδρα, dubitari non potest vel propterea, quoniam ipse paulo post diserte declarabat. Sed quorsum tamen accersere maritum iussit, quem non habere sciret? Cuius quidem rei interpretes antiquiores, velut CHRYSOSTOMVS, varias caussas excogitare conati sunt, neque tamen satis probabiles. Iussit autem haud dubie propterea, quoniam sciret, quid illa, iussa aduocare maritum, responsura esset, occasionemque anquireret, eam et de vitae ratione admonendi, et ad sui admirationem alliciendi. Atque hic rectissime CHRYSOSTOMVS animaduerti iubet et modestiam Domini et sapientiam, quod non statim omnem illi vitam enarravisset, sed primum eius rei occasionem quaesiuisset, vt, quae dicturus esset, aut necessario, aut certe apte dicere videretur, nec ab initio significasset, quinque eam maritos habuisse, ne, cum se vatem esse ostenderet, fecisse videri posset arrogantius atque ambitiosius, aut raptum iuisse diuinitatem, vt Paulus Apostolus alique loco dixit pulcherrime. Maritum itaque accersere iussit.

At illa, Iesum merum hominem existimans, turpitudinemque suam dissimulare cupiens, sed suffusa tamen pudore: *domine*, ait, *maritum non habeo;* legitimum nempe intelligebat. Iesus vero, et suam omniscientiam declarans, et mulieris vitam comiter arguens: *recte*, ait, *maritum* legitimum *non habes; habueras maritos quinque; sed quem nunc habes, non est maritus tuus* legitimus; *haec verissime*, (ἀληθὲς eleganter pro: ἀληθῶς,) *dixisti.* In quo sermone primum euidenter patet, Dominum edidisse omniscientiae suae, atque adeo diuinitatis, documentum longe illustrissimum. Etenim ne occultissima quidem mulieris facta et fata domestica eum latebant, quae ex hominum narratione scire non poterat. Neque haec tantum, quae hoc loco tradita reperiuntur ab Euangelista, sed plura ipsi dixisse, ab hominis meri scientia longissime remota, probabile fit ex *versiculo nono et vicesimo,* vbi femina con-

vocasse perhibetur ciues ad visendum hominem admirandum et occultarum rerum conscium, qui ipsi enarrauerit secreta omnia, quae fecisset. Quodsi τὰ πάντα non vrgemus, sed tantum de magna parte intelligimus, quoniam hoc loco est oratio popularis; tamen indicatur multa pars, et maior haud dubie, quam quae *segmento decimo octauo* narrata reperitur. Vnde in promtu est, quod diximus. Deinde quando quinque maritos habuisse dicitur, quaerunt interpretes, num legitimi fuerint, an illegitimi? Fuerunt enim, qui existimarent, quinque illam viros habuisse ad libidinem, nullum legitimum, idque patere putarent inde, primum, quoniam alias nihil occultum Dominus ei patefecisse videretur; deinde quoniam omnia sua facta occulta a Christo sibi indicata fuisse *versiculo vicesimo nono* significauerit, atque inter ea sine dubio numerauerit et hoc, quod viros quinque, illegitimos nimirum, habuisset. Cuius sententiae MALDONATVS fuit, eiusque rei causa ad CHRYSOSTOMVM prouocauit, existimantem, viros illos quinque non modo omnes adulteros fuisse, sed etiam eodem tempore feminam habuisse ad libidinem. Alii tamen, iique plerique fere omnes, mitius statuunt, et maritos legitimos fuisse putant, quorum alter post alterum vel eam repudiatam deseruerit, (propter adulterium commissum opinantur nonnulli, rectius fortasse dixeris propter illius temporis licentiam in hac re,) vel vita defunctus fuerit, nunc vero sextum accessisse, quocum tamen non legitimo matrimonio iuncta, sed in pellicatu vixerit. Posset tamen etiam dici, τὸ οὐκ positum esse pro: οὔπω· qua ratione profecto interdum vsurpatum esse legitur non tantum in Versione Alexandrina, v. c. *Deut.* XX, 5. 6. 7. qui vltimus locus huic nostro est simillimus: οὐκ ἔλαβεν γυναῖκα, verum etiam in libris N. T. veluti *Marc.* VII, 18. nam in loco parallelo apud *Matth.* XV, 17. loco τοῦ· οὐ extat: οὔπω· quo referre quoque posses locum *Io.* VII,

8. vbi saltem GRIESBACHIVS pro οὔπω, quod est haud dubie ex glossemate, exprimi curauit: οὐκ. Vnde sensus in hoc nostro loco enasceretur hic: quem nunc habes, *nondum* est maritus tuus, ei desponsata es, sed nondum nuptiis celebratis matrimonio iuncta. Atque ita nihil fuerit, quod reprehendi in hac femina potuisset, nec Dominus eam reprehendisset; ac profecto describitur quoque per totam narrationem tanquam femina proba, intelligens discendique cupida. Sed quicquid fuerit, certi enim quid dici non potest, verissima tamen comperit, quae dixerat Dominus. Vnde magnificentius de eo sentire et loqui coepit, quem arcana hominum nosse intelligeret: *Domine*, inquiens, *te vatem esse intelligo.* His enim tacite profitebatur, vera fuisse, quae dixisset; ac quoniam occulta patefecisset, hinc vatem esse colligebat.

Neque tamen aegre tulit reprehensionem, nec irritata regessit contumeliam, sed potius eo magis in eius admirationem inflammata, pudefacta tamen, mox interrupto de rebus suis sermone, quaestionem ei proposuit, velut inexplicabilem, de loco modoque adorandi Deum; in qua Iudaeos et Samaritanos constat vehementissime dissensisse. Quamuis enim vtraque gens Deum eundem adorabat; eum tamen illi non nisi Hierosolymis in templo, hi vero in monte Garizino adorandum esse colendumque statuebant. Scilicet Iudaei, reduces e Babylonico exilio, cum templum et sacra instaurassent, nec Samaritanos, qui mixti erant Israelitis et Gentilibus, a regibus Assyriacis in Samariam ad agrum colendum missis, admittere voluissent in communionem sacrorum; his tandem et ipsis templum exstructum est per Manassen, sacerdotem, auctoritate Sanaballetis, qui erat illius socer et in Samaria σατράπης, vt rem narrauit IOSEPHVS, *Antiqu. Iud. XI*, 7. *et* 8. Hoc igitur templum, in monte Garizino aedificatum, Hierosolymitano longissime praeferendum esse,

contendebant propterea, quoniam non modo in eo monte sacra fecissent Abrahamus et Iacobus, verum etiam Moses destinasset hunc montem, in quo seniores populo bene precarentur, atque adeo etiam, vt habet quidem Codex Samaritanus, aram exstrui praecepisset, cui legem inscriberent, in qua holocausta offerrent, vbi sacrificia eucharistica mactarent, epulas sacrificales instruerent et dies festos agerent. Vid. *Deut. XI*, 29, *XXVII*, 5. *sqq.* et ad haec loca DATHIVS. Diruto deinde hoc templo per Ioannem Hyrcanum, quoniam ob saeuitiam Antiochi Epiphanis cultui idolorum dicatum fuerat, aram tamen in eo monte habebant, in qua ad normam legis Mosaicae sacra faciebant vero Deo. Hinc ortum erat odium acerbissimum inter Iudaeos et Samaritanos, dissensusque vehementissimus, vtrius nationis cultus esset sanctior; vtraque gente alterius sacra contemnente, veluti idololatrica, et Samaritanis quidem templum Hierosolymitanum domum maledictam, et montem Garizinum montem benedictum, hunc vero Iudaeis montem idolorum appellantibus; de quo vid. WETSTENIVS. De hac igitur re quid sentiendum sit, rescire cupit femina a Domino, velut a vate, harum rerum non ignaro. Fatur enim hoc modo: *maiores nostri in hoc monte sacra fecerunt*, nec nos alibi fas esse putamus, *cum vos Hierosolymis sacrorum faciendorum locum legitimum esse existimetis*; quid tibi de hac controuersia videtur? quaenam gens rectius statuit? vtrius cultus est sanctior voluntatique diuinae conuenientior? Hic est sensus sermonis mulieris *versiculo vicesimo*. Nam verbum προσκυνεῖν, in promtu est, exprimere adorationem eam, quae fiebat sacrificiis caeterisque ritibus publicis et solennibus, atque adeo denotare: *sacra facere*. Etenim Deum adorare precibus venerarique, vbique licebat et Samaritanis et Iudaeis; sed sacrificia offerre extra templum Hierosolymitanum, non licebat Iudaeis. Igitur disputatio erat de sacris,

eorumque faciendorum loco. Deinde non sine caussa dixisse videtur: *maiores nostri* sacra fecere. Etenim excusare volebat Samaritanos et laudare, ipsos exemplo et auctoritate maiorum cultum publicum instituisse, Iudaeos autem accusare, tanquam, destituti exemplo et auctoritate maiorum, Hierosolymis sacra facerent. Tuetur itaque cultum Samaritanorum ac defendit maiorum auctoritate. Quosnam vero *maiores* intellexerit, dissentiunt interpretes. Quidam enim innui putant maiores Samaritanorum, qui in illo monte temporibus Manassis cultum religiosum constituerint; plerique tamen omnes, inter quos ex antiquioribus fuit CHRYSOSTOMVS, *Hom*, *XXXI. in Io.* indicari putant Abrahamum, Isaacum et Iacobum, quos et Samaritani maiores suos iactauissent, et ex quibus Abrahamus in illo monte filium pro sacrificio offerre voluerit, Iacobus autem in eodem loco ara exstructa, oblato sacrificio, Deum adorauerit. *Gen. XXII*, 2, *XXXIII*, 20, Atque hi haud dubie videntur intelligendi esse, primum propter argumenti grauitatem, quo tueri femina volebat cultum Samaritanorum; deinde vero etiam propterea, quoniam ex loco IOSEPHI, quem excitauimus supra, Samaritanos constat genus suum ad Iacobum in primis referre solitos fuisse. Itaque rite quidem et pie fecisse putat Samaritanos, quod in monte illo cultum publicum instituissent; sed tamen rescire cupit a Iesu, quid ipsi videatur.

Ac Dominus quidem ad hanc quaestionem, quoniam ad fidem pietatemque pertinebat, respondit sic, vt doceret, necesse non esse, de loco modoque adorationis multis disputare, cum instet magna sacrorum publicorum immutatio, cumque futurum sit, vt neque Hierosolymis, neque in monte illo, nec vspiam in templis et aris, sacrificiorum puritate et nidore, rituumque externorum magnificentia, sed vbique in vniuerso orbe terrarum, fidei veritate, atque animi vitaeque integri-

tate et sanctitate Deo cultus praestetur. *O mea*, inquit, *futurum esse scito, vt neque in hoc monte, neque Hierosolymis Patri sacra faciatis. Vos sacra facitis, de quibus non constat; constat autem de nostris; nam e Iudaeis salus est. Instat vero tempus, immo vero iam adest, quo veri cultores adorabunt Patrem spiritu integro, cuiusmodi cultores Pater desiderat et probat. Nam Deus vt ipse spiritus est; ita quoque colendus est spiritu, eoque integro.*

Itaque non statim ab initio respondit ad quaestionem propositam, vtri rectius sacra facerent, Iudaeine Hierosolymis, an Samaritani in monte, sed totam quaestionem, ait, inutilem videri posse et superuacaneam, propterea, quoniam futurum esset, vt cultus externus vniuersus, qui sacrificiis ritibusque peragerelur, et certo loco et populo adstrictus esset, penitus aboleatur, atque adeo sacra et Iudaeorum in templo, et Samaritanorum in monte abrogentur, discidiumque tollatur, quod distraxerit hactenus vtriusque gentis animos. Ac per formulam: *ἔρχεται ὥρα*, qua vsus est Dominus, in promtu quidem est, tempus futurum declarari; sed de quonam tempore locutus fuerit, interpretes quaerunt, existimantibus plerisque, innui tempus excidii vrbis et templi Hierosolymitani. Quod quamuis non improbabiliter disputent; tamen, tempus certum ac definitum intelligere, opus esse non videtur, cum in vniuersum exprimatur tempus breui futurum.

Sed quamuis superuacanea videri potuisset quaestio proposita; eam tamen dirimere placuit Domino, et quidem sic, vt maiori iure Iudaeos Hierosolymis, quam Samaritanos in monte, sacra fecisse doceret verbis his: *ὑμεῖς προσκυνεῖτε, ὃ οὐκ οἴδατε, ἡμεῖς προσκυνοῦμεν, ὃ οἴδαμεν.* Quae cum paulo difficiliora sint, non eodem modo explicata reperiuntur ab interpretibus. Plerique, ex antiquioribus quoque, τὸ ὃ, de Deo intelligi iubent, cui sacra fecerint, quemque Samaritani nec recte co-

gnitum habuerint, nec legitimo modo coluerint, quemque, vt CHRYSOSTOMVS loquitur, circumscribi loco, immo quasi diuidi posse existimauerint; a cuius opinionis vanitate Iudaei fuissent immunes. Itaque interpretantur in hanc sententiam: *vos colitis Deum, quem recte non nostis; nos vero rectius nouimus.* Alii vero de loco modoque cultus publici accipiendum esse praecipiunt; idque haud dubie rectius, et seriei orationis reique ipsi conuenientius. Primum enim non quaerebat mulier, vtri veriorem Deum, sed vtri sanctiore loco eundem verum Deum colerent. Deinde dubitari vix posse videtur, Samaritanos non minus, quam Iudaeos cognitum habuisse Deum, eumque coluisse ad normam legis Mosaicae; atque si res iudicanda est ex hoc nostro et aliis N. T. locis, de multis non modo morum praeceptis, verum etiam fidei capitibus, nominatim de Messia, illo tempore rectius sensisse videntur Samaritani ipsis Iudaeis; quemadmodum iudicauit SCHROECKHIVS, *Hist. Eccl. T. I. p.* 407. Neque enim confundendi sunt recentiores Samaritani tempore Christi cum antiquioribus; multo rectius illi statuerunt de capitibus religionis, atque hi; et quamuis non nisi libros Mosaicos admitterent, praelegendosque curarent in conuentibus sacris, neque tamen ignaros fuisse doctrinae prophetarum, ex huius ipsius loci *versiculo vicesimo quinto* clare patet; vt monuit ERNESTI, *Bibl. Theol. Nouiss. T. II. p.* 126. Igitur Dominus locutus est haud dubie in verbis, supra commemoratis, non nisi de loco cultus publici, eiusque mens fuit haec: *vos sacra facitis eo in loco, de quo diserto aliquo praecepto diuino non constat; nos vero sacra facimus in tali loco, eoque in templo, quod iussu diuino in hanc rem conditum est destinatumque.* Verissime igitur BENGELIVS, *Gnom. ad h. l.* τὸ· ὃ, ait, *non obiectum adorationis notat, sed formam, sic; vos nescitis, qua adoratione vtamini, nos scimus, quae sit adoratio nostra.* Nec

praetermittenda est lectio Cod. II. CHRIST. FRID. MATTHAEI, qui loco ὅ bis habet: ᾧ. Quod etsi videtur siue ex vitio, siue ex interpretamento librarii ortum esse; tamen interpretationem nostram egregie confirmat. Neque enim necesse est, vt iungatur vocabulo: *πατρὶ*, versiculo antecedente; potest enim ac debet ex eodem versiculo repeti: *ὄρει*, siue ex segmento vicesimo: *τόπῳ*. Vnde sensus enascitur is, quem diximus. Denique et illud est tenendum, Dominum dixisse: *nos sacra facimus*. Id enim in sententiam peruersam detorquere conati sunt antiquissimis temporibus, qui inique sentirent de natura Iesu diuina, tanquam se ipse annumerasset cultoribus Dei, neque adeo Deus esse posset. Vnde interpretes antiquissimi multa disputarunt ad hunc locum contra opinionem illam improbam, docueruntque, Dominum vel tanquam hominem haec dixisse, quemadmodum supra ad fontem fatigatus sedisse dicebatur; eiusdem enim esse naturae, et fatigari, et sacra facere; vel non ex veritate, sed ex mulieris opinione locutum fuisse, quae vatem illum quidem, sed hominem tantum arbitrabatur esse. Sic haud dubie rectissime, praeter caeteros, CHRYSOSTOMVS statuit, *in Io. Hom. XXXIII. p.* 190. qui; *ne mireris*, inquit, *quod Iudaeis se annumerauerit; nam secundum mulieris opinionem locutus est tanquam propheta Iudaeorum; illud ergo*: NOS, *est; nos Iudaei.* Itaque in vniversum docere voluit Dominus, rectius Iudaeos in templo, quam Samaritanos in monte sacra facere. Cuius quidem sententiae causam subiecit hanc: *ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν.* Ac vocabulum quidem *σωτηρίας* haud dubie rectissime interpretatus est FISCHERVS, *Proluss. de vitiis Lex. N. T. p.* 217. quod nimirum h. l. idem declarare docuit, ac *σωτὴρ*, quemadmodum *τὸ σωτήριον*, apud *Lucam in Eu. II*, 30. *III*, 6. idem sit, quod: *ὁ σωτήρ.* Hinc sensus illorum verborum existit hic: *Seruator e Iudaeis originem ducit.* Atque ita Do-

minus disputauit fere in hanc sententiam: apud eam gentem haud dubie est et esse debet verus et legitimus cultus publicus, ex qua Messiam nasci voluerit diuina sapientia. Ac profecto inter ornamenta gentis Iudaicae varia et maxime illustria cum iure suo numerari possit, commemoratumque reperiatur a Paulo Apostolo, variis in locis, et hoc, quod ex ea Seruatorem humani generis nasci voluerit diuina sapientia atque benignitas: cumque Iesus, Dominus Optimus Maximus, interrogatus a Samaritide, explicare hoc loco voluerit ac demonstrare, quibusnam partibus Iudaei praestarent cum aliis gentibus, tum vero etiam atque in primis Samaritanis; intelligere facile quisque potest, interpretationem verborum: *ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστὶν*, quam dedimus, commendari non minus ab ipsa re, orationisque serie, quam loquendi vsu et consuetudine, scriptoribus sacris propria. Sed antiquiores tamen interpretes de hoc loco paulo aliter statuerunt, nec indigni nobis visi sunt, quos audiremus. Etenim vt nonnulli et ipsi eodem modo locum hunc interpretati sunt de Seruatore ipso, eiusque natalibus e gente Iudaica quoad naturam humanam; ita alii, veluti CHRYSOSTOMVS, ad hunc locum, vocabulum *σωτηρίας* de salute ipsa explicarunt, intellexeruntque vel de salute vniuersa, generi humano destinata, populoque Iudaico prae caeteris terrarum gentibus peculiari modo manifestata, sic, vt dicere voluisset Dominus, quaecunque felicitatis humanae cognitio vnquam fuerit apud reliquos populos, eam a Iudaico ad illos peruenisse, nominatimque Samaritanos, quamcunque habeant, habuerintque vnquam rerum diuinarum cognitionem cultumque religiosum, a Iudaeis accepisse, vel in primis de salute, per Iesum Dominum instauranda, quam populo Iudaico primum et ipse annunciauit, et per Prophetas et Apostolos annunciandam curauit, ac deinde demum reliquis gentibus tradi voluit per legatos suos, hoc fere sensu: initium salutis a Iu-

daeis fit, his primum traditur, ac deinde demum gentibus aliis; tanquam idem fere dixisset Dominus in hoc loco, quod in loco eo, vbi iussit Apostolos, praedicare vitae animique emendationem cum spe veniae peccatorum gentibus omnibus, sed ita, vt ab Hierosolymis initium sumerent. *Luc. XXIV*, 47. Neque et hae interpretationes penitus alienae sunt a mente Domini, hactenus saltem, quoniam confirmant, maiores esse Iudaeos Samaritanis. Sed ad ea pergamus, quae sequuntur.

Docuit enim Dominus porro, breui futurum esse, vt cultus religiosus longe excellentior locum obtineat, non externus, qui constet ritibus, sacrificiis, pecudum victimis, certis precum formulis, sed internus, qui ad animum pertineat, cernaturque in cognitione Dei vera, fide certa, et sentiendi viuendique ratione integra, ac praestetur non tantum in templis, sed vbique locorum, non tantum precibus, sed tota vita. Primum haec cohaerent cum antecedentibus hoc modo: licet nos quidem hactenus meliores fuerimus vobis, quoniam coluimus Deum modo locoque, ab ipso diserte praescripto, vos autem sacra fecistis in loco eo, de quo diserto aliquo praecepto diuino non constat; tamen tempus adest, quo, quisquis Deum coluerit, ne eo quidem modo colat, quo nos hactenus fecimus. Dixit autem consulto: *adest tempus*, vt excitaret mentem mulieris ad exquirendum veriorem atque illustriorem Deum colendi modum. Deinde *veri cultores* non videntur oppositi esse falsis, cuiusmodi Gentiles fuere aut Samaritani, sed iis, qui hactenus sacra fecerant in templo Hierosolymitano, intelliguntur que, qui adorant Deum modo perfectiori, naturaeque et diuinae et humanae conuenientiori. Sed colere Deum ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, quid sit, vehementer dissentiunt interpretes, antiquiores saltem. Plerique tamen per πνεῦμα intelligendum putarunt esse sanctum Spiritum, per ἀλήθειαν vero Filium Dei, ita, vt Dominus hoc loco vnum Deum in tribus personis ad-

orare praecepisset. Fuit haec sententia BASILII, ATHANASII, AMBROSII, et aliorum, quorum loca excitauit LAMPIVS, in *Commentar.* ad hunc locum. Alii tamen, quos recentiores sequuntur, interpretati sunt πνεῦμα de animo humano, et ἀλήθειαν vel de integritate sanctitateque animi, sic, vt πνεῦμα καὶ ἀλήθεια esset: *animus integer et sanctus*, et tota formula: προςκυνεῖν τῷ πατρὶ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, sensum haberet hunc: *colere Patrem animo, eoque integro et sancto*; *) vel de veritate cultus, vt indicaretur, eiusmodi cultum, qui mente animoque praestaretur Deo, vnice verum esse et naturae diuinae conuenientem. Quam interpretationem vt vsus loquendi permittit, qui est in promtu, ita orationis series et consilium postulat atque exigit. Etenim Dominus cum in antecedentibus locutus fuerit de cultu eiusmodi, qui fieret certo in loco, externisque ritibus, cumque praedixerit, consilium diuinum esse hoc, vt hic cultus aboleatur, eiusque loco alius, nimirum cultus ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, instituatur; per hunc sine omni dubitatione intellexit cultum eiusmodi, qui praestatur non corpore, sed spiritu, mentis nempe recta et vera cognitione, atque animi ac totius vitae sanctitate integerrima, **) declarauitque, hunc demum cultum verum esse, hunc exigere et rem ipsam et naturam diuinam, atque significauit, futurum esse, vt cultus ritualis penitus aboleatur, atque eius locum obtineat alius, non certo quodam loco ac tempore, sed

---

*) Etenim τὸ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ dictum esset pro: ἐν πνεύματι ἀληθινῷ, siue pro aduerbiis: πνευματικῶς καὶ ἀληθῶς.

**) Eiusmodi cultum Paulus Apostolus appellauit λατρείαν λογικὴν, *Rom. XII*, 1. quae opponitur τῇ σαρκικῇ, cultui externo per sacrificia et ritus, explicaturque a CHRYSOSTOMO: πνευματικὴ διακονία et πολιτεία ἡ κατὰ Χριστόν. Et *Phil. III*, 3, dixit: πνεύματι Θεῷ λατρεύειν.

in toto orbe terrarum, non a certo populo, sed ab omnibus gentibus, non ritibus sacris, sed mente et vita pura Deo praestandus. Verum cultus eiusmodi quisnam sit et quemnam intellexerit Dominus, explicauit alias, veluti *Cap. XVII*, 3. *V*, 23. Est nimirum hic, vt cognoscant omnes Patrem, et, quem misit, Iesum Christum, colantque Filium pari modo, atque Patrem. Hanc enim Dominus κατ' ἐξοχὴν appellauit τὴν ἀλήθειαν, caput religionis cultusque religiosi primum ac praecipuum, vt ad *Cap. I*, 17. vidimus.

Iam et causam commemorauit, quare Deus colendus esset spiritu integro, eamque duplicem. Altera desumta est a voluntate Dei benigna reique praestantia. Subiecit enim haec: καὶ γὰρ ὁ πατὴρ τοιούτους ζητεῖ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, quae profecto non ad contemtum cultus Mosaici dixit, sed vt praestantiam cultus interni indicaret, significaretque, Patrem nolle amplius coli tali modo externo, sed internum cultum requirere, eoque in primis delectari. Etenim verbum ζητεῖν, quo Dominus vsus est, non tantum quaerendi notionem obtinet, sed etiam amandi. Ac talem cultum Deo vnice placere, et ipse in V. T. innuit sexcentis in locis, et Dominus saepius Apostolique declararunt, in primis Paulus, et res ipsa loquitur, intellexitque omni tempore sapientissimus quisque; vt docuerunt scriptorum profanorum locis multis et egregiis interpretes ad hunc locum, in primis GROTIVS et WETSTENIVS, veluti loco *Ciceronis de Nat. D. II*, 28. *cultus Deorum optimus est, idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, vt eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur.* Dominus autem Apostolique docuerunt vno consensu, eum demum esse cultum verum, Deoque gratum et acceptum, si cognoscimus, fideque sincera amplectimur et veneramur amorem Patris in reparanda salute humana per Filium demonstratum, Iesumque Christum, Filium Dei et Ser-

valorem, sic, vt ei conuenienter sentiamus, agamus, vitam totam componamus. *Gal. V*, 6. *VI*, 15. *Eph. I*, 3. *sqq.* 17. *sqq. III*, 17. *Rom. XV*, 6. reliqua. Altera causa petita est a natura diuina, continetur que verbis his: πνεῦμα ὁ Θεὸς καὶ τοὺς προσκυνοῦντας κ. τ. λ. Deus vt est πνεῦμα, naturae spiritualis et ab omni corporeo seiunctus; ita quoque colendus est et adorandus πνεύματι, spirituali modo, non corporeo. Ac Deus quidem, itemque sanctus Spiritus, quando appellatur πνεῦμα, exprimitur in vniuersum numen perfectissimum et augustum, in primis propter vim vitalem, quam habet in se, tribuitque aliis, ex loquendi consuetudine in voce hebraica, quae graecae respondet, hoc loco autem, vt *versiculus vicesimus et vicesimus primus* euidenter docent, natura eiusmodi, quae omni compositione et extensione seiuncta est, nec inclusa loco aliquo, vt res corporea, sed omnibus praesens, omnia sciens, inuisibilis, omninoque perfectionibus eiusmodi praedita, quae in spiritu locum habent, modo quidem excellentissimo. *) Quare CHRYSOSTOMVS, *in Io. Hom.* 33. ὅταν δὲ εἴπῃ, inquit, πνεῦμα ὁ Θεὸς, οὐδὲν ἄλλο δηλοῖ, ἢ τὸ ἀσώματον. Vnde veteris ecclesiae doctores multa ad hunc locum disputarunt de immaterialitate Dei, et de quaestione, num Deus habeat corpus; cui disputationi non immorabimur. Neque tamen his verbis, quod facile quisque concesserit, naturae diuinae notio subtilis et omnibus numeris absoluta exprimitur, sed vtcunque significatur, cuiusmodi naturae sit Deus, quid in tota rerum natura aliquo modo ad similitudinem eius acce-

*) Bene BENGELIVS, *Gnom. ad h. l.* Spiritus, inquit, cum dicitur Deus, ens cogitare debemus, non modo a corpore et loco remotum, sed etiam virtutes habens spirituales, veritatem, sapientiam, sanctitatem, potentiam etc. Vid. MORI *Prolus. de Deo Spiritu, Dissertatt. Theol. et Phil. pag.* 328. *sqq.*

dat, et in primis quaenam colendi ratio naturae ipsius omnium maxime accommodata sit. Etenim quoniam naturae spiritualis est, propterea coli vult adorarique spiritu, hoc est, mente et animo, cogitationibus, sensibus, cupiditatibus, actionibus, tota vita, recte cognoscendo Deum atque huic cognitioni conuenienter credendo, sentiendo, agendo. Id etsi fieri debuit omni tempore, factumque est etiam in oeconomia Mosaica a sanctis et piis hominibus omnibus; fieri tamen excellentiori modo voluit Deus tempore illo, quo se et nominatim consilia sua ac decreta de salute hominum per Filium reparanda et conferenda euidentius manifestabat generi humano, et cultum externum, certo loco, certo tempori, certo denique populo adstrictum, quem praescripserat per Mosen, quemque instituerant Samaritani, abrogaturus erat. Fere in eandem sententiam disseruit Paulus Apostolus, in oratione, Athenis habita. *Act. XVII*, 22—31.

Quae Dominus hactenus disputauit de abolendo cultu externo, instituendoque nouo, eoque longe excellentiori, in vniuerso orbe terrarum, probabat quidem femina; neque tamen quiescebat, sed rem differendam esse aiebat ad tempora Messiae, hac oratione vtens: *scio, Messiam venturum esse, quem Christum dicimus; qui, si venerit, ea omnia et nos edocebit.* Itaque quaestionem reiecit ad Messiam; nec improbabile est, quod statuunt nonnulli, eam inaudiuisse aliquid iam tum de Messia, seque illum visuram sperasse, aut breui venturum existimasse; saltem probabilius videtur, quam sententia eorum, qui putarunt, eam inique tulisse responsum Christi, et, vt ingratam disputationem abrumperet, ad Messiam retulisse quaestionem soluendam. Immo vero spem testatur, fore, vt et ipsa Messiam videat et ab eo edoceatur. Non opus est, inquit, de ea re disceptare, cum Messias venturus sit. Is, cum docendo peruenerit ad nos quoque, seque nobis manife-

stauerit, iam enim in Iudaea natum ferunt, ibique docere coepisse, explicabit nobis et quaestionem illam, et reliqua omnia, quae ad religionem pertinent. Huius sententiae stabimus, ad hunc disceptationem nostram deferemus. Adeo egregie cum de Messia sentiret mulier, quaerere vidimus ORIGENEM, CHRYSOSTOMVM, THEOPHYLACTVM et interpretes antiquiores alios, vnde Samaritani eam Messiae notitiam habuerint, praesertim cum tantum Mosis libros recepissent. Eos igitur putant ex his ipsis libris Mosaicis ea didicisse, eiusque rei causa pronocant ad loca *Gen. XLIX*, 10. *Deut. XVIII*, 35. et alia. Quicquid fuerit, siue ex libris Mosaicis notionem Messiae petierint, siue aliunde acceperint, certe, si ex hoc sermone Samaritidis ad totius gentis opinionem de Messia colligere licuerit, multo rectius Samaritani eo tempore de Messia statuisse videntur, quam Iudaei ipsi. Hi bona terrena a Messia exspectabant, illi spiritualia, cuiusmodi erat vberior rerum diuinarum scientia; hi Messiam vnius tantum populi seruatorem futurum esse putabant, illi humani generis. Hanc docilitatem mulieris ardensque cognoscendae veritatis studium, cuiusmodi vix repererat in Iudaeis, animaduertens Dominus, illi aperire, dignatur, quis sit, verbis adeo manifestis, quibus illo quidem tempore vix vsus fuerit apud Iudaeos, aut suos ipsius discipulos. Exspectas, inquit, Messiam? Hunc, scito, venisse; iamque vides illum; *nam is ego sum, qui tecum loquor*. Verissime BENGELIVS, *Gnom.* ad hunc locum: *nuspiam directius*, ait, *ipsis discipulis de se dixit!*

Interea superuenere discipuli, mirati quidem, Iesum colloqui cum femina eiusmodi, neque tamen quisquam percontari audebat, quid tandem ex ea quaesiuisset, aut cum ea locutus esset; femina in vrbem festinante, relicta hydria, ciuesque monente hac oratione: adeste ad visendum aliquem, qui aperuit mihi omnia vitae meae facinora, sitne Messias? Itaque ad

eum iuere. Etenim discipuli, redeuntes ex vrbe, et, priusquam accessissent, conspicati, Iesum cum Samaritide loqui, mirabantur humanitatem Domini, quod verba faceret cum *tali* femina; iubent enim interpretes, veluti BEZA, subintelligere articulum, sic: *μετὰ τῆς γυναικὸς*, hoc est, vel, vt quibusdam placuit, cum femina paupercula, vel, vt visum est aliis, cum Samaritide, quod tum nefas duxissent discipuli ex sententia Iudaeorum. Neque tamen quisquam sciscitari audebat, quid rei petiisset a muliercula, aut quid locutus esset, ducti haud dubie reuerentia aduersus Dominum. Nam, vt CHRYSOSTOMVS notauit ad hunc locum, etiamsi nondum dignam eius existimationem haberent, eum tamen tanquam admirandum aliquem virum suspiciebant obseruabantque. Ipsa vero, stupefacta sermone Domini, nihil respondit, sed in vrbem accurrit, relicta hydria, vel, vt expeditior iret, vel etiam in vsum prandentium, quasi ex isto Iesu sermone iam edocta, ipsum mores illos Iudaeorum non curare, vel denique, quemadmodum interpretes nonnulli antiquiores arbitrati sunt, veluti CHRYSOSTOMVS, quoniam, ardore incensa et veluti rerum omnium oblita, et aquae, cuius hauriendae ferendaeque caussa venerat, et ipsius hydriae, quam secum tulerat, nihil iam aliud, quam de Messia, cogitaret, ciuesque vniuersos ad eum trahere vellet. In sermone autem, quo ad visendum Dominum excitauit ciues, (*πολίταις* habent nonnulli, loco τοῦ *ἀνθρώποις*, haud dubie e glossemate,) studium mulieris et prudentiam laudat CHRYSOSTOMVS, quippe, vt Dominus illam paulatim ad fidem non traxisset, sed adduxisset, ita et ipsa Samaritanos adducere conata fuerit. Primum enim non dicit: credite mihi, Messiam adesse, ego vidi; sed excitat, vt ipsi veniant et videant et iudicent; etenim verbum *videndi* non modo visum exprimit, sed iudicium, tanquam dixisset: venite et explorate, iudicateque ipsi, quisnam sit; sperabat

enim, fore, vt, simulatque eum audiuissent, Messiam cognoscerent. Nec dicit: vidéte prophetam, aut, Messiam, sed: *hominem;* quamuis maiorem mero homine existimaret; quia maluit ab iis exploratum credi, quam a se dici; admirabunda enim fatetur, praecipua, eaque occultissima vitae facinora et euenta ab ipso fuisse enarrata; nam τὰ πάντα, ὅσα ἐποίησα, in promtu est, de praecipua parte intelligenda esse. Denique quando dicit: μήτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός; non erraueris, si verba dubitantis putares; neque enim mirum videri potest, fidem ipsius tum non omni ex parte certam fuisse; sed probabilius tamen est, addubitandi modo dixisse, ne de re tanta imperita mulier iudicare videretur, sed vt omne iudicium iis relinqueret, quos ad iudicandum invitaret. Quo nuncio audito, accurrunt multi ex vrbe ad Christum quaerendum.

Hunc rumorem dum spargit mulier inter ciues, invitant Dominum discipuli, precanturque, vt cibum capiat, quem emerant; nam verbum: ἠρώτων idem denotare, quod τὸ παρεκάλουν, CHRYSOSTOMVS iam notauit. Inuitabant autem vel humanitatis causa, quoniam fame cruciari putabant, quem fessum de via esse, et ieiunum ad illum locum peruenisse scirent, vel, vt quibusdam placuit, propter causam hanc, quoniam vidissent, Dominum appositum iam cibum sumere noluisse, sed meditabundum sedisse et in aliam rem animo defixum, quae ita eum occupare videretur, vt adeo cibi obliuisceretur potusque. Sed vt vbique occasionem captabat, a rebus corporeis ad rerum spiritualium cognitionem excitandi hominum animos; ita et hac opportunitate vtebatur, qua et pectoris sui sensus aperiret discipulis, et exemplo suo ad docendi studium animos eorum concitaret. Etenim per allegoriam eos alloquebatur his verbis: *ego cibi genus habeo, de quo non constat vobis;* iucundius illud ac suauius, quam quod attulistis. Quae, facile quisque videt, Dominum dixisse

improprie, mentemque ipsius fuisse hanc, se insignem voluptatem percipere ex negotio aliquo, quod discipuli ignorarent. Verum non magis intellexerunt hi, quod de cibo, quam femina, quod de aqua dixerat, *decimo versiculo*. Nam vt haec non nisi de corporea aqua cogitabat; ita illi non nisi de corporeo cibo. Quare admirantes sermonem Domini, neque tamen interrogare audentes, pro reuerentia erga magistrum; *inter se quaerebant, num quis forte interea cibum ei attulisset?* In quo opus esse non videtur, statuere, quod nonnullos fecisse vidimus, veluti ORIGENEM, discipulos de miraculo aliquo cogitasse, cuiusmodi olim in exemplo Eliae, 1. *Reg. XVII*, 6. aut Domini ipsius, *Matth. IV*, 11. editum fuisse reperitur; etenim haud dubie per coniecturam, aliquem, qui forte eo venisset, vidissetque esurientem, sicut mulier sitibundum, cibum ipsi ministrasse putarunt. Igitur cum non perciperent mentem Domini, dixit apertius, quod dixerat obscurius. *Mihi*, inquit, *instar cibi est, satisfacere voluntati me mittentis, et opus perficere, ab eo mihi demandatum.* His quid proprie significare Dominus voluerit, explicandum est vberius. Fuit enim hic modus loquendi elegantissimus, et optimo cuique scriptori graeco et latino frequentissimus, vt vocabulum *cibi* ad animum transferrent, vsurparentque de quacunque re, quae explet desideria animi, eumque vel erudire potest sapientioremque reddere, vel emendare atque ad virtutis studium excitare, vel denique tranquillare et insigniter exhilarare. Ac Graeci quidem vsi sunt vocabulis *εὐωχίας, ὄψου, τροφῆς* et id genus aliis; Latini autem *pastum animorum* dixere, itemque *epulum* et *cibum*, porro *edere* et *mentem alere*; loca videri possunt apud interpretes et apud DVCKERVM, ad *Thucyd. I*, 70. Vnum tantum subiiciemus, quem KYPKIVS ad hunc locum excitauit, qui extat apud ACHILLEM TATIVM, *L. V. p.* 307. vbi Melite Clitophonti, querenti,

quod cibum non caperet, respondit: ποῖον γάρ ὄψον μοὶ πολυτελὲς, ἢ οἶνος τιμιώτερος τῆς σῆς ὄψεως; — αὕτη μοὶ τροφή. Sed hi modi loquendi in primis frequentes fuere scriptoribus Iudaicis, de quibus vid. LAMPIVS, ad hunc locum, atque adeo ipsis scriptoribus sacris T. V. veluti Dauidi, *Ps. XIX*, 8. vbi doctrinam diuinam laudat propterea, quoniam animum *alat et recreet*, et *v.* 11. quoniam sit *dulcior melle*. Hinc et Dominus ipse in sequentibus vsus est verbis *edendi* et *bibendi*, itemque vocabulis *cibi* et *potus*. Haec igitur cum dicta reperiantur de rebus iis, quibus insigniter delectamur; Dominus verbis, supra positis, significare voluit haec, sibi maximo oblectamento esse, voluntati Patris morem gerere, atque obsequio eius se non minus exsatiari, quam cibo; immo se tanta cum voluptate peragendis operibus diuinis intentum esse, vt se cibi potusque obliuio capiat. Caeterum facile quisque videt, per τὸ θέλημα et τὸ ἔργον intellexisse Dominum non tantum docendi homines emendandique negotium, sed opus vniversum, quod ipsi Pater demandauit in his terris peragendum. Conf. *Cap. XVII*, 4.

Atque hoc suo exemplo incitare quoque voluit animos discipulorum ad eandem mentem assumendam in obeundo munere futuro. Itaque subiecit haec: *tritum est apud vos: post quatuor menses instat messis. Iam attollite quaeso oculos vestros et agros adspicite, vt iam flauescant ad messem. Ac messor quidem mercede potitur, dum colligit fructum in vitam aeternam;* (sed nec seminator mercede destituitur;) *atque ita pariter laetatur et seminator et messor. Sed tamen hic locum habet et illud, quod vulgo dici solet, alium serere, alium metere. Vos ego mittam ad metendum segetem, in qua agrum non coluistis; alii enim coluerunt agrum, vos in laborem eorum succedetis.* Etenim in hoc loco adhortatus est Dominus discipulos ad studium tradendae doctrinae diuinae munerisque administrandi,

et quidem argumento triplici, et opportunitate amplissima, et fructibus vberrimis, et facilitate eximia.

Ac verba quidem *versiculi quinti et tricesimi: τετράμηνός ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται,* (etenim suspecta visa est viris, rei criticae peritis, et vocula ἔτι, et lectio: *τετράμηνον,* subintellecto τῷ· *μέρος,* quemadmodum in illo subintelligendum sit τὸ· *χρόνος,*) haec igitur verba, facile quisque concesserit, habuisse vim proverbii apud Iudaeos, quo laborum molestias lenire solebant spe praemiorum proxime futurorum. Quare verba haec: *ὑμεῖς λέγετε,* in promtu est, non accipienda esse de sermone discipulorum, quo illo ipso tempore vsi fuerint, sed de sermone vulgi tempore sementis, adeoque posita esse pro: *λέγουσι, vulgo dicunt.* Deinde haerendum non est in propria significatione vocabuli *τετράμηνος,* neque adeo quaerendum, quomodo tempus inter sementem et messem dici potuerit mensium quatuor, cum esse soleat interuallum mensium sex; est enim ex ratione illarum regionum, vel ex loquendi consuetudine populari explicandum, in qua verba vsurpari constat non semper ad *ἀκρίβειαν.* Denique sensus est haud dubie hic: non metuendus est labor, quoniam non longe abest praemium; mens autem Domini haec fuisse videtur: vt fructus spes messorem prouocat ad operas faciendas, ita et vos alacres estote et promti ad perficiendum opus, fidei vestrae demandandum, et ad vestram ipsorum, et vero etiam ad communem aliorum, immo vero totius generis humani vtilitatem fructuosissimum. Nam messem adesse dicimus tum, cum vel fructus laborum percipimus, vel copia adest, praeclare faciendi et bene merendi. Sed alium sensum huic aenigmati tribuisse vidimus permultos antiquiorum recentiorumque interpretum. Etenim desumtum esse putarunt a segetibus teneris adhuc et herbescentibus, de quibus agricola nihil certi sibi polliceri possit, propterea, quoniam calamitates

saepe incidere soleant, quae non sinant eum optato potiri, vsurpatumque adeo ad indicandam spem immaturam et incertam, veluti illud apud poetam: *adhuc tua messis in herba est*, et adhibitum hoc loco, vel a Domino ipso, significante, fructum laboris incertum quidem esse, sed tamen laborandum, vel, vt aliis placet, a discipulis, atque in vniuersum, otiosis hominibus, labores in crastinum differentibus, suamque tarditatem excusantibus, quoniam temporis multum superesit. Nec sic quidem male. Ita enim dixisset Dominus, non multum, siue, nihil temporis superesse ad messem, occasionem bene merendi iam adesse, pronos esse hominum animos ad suscipiendam doctrinam diuinam et efflagitare operam discipulorum studiumque. Ad verba autem, quae sequuntur: *ἐπάρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν*, quaerere vidimus interpretes, quosnam oculos tollere praeceperit Dominus, num corporis, an mentis? Atque alii quidem, veluti CHRYSOSTOMVS, corporis oculos Dominum putant intellexisse, hisque praecipere voluisse, vt prospicerent aduentantem Samaritanorum multitudinem, mox credituram, atque inde coniicerent, quam maturae essent aliae regiones, cum illa, quae hostilis videretur et maxime immatura, tam matura esset, vt falcem postularet, simulque eos testimonio oculorum refutare, quoniam dubitassent, Samaritanos aut nunquam, aut sero ad Christum esse accessuros, atque existimassent, Dominum spe certa rem incertam praecepisse. Alii vero solos mentis oculos intelligendos esse, existimarunt, sic, vt haec verba plane redundarent, ex consuetudine hebraica, sensusque constituendus esset hoc modo: adesse, credite, eamque multam copiosissimamque de genere humano bene merendi opportunitatem. Caeterum *agros* intellexit Dominus haud dubie de vniuersa multitudine hominum illius temporis, non tantum Samaritanorum, eosque *flauescentes* dixit, quoniam parati erant ad am-

plectendam doctrinam suam; per *messem* porro, vt alias quoque, conuersionem hominum ad religionem suam significauit, quemadmodum praedicationem eiusdem comparauit cum semente. *Matth. IX*, 37. *XIII*, 3. Quare per *seminatorem* innuit eum, qui fundamenta posuerat tradendae doctrinae diuinae, quod erat maximum, vel qui occasionem praebuerat, eam tradendi atque ita de genere humano praeclare merendi, per *messorem* autem, qui oblata hac occasione vtitur, per *fructus* denique, qui in vitam aeternam, siue, vt alias dixit, *Matth. XIII*, 30. in horrea colliguntur, homines eos, qui adduci se patiuntur ad religionem, fidem, sanctitatem, felicitatemque huius et futurae vitae. Itaque *messor*, inquit, *accipiet mercedem*; qua vel praemia laborum futura intellexit, vel hoc, quod fructus aeternos colligit, in quo est praemium maximum; *sed et seminator mercedem amplissimam percipiet*; hoc enim est subintelligendum; *atque ita laetabitur et qui metit*, Apostoli nimirum, *et qui sementem fecit*, hoc est, Dominus ipse.

Nec dubitari potest, *versiculo septimo et tricesimo* rursus vsum esse Dominum prouerbio; id enim denotat vocabulum λόγου, BEZA iam notante e CHRYSOSTOMO et THEOPHYLACTO; quod quidem tritissimum videtur fuisse apud Hebraeos, cuique simile extat *Ies. LXV*, 21. 22. et similia multa apud scriptores graecos reperiuntur, veluti hoc: ἄλλοι μὲν σπείρουσιν, ἄλλοι δ' ἀμήσονται, et alia, quae commemorarunt interpretes. Sed de sensu eius dissentiunt. Nobis videtur esse hic: alius laborat, alius fructum laboris videt; alius inchoat opus, alius opus inchoatum perficit. Haec autem in sequentibus explicauit Dominus de se et Apostolis. Scilicet sementem fecerat Seruator, dum fundamenta posuerat religionis et ecclesiae in his terris, hominum animos praeparauerat docendo, Apostolos constituerat, iisque Spiritum suum de coelis missurus erat; neque ta-

men metebat, hoc est, non videbat, dum in his terris viueret, fructus laboris, non videbat latam propagationem doctrinae extra Palaestinam, non videbat ecclesiam, ne in ipsa quidem Iudaea; metebant autem Apostoli, videbant, quae Christus non vidit, laetam propagationem doctrinae, ecclesias multas et amplas, non modo in Palaestina, sed in vniuerso orbe terrarum. Atque ita missurus erat Apostolos, (etenim verba ἀπέστειλα et εἰσεληλύθατε habent vim temporis futuri, seu praesentis, ex consuetudine scriptorum sacrorum, in primis Ioannis,) ad metendos fructus, quos non conseverant; nam sementem fecerat Dominus, hoc est, fundamenta posuerat religionis et ecclesiae christianae; alii arua coluerunt, animos praepararunt; Apostoli in arua ab illis laborata succedebant, rem paratam aggrediebantur, tradebant religionem hominibus, vltro se praebentibus coelesti doctrinae et in rempublicam christianam vel per vim irrumpere conantibus, vt alias loquitur Dominus. Itaque *seminator* fuit Iesus, nonnulli Ioannem Baptistam addunt; *messores* Apostoli fuere; *arua* denique *culta* vel Iudaei, vel in specie Samaritani, quos Dominus ipse docere volebat et praeparare, vt, cum Apostoli ad eos instituendos venissent, eo libentius doctrinam diuinam amplecterentur; quod et euentum habuisse, a Luca edocemur. *Act. VIII*, 5. *sqq.* Sed multo latius acceperunt ORIGENES, CHRYSOSTOMVS, et reliqui fere omnes, existimantes, per τοὺς ἄλλους intelligi non modo Dominum ipsum et Ioannem Baptistam, sed prophetas V. T. omnes, ac sermonem esse non modo de Iudaeis tempore Christi, sed de vniversa gente Iudaica T. V. immo vero fuere quoque, qui putarent, etiam de Gentilibus hic agi, quippe quos, sicut prophetae Iudaeos, praeparauissent Philosophi ad recipiendam doctrinam christianam, dum, licet admixtis multis erroribus, docuissent, esse Deum, eumque bonum et sapientem, curam rerum omnium gerentem,

immortalem esse animam humanam, proposita esse in vita altera bonis praemia, supplicia malis, eiusque generis alia multa, quae cum religione christiana conueniant. Atque in promtu sunt, quae CLEMENS ALEXANDRINVS, aliique multi veteris ecclesiae doctores, de philosophia paedagogo Gentilium disputarunt; quae latius prosequi non est necesse.

Nam redit oratio, vnde digressa erat, ad ciues Sichemiticos. Ita enim pergit Ioannes: *multi ciuium Samaritanorum illius vrbis eum pro Messia amplexi sunt, commoti sermone mulieris, testantis, fata sua occulta sibi ab eo esse indicata. Deinde vero cum venissent ad Iesum, rogabant, vt apud se diuerteret; et per biduum illic commoratus est. Sed multo plures per ipsius institutionem ad fidem in ipsum adducti sunt; significantes feminae haec: non iam tuis verbis permoti, in eum credimus, sed, ipsius sermonibus edocti, intelligimus, eum vere esse Seruatorem mundi, eundemque Messiam.* Scilicet hoc tali sermone dum cohortabatur Dominus suos ad studium propagandae doctrinae diuinae, res ipsa declarabat, vera esse, quae de messe flauescente dixerat. Etenim ciuium Sichemiticorum multi, antequam exirent, Iesum Messiam esse crediderant, permoti sermone mulieris, scientiam eius diuinam laudantis, qua sibi aperuisset vitae suae euenta occultissima quaeque, et praedicantis, quod modo audiuisset ex ore ipsius, eum esse Messiam. *Vers.* 26. et 29. Ita enim haud dubie intelligenda sunt, quae continentur *versiculo nono et tricesimo*; non vero sic, vt visum est nonnullis, tanquam tum demum credidisse dicantur, postquam ad Iesum venissent. Deinde vero procurrunt e ciuitate, vt oculis suis cernant, quem laudauerat femina, de quo et ipsi praeclaram opinionem conceperant, antequam videbant. Et vident ipsum, nec offenduntur externa tenuitate, sed precibus inuitant, vt vrbis suae hospitio vti dignetur; quod faciebant non modo

officii et humanitatis causa, sed quoniam volebant, quem Messiam esse crederent, retinere apud se, vberiusque ab eo institui flagrabant. Iam audito Iesu, credebant multo plures, διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ, dixit Ioannes, non: propter miracula; vnde colligi voluit CHRYSOSTOMVS, Dominum ibi miraculum nullum edidisse. Laudant quoque institutionem Domini, significantes feminae, se non verbis ipsius permotos, sed sermonibus eius edoctos, eum Messiam profiteri. Id enim significare in hoc loco verbum πιστεύειν, euidenter patet ex vers. 25. 26. 29. et 42. Vocabulum λαλιᾶς autem, quo Ioannes vsus est, denotat quidem alias proprietatem loquendi, quae διάλεκτος appellatur, veluti *Matth. XXVI*, 73. sed hoc loco idem est, atque vocabulum λόγου, quod adhibuit Apostolus *versiculo nono et tricesimo*, Syro interprete in vtroque loco eandem vocem vsurpante. Denique Iesum profitentur σωτῆρα τοῦ κόσμου, Seruatorem totius generis humani, non tantum Iudaeorum; in quo sensisse videntur multo rectius, quam Iudaei ipsi. Atque in vniuersum iure suo ad hunc locum laudarunt interpretes, veteres et recentiores, vehementer Samaritanorum in recipienda doctrina Iesu Domini animum promtum et liberalem, in primis si comparetur cum contumacia Iudaeorum. Illi enim, doctrinae prophetarum imperiti homines, testimonio mulieris fidem habent, ad Iesum procurrunt, eum hospitio excipiunt, audiunt assidue et attente, denique Messiam mundique sospitatorem profitentur, a quo nullum miraculum, nihilque praeclare gestum viderant; hi vero, Iudaei, pharisaei, sacerdotes, doctrinae Mosis et prophetarum periti, visis tot miraculis, tot sermonibus auditis, affecti tot beneficiis, Iesum repudiant, calumniantur, conuiciis proscindunt, saxis eiiciunt. Ita quo quisque sibi videbatur religiosior, verissime ait ad hunc locum ERASMVS, eo longius aberat a vera fide pietateque; et quo quisque videbatur secundum iudicium humanum

immortalem esse animam humanam, proposita esse in vita altera bonis praemia, supplicia malis, eiusque generis alia multa, quae cum religione christiana conueniant. Atque in promtu sunt, quae CLEMENS ALEXANDRINVS, aliique multi veteris ecclesiae doctores, de philosophia paedagogo Gentilium disputarunt; quae latius prosequi non est necesse.

Nam redit oratio, vnde digressa erat, ad ciues Sichemiticos. Ita enim pergit Ioannes: *multi ciuium Samaritanorum illius vrbis eum pro Messia amplexi sunt, commoti sermone mulieris, testantis, fata sua occulta sibi ab eo esse indicata. Deinde vero cum venissent ad Iesum, rogabant, vt apud se diuerteret; et per biduum illic commoratus est. Sed multo plures per ipsius institutionem ad fidem in ipsum adducti sunt; significantes feminae haec: non iam tuis verbis permoti, in eum credimus, sed, ipsius sermonibus edocti, intelligimus, eum vere esse Seruatorem mundi, eundemque Messiam.* Scilicet hoc tali sermone dum cohortabatur Dominus suos ad studium propagandae doctrinae diuinae, res ipsa declarabat, vera esse, quae de messe flauescente dixerat. Etenim ciuium Sichemiticorum multi, antequam exirent, Iesum Messiam esse crediderant, permoti sermone mulieris, scientiam eius diuinam laudantis, qua sibi aperuisset vitae suae euenta occultissima quaeque, et praedicantis, quod modo audiuisset ex ore ipsius, eum esse Messiam. *Vers.* 26. et 29. Ita enim haud dubie intelligenda sunt, quae continentur *versiculo nono et tricesimo*; non vero sic, vt visum est nonnullis, tanquam tum demum credidisse dicantur, postquam ad Iesum venissent. Deinde vero procurrunt e ciuitate, vt oculis suis cernant, quem laudauerat femina, de quo et ipsi praeclaram opinionem conceperant, antequam videbant. Et vident ipsum, nec offenduntur externa tenuitate, sed precibus inuitant, vt vrbis suae hospitio vti dignetur; quod faciebant non modo

officii et humanitatis causa, sed quoniam volebant, quem Messiam esse crederent, retinere apud se, vberiusque ab eo institui flagrabant. Iam audito Iesu, credebant multo plures, διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ, dixit Ioannes, non: propter miracula; vnde colligi voluit CHRYSOSTOMVS, Dominum ibi miraculum nullum edidisse. Laudant quoque institutionem Domini, significantes feminae, se non verbis ipsius permotos, sed sermonibus eius edoctos, eum Messiam profiteri. Id enim significare in hoc loco verbum πιστεύειν, euidenter patet ex vers. 25. 26. 29. et 42. Vocabulum λαλιᾶς autem, quo Ioannes vsus est, denotat quidem alias proprietatem loquendi, quae διάλεκτος appellatur, veluti *Matth. XXVI*, 73. sed hoc loco idem est, atque vocabulum λόγου, quod adhibuit Apostolus *versiculo nono et tricesimo*, Syro interprete in vtroque loco eandem vocem vsurpante. Denique Iesum profitentur σωτῆρα τοῦ κόσμου, Seruatorem totius generis humani, non tantum Iudaeorum; in quo sensisse videntur multo rectius, quam Iudaei ipsi. Atque in vniuersum iure suo ad hunc locum laudarunt interpretes, veteres et recentiores, vehementer Samaritanorum in recipienda doctrina Iesu Domini animum promtum et liberalem, in primis si comparetur cum contumacia Iudaeorum. Illi enim, doctrinae prophetarum imperiti homines, testimonio mulieris fidem habent, ad Iesum procurrunt, eum hospitio excipiunt, audiunt assidue et attente, denique Messiam mundique sospitatorem profitentur, a quo nullum miraculum, nihilque praeclare gestum viderant; hi vero, Iudaei, pharisaei, sacerdotes, doctrinae Mosis et prophetarum periti, visis tot miraculis, tot sermonibus auditis, affecti tot beneficiis, Iesum repudiant, calumniantur, conuiciis proscindunt, saxis eiiciunt. Ita quo quisque sibi videbatur religiosior, verissime ait ad hunc locum ERASMVS, eo longius aberat a vera fide pietateque: et quo quisque videbatur secundum iudicium humanum

longius abesse a cognitione Christi, quoque magis alienus a religione, eo erat ad eam suscipiendam propensior atque capacior.

Caeterum tota haec narratio quam apta sit, quamque conueniens consilio Ioannis in scribendo hoc libro diuino, facile quisque videt. Etenim cum ex sermonibus Iesu ipsis ostendere vellet et palam facere, quisnam esset, qualemne se gesserit, quidque exspectari a se voluerit, atque ita demonstrare, eum esse Filium Dei verissimum et Messiam exoptatissimum; non poterat esse aliquid ad eam rem intelligendam illustrius et euidentius, sermonibus iis, in quibus documenta virtutum diuinarum ediderat luculentissima, seque disertis verbis professus erat auctorem felicitatis humanae vnicum, Seruatorem totius mundi, Messiam.

Sed non nisi biduum Samaritanorum hospitio vsus est Dominus, vel ne Iudaeis causam daret maioris odii et inuidentiae, nec occasionem praeberet, querendi, se ab eo spretos esse, Samaritanos vero sibi antepositos, vel quoniam satis largam sementem apud Samaritanos fecisse putaret, ex qua aliquando messem meterent discipuli, vt vere factum esse constat, in patria autem fructum euangelii insignem exspectaret. Igitur *biduo post illinc digressus, in Galilaeam secessit, quamuis declarasset, vatem non semper acceptum esse in patria.* Hic enim videtur esse nexus inter hos duo versiculos. Scilicet Dominus saepius vsus esse legitur trito illo, veluti *Matth. XIII*, 57. *Marc. VI*, 4. et in primis *Luc IV*, 24. in quo loco, postquam docuerat Dominus in synagoga vrbis Nazarethensis, exprobraueratque ciuibus *ἀπιστίαν* eorum, repleti esse dicuntur iracundia omnes, haec audientes, eumque, vrbe eiectum, rapuisse in cacumen montis, vt eum inde praecipitarent; ibi igitur inter alia vsurpasse legitur verba haec: *οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ.* Cuius effati memores discipuli, nihil minus exspectare poterant,

quam vt reuerteretur Dominus in hanc ingratam patriam. Etenim vocabulum πατρὶς non tantum vrbem denotat, sed etiam regionem, in qua aliquis natus et educatus est, maximamque vitae partem egit. Ac sane non haec patria Iesu, sed Iudaea, in primisque vrbs Hierosolymitana, videbatur locus esse is, vbi virtutum diuinarum magnitudinem explicare posset Dominus. Sed ipsi aliter visum erat. Selegit Galilaeam, patriam suam, prae reliquis, vbi doceret, miracula patraret, virtutemque diuinam demonstraret. Cuius rei caussas habuisse videtur satis graues. Erat Galilaea, auctore IOSEPHO, *de Bello Iud. L. III. Cap.* 3. regio amplissima, multis aliis gentibus circumdata, longe fertilissima et fructibus omnis generis affluentissima, habebatque vrbes frequentes et crebros vicos, vbique populosos propter soli bonitatem, vt, qui minimus esset, supra quindecim millia incolarum haberet; in primis regio ad lacum Gennesar, auctore eodem IOSEPHO, *l. c. Cap.* 10. admirabilis erat natura et pulchritudine. Erat porro patria discipulorum Domini praecipuorum, in primis Capernaumum, vbi habitarent et negotia sua tractarent, apud quos et ipsos commorari solebat Dominus plerumque. Galilaei vero erant quidem rerum Iudaicarum legisque scientia non satis periti, ac propterea contemti Iudaeis, habitantibus in Iudaea, quippe qui dicere solebant, nullum unquam prophetam extitisse e Galilaeis; neque tamen etiam occupati erant peruersis magistrorum Iudaicorum opinionibus, atque adeo ad Christum suscipiendum propensiores et doctrinae euangelicae capaciores. Hanc igitur regionem prae caeteris selegit Dominus, in hac maximam vitae et muneris partem transegit, in hac plus, quam in alia, doctrina et factis saluti hominum consulere posse sperabat. Ita respondit vaticinio Iesaiano, a Matthaeo excitato, *Cap. IV*, 14. *sqq.* quo praedictum erat, circa fines Zabulon et Nephthalim, hoc est, in Galilaea, exoriturum lucem

longius abesse a cognitione Christi, quoque magis alienus a religione, eo erat ad eam suscipiendam propensior atque capacior.

Caeterum tota haec narratio quam apta sit, quamque conueniens consilio Ioannis in scribendo hoc libro diuino, facile quisque videt. Etenim cum ex sermonibus Iesu ipsis ostendere vellet et palam facere, quisnam esset, qualemne se gesserit, quidque exspectari a se voluerit, atque ita demonstrare, eum esse Filium Dei verissimum et Messiam exoptatissimum; non poterat esse aliquid ad eam rem intelligendam illustrius et euidentius, sermonibus iis, in quibus documenta virtutum diuinarum ediderat luculentissima, seque disertis verbis professus erat auctorem felicitatis humanae vnicum, Seruatorem totius mundi, Messiam.

Sed non nisi biduum Samaritanorum hospitio vsus est Dominus, vel ne Iudaeis causam daret maioris odii et inuidentiae, nec occasionem praeberet, querendi, se ab eo spretos esse, Samaritanos vero sibi antepositos, vel quoniam satis largam sementem apud Samaritanos fecisse putaret, ex qua aliquando messem meterent discipuli, vt vere factum esse constat, in patria autem fructum euangelii insignem exspectaret. Igitur *biduo post illinc digressus, in Galilaeam secessit, quamuis declarasset, vatem non semper acceptum esse in patria.* Hic enim videtur esse nexus inter hos duo versiculos. Scilicet Dominus saepius vsus esse legitur trito illo, veluti *Matth. XIII,* 57. *Marc. VI,* 4. et in primis *Luc. IV,* 24. in quo loco, postquam docuerat Dominus in synagoga vrbis Nazarethensis, exprobraueratque ciuibus ἀπιστίαν eorum, repleti esse dicuntur iracundia omnes, haec audientes, eumque, vrbe eiectum, rapuisse in cacumen montis, vt eum inde praecipitarent; ibi igitur inter alia vsurpasse legitur verba haec: οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ. Cuius effati memores discipuli, nihil minus exspectare poterant,

quam vt reuerteretur Dominus in hanc ingratam patriam. Etenim vocabulum πατρὶς non tantum vrbem denotat, sed etiam regionem, in qua aliquis natus et educatus est, maximamque vitae partem egit. Ac sane non haec patria Iesu, sed Iudaea, in primisque vrbs Hierosolymitana, videbatur locus esse is, vbi virtutum diuinarum magnitudinem explicare posset Dominus. Sed ipsi aliter visum erat. Selegit Galilaeam, patriam suam, prae reliquis, vbi doceret, miracula patraret, virtutemque diuinam demonstraret. Cuius rei caussas habuisse videtur satis graues. Erat Galilaea, auctore IOSEPHO, *de Bello Iud. L. III. Cap.* 3. regio amplissima, multis aliis gentibus circumdata, longe fertilissima et fructibus omnis generis affluentissima, habebatque vrbes frequentes et crebros vicos, vbique populosos propter soli bonitatem, vt, qui minimus esset, supra quindecim millia incolarum haberet; in primis regio ad lacum Gennesar, auctore eodem IOSEPHO, *l. c. Cap.* 10. admirabilis erat natura et pulchritudine. Erat porro patria discipulorum Domini praecipuorum, in primis Capernaumum, vbi habitarent et negotia sua tractarent, apud quos et ipsos commorari solebat Dominus plerumque. Galilaei vero erant quidem rerum Iudaicarum legisque scientia non satis periti, ac propterea contemti Iudaeis, habitantibus in Iudaea, quippe qui dicere solebant, nullum unquam prophetam extitisse e Galilaeis; neque tamen etiam occupati erant peruersis magistrorum Iudaicorum opinionibus, atque adeo ad Christum suscipiendum propensiores et doctrinae euangelicae capaciores. Hanc igitur regionem prae caeteris selegit Dominus, in hac maximam vitae et muneris partem transegit, in hac plus, quam in alia, doctrina et factis saluti hominum consulere posse sperabat. Ita respondit vaticinio Iesaiano, a Matthao excitato, *Cap. IV*, 14. *sqq.* quo praedictum erat, circa fines Zabulon et Nephthalim, hoc est, in Galilaea, exoriturum lucem

diuinae veritatis in tenebris versantibus. Ab eo igitur tempore, vt docuit idem Matthaeus, *l. c. vers.* 23. *sqq.* peragrauit Dominus vniuersam Galilaeam, tradendo doctrinam de regno Dei et sanando omnis generis morbos; vnde fama eius exiit non modo in Galilaeam, sed etiam in omnem regionem finitimam, ita, vt adducerent ad eum aegrotantes omnes, diuersis cruciatibus vexatos, daemoniacos, epilepticos, arthriticos, quos sanauit omnes. Nec deerant animi dociles; saltem sectabatur ipsum magna multitudo populi ex Galilaea, Decapoli, Iudaea quoque et regionibus Iordanicis. Hic igitur, in Galilaea, contemtissima Iudaeorum regione, auspicari ipsi placuit praedicationem euangelii; hic primum annum muneris fere totum transegit, habuitque inter alia orationem eam, quae montana appellari solet.

Quare Ioannes versiculo quinto et quadragesimo: *Galilaei,* inquit, *vt aduenisset, excipiebant eum* vbique libenter et magna cum voluptate; (id enim exprimit verbum: *ἐδέξαντο*) *cum vidissent ea omnia, quae fecerat Hierosolymis per dies festos paschatis, quibus et ipsi interfuerant.* Igitur fama Iesu non erat incelebris, cum rediret in Galilaeam, diuulgata per totam regionem in primis per eos, qui spectatores fuerant eorum, quae ipsis solennitatibus paschalibus fecerat Hierosolymis, cum nimirum eiiceret ementes et vendentes e templo, vt supra narrauit Ioannes. *Cap. II,* 14. *sqq.*

Repetiit autem Canam, vbi aquam in vinum verterat. Atque hic statim ei offerebatur occasio, virtutem auctoritatemque suam in lucem proferendi. *Erat enim regius quidam, cuius filius periculose aegrotaret Capernaumi.* Hic *βασιλικὸς* quisnam fuerit, num regio genere natus, an alius vir nobilis, in dignitate constitutus, an vero etiam minister regis et ipsius Caesaris, sub eius nomine magistratum gerens, numque fuerit Iudaeus, an ethnicus, certo dici non potest. Potest

enim ad vocabulum βασιλικὸς subintelligi vel: συγγενὴς, Graecis autem βασιλικοὶ dicebantur filii aut agnati regum; vel, vt aliis placet: ἀνὴρ, vel denique, vt habet interpres Syrus: δοῦλος, seu: ὑπηρέτης.

Hic, accepto nuncio, Iesum rediisse e Iudaea in Galilaeam, eum adiit, rogans, vt vna secum iret Capernaumum, ad sanandum filium ipsius, morti proximum. Rogabat igitur cum magna fiducia, ostendebatque, se certo credere, Iesum efficere posse, quod rogaret. Habet autem praesens: ἥκω, significationem temporis praeteriti, non tantum apud scriptores sacros, sed etiam Atticos, vt docuerunt KREBSIVS et LOESNERVS *in Obseruatt. ad Cap. VIII, 42.* et FISCHERVS *in Indice ad Theophrastum.*

His precibus praeter consuetudinem non statim locum dedit Dominus, sed respondit haec: *vos, nisi videritis signa et prodigia, non facile creditis.* Quibus verbis tamen Dominus non taxare voluisse videtur regium, tanquam fidem nec haberet, nec habere vellet, nisi conspexerit miracula; nam habebat profecto fidem, demonstrabatque magnam fiduciam in potentiam Domini, eum posse etiam moribundis vitam et valetudinem restituere; laudabat potius illius fiduciam, taxabat autem ὀλιγοπιστίαν Iudaeorum, nam ad hos directa erant haec verba, volebatque dicere: hic fidem mihi habet, etsi nullum miraculum viderit, vos, nisi miracula conspexeritis, fidem non habetis. Tacite autem ostendit, illorum fiduciam sibi gratam esse, qui mero sermoni credunt, nullis miraculis confirmato.

Neque in malam partem responsum Domini accepit regius, modo intentus periculo filii, animam iam agentis, vrget Dominum, vt aduentum maturaret, quippe morbus filii posceret remedium praesentissimum. *Veni modo*, inquit, *antequam filius moriatur.* Dominus vero, vt ostenderet, se longe plus efficere posse, quam ille speraret, sibique aeque facile esse, in absentia quo-

que sanare aegrotum, quam in praesentia, vtque fidem eius firmaret: *abi*, inquit, *viuit filius tuus* et valet; non opus est, vt me ad te conferam. *Cui dicto fidem ille habet et abit.*

Dum adhuc est in itinere, serui ei occurrunt, nunciantes, filium conualuisse, ignari, quid actum esset inter Iesum et regium, suspicantesque, casu conualuisse aegrotantem; aut indicaturi regio, ne sollicitaret Iesum, cuius auxilio non amplius esset opus.

Ille tamen, scire cupiens, casune conualuisset filius, an virtute Iesu, *sciscitatur a famulis, quanam hora coepisset melius habere. Hi, pridie*, inquiunt, *ad horam septimam*, nostro more, horam primam pomeridianam, *febris eum deseruit. Inde coniiciebat pater, id contigisse illa ipsa hora, qua Iesus affirmasset, filium ipsius conualuisse*, adeoque recuperatam valetudinem filii acceptam referendam esse beneficio Domini. *Et credidit ipse et familia eius*, habuitque Iesum nisi pro Messia, certe pro viro diuino, a Deo misso ad salutem praestandam hominibus.

Atque hoc fuit miraculum alterum, quod edidit Iesus in Galilaea, cum e Iudaea in illam rediisset; idque valde notabile et consilio Ioannis accommodatissimum; atque ad illustrandam gloriam Domini efficacissimum. Etenim moribundo restituere vitam et valetudinem, in absentia, solo nutu voluntatis, eiusque eodem momento perfectam cognitionem habere, id non potest non esse insigne documentum potentiae et omniscientiae plane diuinae.

CAPVT V.

Neque alio consilio literis consignauit Ioannes sermones Domini, prae caeteris notabiles, qui continentur in hoc Capite. Ante omnia vero pro more suo narrauit occasionem, eorum habendorum.

Scilicet primum annum muneris maximam partem transegit Dominus in patria, Galilaea; sed instabant dies festi Paschatis, ad quos celebrandos petebat Hierosolymas. Igitur quae tradita reperiuntur in hoc quinto Capite, ad annum muneris Christi alterum referenda sunt; quae autem sequuntur inde a Capite sexto, pertinent ad annum muneris Christi tertium et vltimum. Nam per τὴν ἑορτὴν ἰουδαίων intelliguntur haud dubie dies festi paschales, qui et alias κατ' ἐξοχὴν ita appellari solent apud Euangelistas, veluti *Matth. XXVI*, 5. *XXVII*, 15. *Marc. XV*, 6. *Luc. XXIII*, 17. et apud ipsum Ioannem, *Cap. IV*, 45. *XI*, 56. *XII*, 12. quamvis essent inter interpretes, antiquos quoque, qui dies festos Pentecostales, aut etiam alios intelligendos esse putarent. Igitur *posthaec, instante die festo Iudaeorum, Iesus proficiscebatur Hierosolymas.*

Est vero Hierosolymis ad portam pecuariam balneum, hebraice Bethesda appellatum, cinctum quinque concluuibus, in quibus decumbere solet aegrotantium, coecorum, claudorum, mancorum magna multitudo, exspectantium turbationem aquae. Nam προβατικῇ, subintellecta voce: πύλη, denotat: portam pecuariam, non: ouilem; vocabulum πρόβατον enim vsurpatur de omni genere pecudis, non tantum de ouili. Satis nota est haec porta vel ex locis *Neh. III*, 1. 32. *XII*, 39. Vox κολυμβήθρα autem hoc loco non significat: lacum, nec: piscinam, sed: balneum. seu potius:

que sanasse aegrotum, quam in praesentia, vtque fidem eius firmaret: *abi*, inquit, *viuit filius tuus* et valet; non opus est, vt me ad te conferam. *Cui dicto fidem ille habet et abit.*

Dum adhuc est in itinere, serui ei occurrunt, nunciantes, filium conualuisse, ignari, quid actum esset inter Iesum et regium, suspicantesque, casu conualuisse aegrotantem; aut indicaturi regio, ne sollicitaret Iesum, cuius auxilio non amplius esset opus.

Ille tamen, scire cupiens, casune conualuisset filius, an virtute Iesu, *sciscitatur a famulis, quanam hora coepisset melius habere. Hi, pridie,* inquiunt, *ad horam septimam,* nostro more, horam primam pomeridianam, *febris eum deseruit. Inde coniiciebat pater, id contigisse illa ipsa hora, qua Iesus affirmasset, filium ipsius conualuisse,* adeoque recuperatam valetudinem filii acceptam referendam esse beneficio Domini. *Et credidit ipse et familia eius,* habuitque Iesum nisi pro Messia, certe pro viro diuino, a Deo misso ad salutem praestandam hominibus.

Atque hoc fuit miraculum alterum, quod edidit Iesus in Galilaea, cum e Iudaea in illam rediisset; idque valde notabile et consilio Ioannis accommodatissimum, atque ad illustrandam gloriam Domini efficacissimum. Etenim moribundo restituere vitam et valetudinem, in absentia, solo nutu voluntatis, eiusque eodem momento perfectam cognitionem habere, id non potest non esse insigne documentum potentiae et omniscientiae plane diuinae.

CAPVT V.

Neque alio consilio literis consignauit Ioannes sermones Domini, prae caeteris notabiles, qui continentur in hoc Capite. Ante omnia vero pro more suo narrauit occasionem, eorum habendorum.

Scilicet primum annum muneris maximam partem transegit Dominus in patria, Galilaea; sed instabant dies festi Paschatis, ad quos celebrandos petebat Hierosolymas. Igitur quae tradita reperiuntur in hoc quinto Capite, ad annum muneris Christi alterum referenda sunt; quae autem sequuntur inde a Capite sexto, pertinent ad annum muneris Christi tertium et vltimum. Nam per τὴν ἑορτὴν ἰουδαίων intelliguntur haud dubie dies festi paschales, qui et alias κατ' ἐξοχὴν ita appellari solent apud Euangelistas, veluti *Matth.* *XXVI*, 5. *XXVII*, 15. *Marc.* *XV*, 6. *Luc.* *XXIII*, 17. et apud ipsum Ioannem, *Cap.* *IV*, 45. *XI*, 56. *XII*, 12. quamvis essent inter interpretes, antiquos quoque, qui dies festos Pentecostales, aut etiam alios intelligendos esse putarent. Igitur *posthaec, instante die festo Iudaeorum, Iesus proficiscebatur Hierosolymas.*

Est vero Hierosolymis ad portam pecuariam balneum, hebraice Bethesda appellatum, cinctum quinque concluuibus, in quibus decumbere solet aegrotantium, coecorum, claudorum, mancorum magna multitudo, exspectantium turbationem aquae. Nam προβατικῇ, subintellecta voce: πύλη, denotat: portam pecuariam, non: ouilem; vocabulum πρόβατον enim vsurpatur de omni genere pecudis, non tantum de ouili. Satis nota est haec porta vel ex locis *Neh.* *III*, 1. 32. *XII*, 39. Vox κολυμβήθρα autem hoc loco non significat: lacum, nec: piscinam, sed: balneum. seu potius:

aedificium, super thermas, siue, aquas medicatas exstructum, vbi se lauare solent aegrotantes, quod nostri dicunt: ein Bad, siue: ein Badehaus. Hebraice appellabatur: βηθεσδὰ, בֵּית חִסְדָּא, domus misericordiae, hoc est, aedificium, exstructum charitatis et beniuolentiae exercendae causa, destinatumque excipiendis curandisque aegrotis; nosodochium Latini dicunt, et Franco-Galli: l'hôpital de la charité. Nec στοαὶ porticus denotant, hoc est, loca tecta et columnis instructa, in quibus stare et ambulare possent aegroti, a tempestate et solis aestu tuti, sed: conclauia, seu: cellas, in quibus poterant delitescere aegrotantes; Graecis dicebantur: οἶκοι. In hoc igitur balneo eiusque conclauibus decumbebant aegroti magno numero, turbationem aquae exspectantes.

Nam aquas turbare solebat statis temporibus angelus, coelo delatus; et quisquis post aquam, ab eo motam, primus se immersisset, sanitatem recipiebat, quocunque morbo laborasset. Fuit igitur hic fons medicatus et salubris, nec tamen vna continuatione, sed per interualla ebullire solebat et extrudere aquam, statis vicibus subterraneo igne commotam. Eam rem, miram sane, quoniam sibi explicare Iudaei non poterant, peculiari operationi diuinae adscribebant; et quoniam in eiusmodi operationibus extraordinariis Deum vti statuere solebant ministerio angelorum, propterea dicebant, angelum iussu diuino descendere et aquas mouere. In quo Ioannes videtur tribuisse aliquid ingenio Iudaeorum, dicere autem voluisse hoc, aegrotos sanari non tantum vi aquarum medicatarum, sed singulari beneficio diuino. Ita quidem probabili modo explicari posse videtur hic locus; sed negari non potest, eum vehementer esse suspectum, inde a verbis versiculi antecedentis: ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν, vsque ad verba: κατείχετο νοσήματι. Etenim haec verba in Codicibus optimis vel plane desunt, vel in margine scripta

et asteriscis notata reperiuntur, quae sunt signa lectionis suspectae; praeterea nec NONNVS *in Paraphr. Eu. Io.* ea expressit, nec doctores ecclesiae graecae legisse videntur. Extant quidem in Vers. latina, in quam tamen, vt nonnulla alia additamenta eiusmodi, irrepsere ex Patribus latinis, qui saltem, et nominatim TERTVLLIANVS, *de Bapt. c.* 5. narrant, angelum per interualla descendisse et aquas commouisse, vt vim salutarem acciperent; nam et hi, quae explicare non poterant ex causis naturalibus, referre solebant ad ἐνέργειαν angelorum. Quare profecto spurius videtur esse hic locus, et continere glossema, seu explicationem, ab aliena manu in margine adiectam.

Sed quicquid sit, *inter aegrotos*, degentes in isto balneo, *erat aliquis, per octo et triginta annos morbo vexatus.* Haec adeo perspicua sunt, vt mirandum sit, fuisse, qui putarent, istum hominem non per octo et triginta annos morbo laborasse, sed triginta et octo annos natum fuisse; quod verba ipsa patiuntur nullo modo. Ita enim dici debuisset: ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐν τῇ ἀσθενείᾳ, τριάκοντα καὶ ὀκτὼ ἔτη ἔχων. Neque tamen et hoc modo recte et linguae conuenienter dictum fuisset; nam Graeci non dicunt: εἶναι ἐν ἀσθενείᾳ, sed: ἔχειν ἐν ἀσθενείᾳ, quod est pro: ἔχειν ἀσθενῶς. Nec illam interpretationem patitur versus sequens, in quo homo iste per longum tempus cum morbo conflictatus esse dicitur.

Igitur *Iesus, illum decumbentem conspicatus, ac probe sciens, tam longo tempore male habitum fuisse,* (ad verbum ἔχει repetendum est: ἐν ἀσθενείᾳ;) *interrogat, an non conualescere optet. Ille, Domine, inquit, habeo neminem, qui me post aquam commotam lauacro immittat; dum ego venio, ante me descendere solent alii.* Etiam hic aqua dicitur turbata fuisse; quod tamen intelligi explicarique potest ex causis naturalibus; fieri enim solet in fontibus medicatis, vt aqua

ebulliat per interualla, et in thermis frequentatis, vt numerus aegrotorum praeter modum magnus sit, et impediantur nonnulli, in primis pauperes, quo minus vti possint balneo.

Tum Iesus surgere eum iubet et sublata lectica *) *abire. Simul cum dicto sanatus est et sumta lectica discessit.* In quo admirari nemo non potest potentiam Domini plane diuinam, benignitatemque et misericordiam insignem. Non spernebat Dominus pauperum tabernas, adibat loca, in quibus miseria humana locum fixisse videtur, miserebatur aegrotorum, in primisque illius, omnium maxime deplorati, qui tenebatur morbo periculosissimo, vetustissimo ac pene imme-

---

*) Ita reddi posset vocabulum: *κράβατος*, seu: *κράββατος*. Exprimit enim lecti genus, idque vile, quod Graecis antiquioribus dicebatur *ἀσκάντης* et *σκίμπους*, hoc est, *κλινίδιον εὐτελές*, vt docuerunt Lexicographi et Scholiastae. Conf. *Etymologicum Magn.* 154. 29. HESYCHIVS et SVIDAS, voc. *ἀσκάντης* et *σκίμπους*, *Scholiastes Luciani Lexiphan. II*, 6. 329. *edit. Reizii.* Apud MARCVM ANTONINVM *de se ipso Libr. I.* §. 6. est locus, in quo dicit, se consueuisse a pueris, loco mollioris, lectum e pellibus stratum expetere, *τὸ σκίμποδος καὶ δορᾶς ἐπιθυμῆσαι.* In Scripturis, nominatim *Act. V*, 15. vocabulum *κράβατος* coniunctum reperitur cum voce: *κλίνη*, quae denotat lectum et triclinarem, in quo comedentes, et cubicularem, in quo dormientes et aegrotantes decumbere solebant, eundemque vel pretiosiorem, vel viliorem. *Matth. IX*, 2. 6. *Marc. IV*, 21. *VII*, 4. 30. Latini quoque dixerunt *grabatum* et *grabatulum*, et a lecto distinxerunt; veluti CICERO *de Diuinat. II*, 36. vbi *Deos immortales*, ait, *concursare omnium mortalium non modo lectos, verum etiam grabatos.* Vid. quos laudauit GESNERVS *in Thesauro.* Quare et hoc loco vocabulum *κράβατος* latine reddi quoque posset: *grabatus*; explicatum tamen etiam extat in Lexicis antiquis per vocem: *lectica*, quae nimirum denotat lectum eiusmodi, in quo non tantum recumbere solet aliquis, sed etiam portari. Ac talis intelligendus videtur esse hoc loco, nempe lectulus, ex ligno constructus, ad deportandos aegrotos.

dicabili, quique maxime desiderabat auxilium alienum, adeo autem tenuis erat, vt conducere non posset, qui eum tempestiue deferret in aquam, qui denique non maledicebat, non execrabatur diem natalem, vt calamitosi plerique, sed patienter ferebat miseriam, nec, toties spe frustratus, spem abiecerat, et, cum Iesum non nosset, ex beneuola tamen compellatione misericordem putabat, exspectabatque ab eo saltem hoc, vt vel ipse, vel per alium ipsum immitteret balneo, hunc igitur Dominus, commotus misericordiae sensu intimo, sananit vno verbo, sic, vt, cum primum audiret vocem Domini: *surge et abi*, statim liberaretur a morbo, eoque pertinaci, nec languidum se et imbecillem sentiret, quemadmodum solent, qui medicorum arte sanantur, sed recuperaret vno momento vires bene valentis, et qui alias non nisi aliorum ope deportaretur, nunc sua vi saluus abire posset, nulla morbi vestigia prae se ferens. Sed haec commemorauit Ioannes non alio consilio, quam vt inde intelligeretur diuina Iesu Domini maiestas, atque vt praefaretur sermonibus sequentibus Domini, ad eandem rem intelligendam illustrissimis.

Erat autem dies sabbaticus, quo abiret domum, lectica tergo imposita. Quod cum viderent nonnulli de Iudaeis, offensi, quod onus portaret tali die, id enim putabant nefas esse, adoriuntur illum et obiurgant his verbis: *scin tu, diem sacrum esse, nec licere tibi, lecticam portare? Ille respondet: qui me sanabat, iussit, vt sublata lectica discederem.* Quare illi: *quis demum fuit* eo audaciae progressus, *quaerunt, qui te lecticam auferre die sacro et abire iuberet.* Eum enim putant crimen violati sabbati commisisse, certe tentabant, tale crimen in eum impingere. *Sed sanatus de nomine non nouerat Iesum; is enim subtraxerat se multitudini adstanti;* partim ne sua praesentia statim irritaret Iudaeorum inuidiam, partim vt ipso absente miraculum ma-

iori cum fide cognosceretur ex eo, qui sanitatis beneficium acceperat. Caeterum de verbo *ἐκνεύειν* vid. quos laudauit SCHLEVSNERVS *in Lexico.*

Sed post tempus aliquod in templo eum offendit Iesus, monuitque his verbis: heus tu, sanatus es; caue tibi posthac a peccatis, ne tibi accersas malum grauius. Malum enim eiusmodi sibi accersunt, qui, postquam resipuerunt, denuo in peccata incidunt, et ob acceptum contemtumque beneficium puniuntur grauius.

Ille, postquam cognouerat ex adstantibus nomen Iesu, *discedit ex templo, narratque Iudaeis* obuiis, *Iesum esse, qui ipsum sanauerit.* Narrauit nempe non malo animo, vt visum est nonnullis, tanquam Iesum deferre voluerit et accusare apud Synedrium; neque enim ad Synedrium abiisse dicitur, sed tantum abiisse et nunciasse Iudaeis, nimirum obuiam ei factis; quemadmodum non coram Synedrio, sed a Iudaeis interrogatus esse dicitur, quisnam ipsum sanauerit, versiculo decimo et sequentibus; narrauit igitur, ductus sensu grati animi erga eum, per quem ipsi tantum beneficium contigisset, et ratus, multorum, immo vero omnium interesse, vt notus esset, qui verbo posset mederi tali morbo.

Cuius rei causa Iudaei insectati sunt Iesum, quia haec fecisset die sabbatico, tanquam huius diei religionem soluisset. Fecerat autem rem sanctam et piam et homini miserando salubrem! Verba: *ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι,* spuria videntur esse, et repetita ex versiculo duodeuicesimo; quippe in nulla versione antiqua reperiuntur, et desunt in Codicibus multis.

Quam Iudaeorum calumniam, tanquam sabbatum violasset, retundere voluit Dominus sermonibus sequentibus, iisque longe illustrissimis ad intelligendam et personae eius maiestatem et operis magnitudinem atque excellentiam. Est enim totus hic locus notatu longe dignissimus. Primum prouocat Dominus ad exemplum

Patris. *Vt Pater meus*, inquit, *operatur ad hunc vsque diem; ita operor ego.* In his verbis Deum appellauit Patrem, eundemque suum, primum atque in genere, quia habebat eadem, faciebat eadem, quae Pater habet et facit; ita enim docuit diserte in sequentibus; deinde vero etiam, vt testatum faceret, se in hac ipsa causa, in qua tanquam transgressor legis accusaretur a Iudaeis, nihil fecisse, quam quod Filium Dei deceret. Porro dixit: *ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται.* Deus autem quando dicitur *ἐργάζεσθαι, operari*, id intelligendum est haud dubie de eius conseruatione et gubernatione rerum creatarum, adeoque de operibus omnipotentiae. Et quando dicitur operari *ἕως ἄρτι, ad hunc vsque diem*, exprimitur perpetuitas illius conseruationis et gubernationis, siue efficacia Dei et cura perpetua, nec vllo momento temporis intermissa, ad salutem rerum creatarum, indicaturque, Deum nunquam cessare in operando, nunquam otiosum esse, sed semper occupatum, nullam ei esse requiem, qualis est inter homines, nullum sabbatum, eum operari sine intermissione, quocunque die, etiam sabbatico. Hoc exemplo Dei excusare se voluit Dominus contra criminationem violati sabbati, ac docere, se imitari Patrem, qui non habeat sabbatum, nec legem de sabbato, sed opus suum faciat perpetuo, sine discrimine diei, siue sabbaticus sit, siue quicunque alius. Vt Pater meus, ait, ob religionem sabbati non desinit benefacere hominibus, rebusque creatis omnibus; ita nec ego impedior religione sabbati, quo minus perficiam, quae pertinent ad salutem aliorum. Sed, quod est maximum, vindicauit sibi Dominus opera eadem, quae Deus faciat; et quidem opera non tantum amoris et beniuolentiae, sed omnipotentiae; nam eiusmodi opera intelliguntur in exemplo Patris: *ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται*, eiusmodi opus patrauerat in sanando homine aegroto, ac propter hoc opus se defendit; eiusmodi opera commemorauit cui-

denter versiculo vicesimo et sequentibus; ergo opera eiusmodi intelligenda quoque sunt in verbis: κἀγὼ ἐργάζομαι. Quae Pater facit, facio ego; vt ea facit perpetuo, etiam diebus sabbaticis, ita ego. Igitur diserte se aequiparauit Patri, et quidem duplici ratione, partim quoad opera ipsa, partim quoad modum eorum; operatur eadem, quae Pater; operatur perpetuo, vt Pater. Vti in illo nihil est reprehendendum; ita nec in me.

Quo sermone multo magis exacerbati sunt Iudaei, *captantes occidendi occasionem, quoniam non solum sabbatum profanasset, sed etiam Deum dixisset Patrem, sibi proprium, seque Deo aequasset* in operibus, potestateque, faciendi, quae vellet. Verissime et intellexerunt et iudicarunt Iudaei, optimi in hac re interpretes verborum Iesu, primum, Dominum sensu plane peculiari Deum dixisse Patrem suum, quatenus nempe est Pater ipsi proprius; deinde, se aequiparasse Patri, quoniam sibi eadem tribueret, quae Pater habeat, et se omnia efficere posse professus esset, quae Pater. Etenim πατέρα ἴδιον intelligere aliter non poterant, nisi quatenus Pater Iesu erat eo sensu, quo non est pater aliorum, adeoque ratione naturae et attributorum. Neque ἴσον poterant sensu alio accipere, nisi quatenus se Deo parem fecisset, vel ratione operis, vel ratione naturae. Nam ἴσος antiquissimis temporibus dicebatur is, qui alteri par erat ratione naturae, vt constat vel ex heroibus Homeri ἰσοθέοις, quibus vetustas et praecipue vulgus tribuere solebat aequalitatem essentiae cum Diis immortalibus. Vnde Scholiastae vocabulum ἰδιότης interpretati sunt: συγγένεια. Recte igitur iudicarunt Iudaei, Dominum in verbis versiculi decimi septimi sensu plane singulari Deum dixisse Patrem suum, seque parem fecisse Deo.

Quam eorum opinionem, quod est prae caeteris notabile, Dominus non amolitus est a se, immo vero

confirmauit, vberius exposuit et disertis verbis docuit, se esse ἴσον τῷ Θεῷ, quatenus haberet facultatem, eadem faciendi, quae Pater faciat. *Respondit enim hoc modo: affirmo vobis etiam atque etiam, fieri nunquam posse, vt Filius faciat quicquam suo arbitrio, atque aliter, quam facit Pater; quaecunque facit ille, eadem facit Filius.* Loquitur Dominus in persona tertia, seque appellat Filium Dei, non obstante odio Iudaeorum, vt intelligatur, profecto se esse Filium ἴδιον, vt Deus ipsi sit πατὴρ ἴδιος, vindicatque sibi consortium potestatis voluntatisque cum Patre. Docet enim diserte, primum, se habere potestatem, faciendi eadem, quae faciat Pater; qua ratione loqui potest non nisi is, qui est dignitatis diuinae, et fuit apud Deum ἐν ἀρχῇ, per quem creata sunt omnia; *Cap. I*, 1. *sqq.* deinde secundo, se nihil facere sua sponte, suo arbitratu, sed omnia se facere volente et iubente Patre, adeoque opera sua conuenire cum voluntáte Patris, eique esse consentanea, immo eandem esse Patris et Filii voluntatem, quemadmodum sit eadem potestas; conf. *vers.* 30. nam facere aliquid ἀφ' ἑαυτοῦ, est: facere suo arbitratu, et iniussu Dei; *Cap. XVI*, 13. *Num. XVI*, 21. denique tertio, se omnia facere ad exemplum Patris, neque adeo committere aliquid posse, Patris exemplo et voluntati contrarium; quae ille facit, ea ego non possum omittere; quae ille omittit, ego non possum facere; ab exemplo Patris discedere non possum in vlla re. Formula: ὁμοίως ποιεῖν denotat: exemplum aliquod perfecte exprimere. Verbum βλέπειν autem, more humano vsurpatum, vel ex consuetudine loquendi Hebraeorum, denotat: scire, cognoscere, vt quando de Deo vsurpatum legitur, vel redundare videtur. Est igitur in his verbis Domini comparatio euidens operis Filii cum opere Patris; primum ratione vniuersalitatis; Filius facit omnia, quaecunque facit Pater; deinde ratione identitatis; Filius facit eadem, quae Pater, non alia et di-

versa; denique ratione coniunctionis; opus Filii est opus Patris, quia fit volente et iubente Patre.

Nam Pater amat Filium; ita perrexit Dominus vicesimo versiculo. Inter homines saepe degenerant a parentibus filii, nec eadem est semper patris et filii voluntas ac potestas. Secus hic res habet. Pater genuit Filium, sibi simillimum, *eique concessit potestatem, faciendi omnia, quae ipse facit; atque adeo concedet ei potestatem, faciendi his maiora, quo magis etiam miremini.* Dominus vbique, ita et hic repetit a Patre eiusque voluntate, quicquid habeat et faciat; propterea dixit: ὁ πατὴρ φιλεῖ τὸν υἱὸν, plane vt est *Cap. III*, 35. quibus indicare voluit, Patri ita placuisse, eumque ita decreuisse ex consilio beneuolo, vt haberet, quae habeat, vt faceret, quae faciat, atque ex hoc consilio Patris se habere potestatem, faciendi eadem, quae ipse faciat, siue, vt est loco citato: καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. Vnde patet, verbum δεικνύειν, pariter humano more vsurpatum, vt antecedens βλέπειν, denotare: largiri facultatem, efficiendi aliquid. Iam magna erant et admiranda quae hactenus fecerat Dominus, quibusque ostenderat, se facere posse ea, quae Pater faciat; eiusmodi fuit, dicto restituere aegroto sanitatem. Sed longe maiora erant, quae in posterum facturus esset, postquam, reuersus e morte et in coelum sublatus, acceperat a Patre imperium in orbem terrarum, et nominatim in homines; illa horum erant praeludia; illa mirabilia videbantur, multo magis haec.

Atque maiorum horum operum Dominus versiculo vicesimo primo et sequentibus commemorauit duo, nempe resuscitationem mortuorum et iudicium extremum, vt demonstraret, sibi competere facultatem et ius, ὁμοίως faciendi, vt Pater. Etenim haec sunt opera praeter modum magna, ac diuinae omnipotentiae et virtutis documenta illustrissima, in primisque alterum, nempe ius ac potestas, exercendi iudicium in genus

humanum et retribuendi cuique pro factis, in libris sacris diserte commemoratur tanquam character veri et summi Dei, creatoris et domini totius vniuersi. Sed hic locus a vicesimo primo versiculo vsque ad tricesimum non eodem modo explicatus est omni tempore. Fuerunt enim iam antiquissimis temporibus, immo iam Apostolorum tempore, qui loca Scripturarum de resurrectione mortuorum et iudicio extremo interpretarentur allegorice et mystice, atque adeo negarent mortuorum resurrectionem et iudicium extremum. Et sunt cum maxime nunc, qui eiusmodi loca, in primis etiam hunc nostrum, eadem ratione explicent, et quae in iis tradita reperiuntur de resurrectione et iudicio, ad opiniones Iudaicas referenda esse existiment. Est igitur nostri loci interpretatio duplex, altera tropica et mystica; altera propria et historica. Quaeritur nempe, quomodo intellexerit Dominus, intelligique voluerit resurrectionem mortuorum et iudicium, de quo hic disseruit, num de resuscitatione hominum sui temporis ad vitam spiritualem et moralem, an de resuscitatione mortuorum omnium ad vitam aeternam, porro num de iudicio eiusmodi, cum denunciantur praemia piis, poenae impiis, an de tali iudicio, quo rependetur post hanc vitam cuique pro factis. Ac profecto vtraque explicatio probabilitatem habet, vt nunc videbimus accuratius.

Ac priorem quidem interpretationem, mysticam nimirum et allegoricam, permittere videtur atque adeo postulare partim oratio contexta, partim vsus loquendi. Et quod ad illam quidem attinet, totus hic locus videtur allegoricus esse, in quo describere voluit Dominus nihil aliud, quam opus suum salutare in emendando genere humano, in primisque suae aetatis. Neque enim in antecedentibus, et nominatim versiculo decimo septimo, intellexit opus potentiae, sed doctrinae; nec indicare voluit identitatem sui operis cum opere Patris,

sed similitudinem, et quidem hactenus tantum, quatenus, vt Pater, opus suum sine intermissione faciat, etiam diebus sabbaticis; quare sensus verborum eius esset hic: vt Pater opus suum facit perpetuo, ita ego meum; vt Pater se efficacem praebet ad salutem hominum vnoquoque die, etiam sabbatico, similiter et ego. Atque hoc explicauit vberius versiculo vicesimo primo et sequentibus, ostenditque, hoc opus doctrinae suae magnam vim habiturum esse in animis hominum, maxime Gentilium, quamuis Iudaei fidem ipsi essent denegaturi. In sequentibus autem, inde a versiculo tricesimo primo demonstrauit legationem suam diuinam, nominatim etiam testimonio Ioannis Baptistae. Sed haec omnia referenda sunt ad opus Christi in emendandis hominibus per doctrinam suam. Vsus loquendi autem est in promtu. Constat enim inter omnes, primum, in libris sacris V. et N. T. statum peccati appellari *mortem*, vicissim statum sanctitatis et felicitatis nominari *vitam*, denique transitum e statu peccati ad statum sanctitatis dici *resurrectionem e morte in vitam*. Vnde Theologi et ipsi distinguunt mortem spiritualem et naturalem, vitam spiritualem et naturalem, itemque resurrectionem propriam et historicam, spiritualem ac mysticam. Etenim hi modi loquendi vsurpati reperiuntur saepissime a Domino nostro eiusque Apostolis vel in vniuersum de iis, qui commodis huius vitae vnice intenti, ad spiritualia et altiora non adspirant, vel in specie de Iudaeis et Gentilibus eorumque conuersione et immutatione per religionem christianam. Vnde in verbis Domini: *ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς*, *Matth. VIII*, 22. *νεκροὶ* primo loco sunt: homines inepti ad studium rerum diuinarum et coelestium. Sed *Eph. II*, 1. 5. et *Col. II*, 13. *νεκροὶ τοῖς παραπτώμασι*, quod est pro: *ἐν τοῖς παραπτώμασι*, dicuntur Christiani e Gentilibus ante conuersionem ad religionem christianam, idque explicatur in sequentibus per formulas: *περιπατεῖν*

ἐν ἁμαρτίαις, ἀναστρέφεσθαι ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκός, et: ποιεῖν τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν, peccatis deditum esse, indulgere prauis cupiditatibus. Ac tales νεκροὶ intelliguntur in hoc nostro loco eiusque versiculo vicesimo primo et quinto. Iidem vero dicuntur versiculo duodetricesimo: οἱ ἐν τοῖς μνημείοις· nam idem praedicatum iis tribuitur, quod τοῖς νεκροῖς, versu quinto et vicesimo, scilicet: ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ. Ac propterea conditio hominum eiusmodi appellatur: θάνατος, quemadmodum melior eorum conditio post conuersionem ad christianam religionem: ἡ ζωὴ, et ipsi dicuntur: ζῶντες. Ita enim *Rom. VI*, 13. et 4. οἱ ἐκ νεκρῶν ζῶντες καὶ περιπατοῦντες ἐν καινότητι ζωῆς, sunt Christiani e Iudaeis et Gentilibus, qui eluctati miseriam inscitiae, ἀπιστίας et vitiorum, peruenerunt ad meliorem animi vitaeque rationem, eamque sequuntur. Ac plane idem exprimitur in hoc nostro loco versu vicesimo quarto his verbis: μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν, translatus est ex miserrima peccati conditione in nouam et beatiorem. Beneficium autem ipsum, quo adducti erant Iudaei et Gentiles ad christianam religionem, exprimitur verbis: ζωοποιεῖν et ἐγείρειν, itemque: ζωοποιεῖσθαι et ἐγείρεσθαι, veluti *Eph. II*, 4. *sqq.* vbi Deus benignissimus dicitur Iudaeos ac Gentiles, peccatis mortuos, viuificasse per Christum et resuscitasse atque in ecclesia christiana collocasse, et sic in aliis locis permultis. In eadem re eodemque sensu vsurpantur vocabula: γεννᾷν, ἀναγεννᾷν, ἀνανεοῦν, ἀνακαινοῦν et ἀνακαινίζειν, itemque: παλιγγενεσία et ἀνακαίνωσις. porro: καινὴ κτίσις et ἄνθρωπος καινός, in locis satis notis, atque adeo etiam ἀναστῆναι et ἀνάστασις. Nam *Eph. V*, 14. homo dormiens et mortuus, id est, peccatorum dominio subiectus, iubetur surgere et expergisci de morte, hoc est, vitia omnis generis deponere; Christiani autem, conuersi ad fidem, dicuntur resurrexisse, *Col. III*, 1. et *Rom. VI*, 5. similes esse debere Christo, vt

in morte, ita etiam in resurrectione et vita. Omnino autem in his formulis explicandis recurrendum est ad vsum loquendi prophetarum, quorum mos fuit hic, vt deuastationem et destructionem vrbis, aut patriae comipararent cum sepultura, eiusdem vero instaurationem et restitutionem cum reditu ex sepulchro. Nota sunt loca *Ies. XXVI*, 19. *Ezech. XXXVII*, 1. *sqq. Dan. XII*, 2. et alia. Atque in vltimo loco vates: multi, inquit, qui sub terra obdormiuerant, expergefient, alii quidem ad vitam aeternam, alii vero ad opprobrium et ignominiam aeternam; quae non improbabiliter nonnullis videntur referenda esse ad tempora Maccabaeorum. Pari modo et sensu in hoc nostro loco prodire dicuntur, qui in sepulchris sunt, et qui crediderint, transire ex morte in vitam. Nam verba: ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ, significant: morem gerent eius doctrinae; ἀκούειν enim, siue ἀκούειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ, quod additum est ad consuetudinem hebraici: שָׁמַע לְקוֹל, denotat: obedire, intelligendumque est de obsequio erga doctrinam christianam; vt *Io. X*, 3. τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει. Ex hoc igitur vsu loquendi Dominus in hoc nostro loco verba et formulas: *suscitare, viuificare mortuos, audire vocem Filii Dei, in sepulchris esse et e sepulchris procedere*, metaphorice videtur vsurpasse atque intellexisse conuersionem Iudaeorum atque Gentilium ad religionem christianam per ministerium Apostolorum.

Deinde quando Dominus sibi vindicat τὸ κρίνειν et ἐξουσίαν sibi datam esse dicit, καὶ κρίσιν ποιεῖν, versiculo vicesimo primo et septimo, itidem vsus loquendi satis euidenter docet, verbum κρίνειν ad consuetudinem non tantum Hebraeorum in verbo שָׁפַט, sed etiam Graecorum, denotare non modo: iudicare, sed etiam: regere, praeesse ciuitati, eam gubernare et administrare, atque adeo vsurpari non tantum de iudicibus, sed de magistratibus ciuitatis et administratoribus rei publicae.

1. *Sam. VIII*, 5. 20. *Ies. XL*, 23. In quo vltimo loco interpretes Alexandrini verbum שפט reddiderunt per: ἄρχειν. Vnde apud gentem Israeliticam inde ab obitu Iosuae vsque ad aetatem Sauli iudices appellabantur magistratus, qui praefuerunt non tantum iudiciis, sed summae rerum. Atque et apud Carthaginenses summos magistratus appellatos fuisse constat *Sufetas*, hoc est, שפטים. Ac talem iudicem Dominus se intellexisse videtur hoc loco, talemque potestatem iudicandi sibi tribuisse, nempe docendi, et per doctrinam praecipiendi et regendi. Nam eandem potestatem iudicandi, quam sibi hoc loco vindicauit, tribuit quoque Apostolis, in loco notabili, *Matth. XIX*, 27. *sqq.* Ibi enim Petro quaerenti: quodnam praemium habebimus, qui relictis omnibus te sectati sumus? respondit: mihi credite, quo tempore humani generis emendatio instituetur, vbi ego rex ecclesiae sedero, sedebitis et vos, qui me sectati estis, in sellis duodecim, et iudicabitis duodecim tribus Israelis. Iam in promtu est, per *τὴν παλιγγενεσίαν* intelligendam esse conuersionem rerum humanarum inter Iudaeos et Gentiles, factam post Christum, in coelum sublatum, per praedicationem euangelii. Porro et illud patet, per verba: *ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου τῆς δόξης αὐτοῦ*, exprimi imperium, quod occupaturus erat Dominus post adscensionem suam in coelos. Nam formula: *καθίσαι ἐπὶ θρόνου δόξης*, vt hebraica: שבת על־כסא כבוד, siue, quod idem est: שבת על־כסא מלכות, *καθίσαι ἐπὶ θρόνου βασιλείας*, denotat: regem esse. Nec minus constat, Dominum, quando subiecit haec: *καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους*, promisisse, Apostolos hac potestate et dignitate ornatum iri, vt in locum eius succedant, eiusque vicem praestent in his terris, sintque eius vicarii, simulac ipse sit in coelum sublatus; metaphora desumta a regibus, qui, cum absunt a ciuibus suis, vnum aut plures habere solent, qui eorum officia exsequantur, ipsorum nomine

ciuibus praesint, horumque saluti consulant. Sed vt intelligerent discipuli, qualis futura esset ea dignitas, quam tribuere iis vellet, adiecit haec: *κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ ἰσραήλ*, hoc est, vt praesitis ciuitati Israeliticae hactenus, vt doceatis, quid credendum sit et faciendum. Manifeste *κρίνειν* in hoc loco Matthaei denotat: praeesse, praesidere, regere, ét quidem docendo, praecipiendo, iubendo; nam reges eorumque vicarii dare quoque solent ciuibus leges et praecepta, quae ab iis cognoscantur et seruentur. Quare Dominus in his verbis promisit discipulis potestatem docendi, in primis inter Iudaeos, et praecipiendi, vt ad normam doctrinae Christi crederent, vitamque instituerent; quam potestatem Dominus iis alias quoque tribuit; *Matth. X*, 5. *XVI*, 19. *XVIII*, 18. et sensus totius loci est hic: mihi credite, vos constantiae vestrae et fortitudinis piae praemium feretis iam hac in vita proprium ac praecipuum, hoc, vt post meum abitum in coelos, vbi ego rerum humanarum rex sedere coepero, vicarii succedatis potestati meae, id est, vt mea vice tradatis Iudaeis doctrinam diuinam, eosque iubeatis, vitam omnem moresque ad eius normam dirigere. Vid. FISCHERI *Proluss. de vit. Lex. p.* 476. Ac talem, non aliam iudicandi potestatem sibi vindicat Dominus in hoc nostro Ioannis loco, nempe, potestatem docendi, et per doctrinam praecipiendi, regendi, imperandi, male facta reprehendendi, praemia promittendi, poenas denunciandi, et quae sunt eius generis alia. Atque ita profecto vsus loquendi quoque, vt oratio contexta, admodum probabilem reddit interpretationem loci nostri mysticam et allegoricam.

Sed audiamus quoque alteram, propriam nimirum et historicam, et huius quoque argumenta videamus, et a serie orationis, et a loquendi consuetudine petita, vt intelligatur, quaenam alteri sit praeferenda.

Ac primum quidem, quod consensu intelligentis-

simi cuiusque interpretis sumere possumus, totus hic locus est dogmaticus, in quo docet Dominus, seque defendere voluit contra criminationem Iudaeorum, tanquam sibi temere arrogasset, quae essent Dei, seque parem fecisset Deo, versiculo decimo octauo. Verum in tali loco Dominus tropis et figuris, iisque audacioribus et sublimioribus, vti nullo modo potuisset. Deinde in toto hoc loco sermo non est de opere doctrinae, sed potentiae. Etenim horum sermonum, cum Iudaeis habendorum, occasionem praebuerat Domino non doctrina, sed miraculum; neque enim docuerat, sed hominem aegrotum sanauerat. Quare sermo esse non potest de munere docendi, sed de operibus potentiae. Et quando profitetur versiculo decimo septimo, se pari modo, vt Pater, efficaciam vimque suam exserere ad salutem humani generis sine intermissione, etiam diebus sabbaticis; aut quando docet versiculo vndeuicesimo, quaecunque faciat Pater, se quoque facere; num cogitauit, aut cogitare potuit de munere docendi, an potius de operibus potentiae? Num opus Patris, quod perpetuo peragit, est opus doctrinae, et non potius potentiae? Aut quid, quaeso, praecipui dixisset, quod esset admiratione dignum, cuiusmodi tamen vicesimo versiculo se facturum pollicetur, si innuere voluisset nihil aliud, nisi hoc, se nunquam intermittere, edocere homines? Nonne Apostoli idem potuissent dicere de se? Num vero Apostolorum quisquam vnquam dixit, aut sine iniuria dicere potuisset, quod Dominus professus est: vt Pater meus operatur ad hunc vsque diem, ita operor et ego? Atque Iudaei bene intelligebant mentem Domini, verissimeque verba eius interpretabantur. Nam cum ipsum audirent ita loquentem, statim intelligebant, ipsum sibi vindicare potestatem, faciendi, quae vnice Deus facere possit, adeoque Deo se aequiparare. Quam Iudaeorum opinionem non amolitus est a se Dominus, immo potius eam confirmauit, vberius

exposuit ac disertis verbis docuit, se accepisse a Patre potestatem, patrandi opera eadem, quae patrare soleat Pater, atque adeo etiam maiora, quam cuiusmodi vidissent in sanando aegroto homine. Et quomodo dicere potuisset, opera maiora se facturum, quam erat sanatio aegroti hominis, nisi intellexisset talia, cuiusmodi est suscitatio mortuorum? Aut qui tandem cultum parem cum Patre, versiculo vicesimo tertio, postulare potuisset, si, quae antecedunt, de munere docendi essent intelligenda, seque adeo ipsum non nisi pro doctore habuisset haberique voluisset? Ad extremum in sequentibus quoque, nimirum versiculo primo et tricesimo, prouocauit Dominus ad opera sua potentiae, tanquam documenta euidentissima eorum, quae versiculo decimo septimo et nono professus erat, se nimirum facere posse, quaecunque faciat Pater. Haec orationis series omnino postulare videtur atque adeo exigere interpretationem huius loci propriam. Verba autem sine omni dubitatione eam admittunt, quippe alias quoque de resuscitatione mortuorum, quae proprie dicitur, saepius vsurpata.

Quare videamus locum ipsum, ac dispiciamus, adhibita interpretatione legitima, num proprie intelligi possit atque adeo debeat.

Scilicet Dominus versiculo vicesimo dixerat diserte, se habere omnia, posse omnia, facere omnia, quaecunque habeat, possit, faciat Pater, sibique competere potestatem, faciendi non modo ea, cuiusmodi fecerat in sanando aegroto homine, sed his infinito modo maiora et mirabiliora. Id vt intelligeretur, commemorauit opus eiusmodi maius et supra alia omnia admirandum versiculo primo et vicesimo. *Vt enim Pater*, inquit, *mortuos suscitat et viuificat; ita pari modo Filius viuificat mortuos, quoscunque voluerit.* Hic primum maxime notabile est, Dominum sibi vindicare potestatem, mortuos non tantum suscitandi, sed etiam, quod

maius est, viuificandi. Mortuos suscitarunt Apostoli quoque vi miraculosa, suscitauit Dominus eadem vi in vitam hanc mortalem; aliquando vero viuificabit mortuos in vitam aeternam, hoc est, dabit iis non tantum vitam, sed etiam vires, viuendi in perpetuum; quod non potest nisi is, qui habet vitam in se, vt loquitur Dominus versu vicesimo sexto, hoc est, qui habet vim viuificam, seu creatricem, quae est solius Dei. Deinde sibi tribuit potestatem in mortuos eandem, quam habeat Pater: sicut Pater mortuos suscitat et viuificat, sic Filius; vt intelligeretur, vera esse, quae dixisset, se cum Patre habere potestatem plane eandem. Denique addidit: οὓς θέλει· non sine causa. Nam his verbis indicare voluit, hanc suam potentiam pertinere non tantum ad quosdam, sed ad omnes, in quibus tandem eam demonstrare voluerit, et consistere in nutu voluntatis, eoque efficace, adeoque esse plane immensam, vt potentia Dei: *dicit et fit*, *iubet et adest.*

Vt autem in his verbis sermo est et esse debet de opere potentiae; ita etiam in sequentibus versu vicesimo secundo: *neque enim Pater iudicium habebit super quoquam, sed iudicandi negotium totum tradidit Filio.* Intellexit itaque Dominus ius potestatemque, iudicandi aliquando genus humanum vniuersum, hoc est, siue praemia, siue poenas cuique pro factis anteactae vitae partim decernendi, partim attribuendi; quod profecto est opus supra alia omnia admirandum, vni Deo proprium, tanquam creatori et domino omnium, postulans scientiam, potentiam, sapientiam, iustitiam, sanctitatemque plane diuinam. Hoc opus, docet Dominus, sibi demandatum esse a Patre; vnde intelligitur et hoc, Deum pro sapientia sua diserte sic instituisse, vt Dominus noster esset quoque hominum omnium iudex futurus. Atque haec est doctrina totius Scripturae N. T. Etenim Apostoli quotiescunque locuti sunt de iudicio extremo, toties Iesum appellarunt iudicem, ei-

que adscripserunt *tribunal*, hoc est, ius auctoritatemque, rependendi cuique pro ratione et recte et male factorum. 2. *Cor. V*, 10. reliqua. In primis autem Paulus, *Act. XVII*, 31. docuit, Deum certo quodam et definito tempore iudicaturum esse vniuersum orbem terrarum, per aliquem, quem ad hanc rem tantam destinauerit, eique rei; (nimirum per hunc iudicaturum esse Deum orbem terrarum,) fidem fecisse ac conciliasse hactenus, quatenus eum a morte suscitauerit. Nam hunc locum haud dubie male interpretantur, qui praecipiunt, esse in eo sermonem de iudicio speciali; habendo de vrbe et republica Iudaeorum; est enim haec interpretatio partim contextui huius loci plane contraria; nam Apostolus hoc affert tanquam argumentum, quo excitandi sint homines ad vnum omnes, vt resipiscant a pristinis moribus; partim vero etiam a loco et tempore alienissima; Paulus enim haec loquebatur Athenis; quid vero ad Athenienses iudicium de vrbe Hierosolymitana? Igitur cum sit caput doctrinae disertum librorum N. T. omnium, negotium iudicii habendi de genere humano, decernendique cuique pro factis siue praemia, siue poenas, traditum esse ac demandatum a Patre Domino nostro, eo minus mirum videri potest cuiquam, Dominum et in nostro loco hoc negotium sibi vindicasse et commemorasse tanquam exemplum operis stupendi, ab eo aliquando perficiendi. Maius enim atque admirabilius opus in tota rerum natura inter opera diuina omnia nec esse, nec cogitari potest, quam mortuos omnes excitare ad vitam perpetuam et tribuere suam cuique sortem.

Iam ex his colligit Dominus, colligique voluit, et quidnam? Scilicet quoniam Filius potest et habet, quaecunque Pater potest et habet, accepitque a Patre singulari et sapientissimo instituto ius auctoritatemque, mortuos suscitandi et genus humanum vniuersum iudicandi, *propterea oportet homines omnes Filium colere*

pariter atque Patrem; qui Filium non colit, Patrem non colit, qui ipsum misit. Profecto luculentius dicere non poterat Dominus, quis et qualis esset, quam in hoc loco, notatu longe dignissimo. Etenim sibi tribuit in antecedentibus non tantum opera, plane diuina, verum hic vindicat sibi verbis disertis adeo etiam cultum religiosum, et quidem aequalem ei, qui praestatur Patri, adeoque vnice vero Deo; atque hoc ex illo colligi voluit. Nam vocula: *ἵνα*, vel consilium et causam finalem indicat, vel, quod videtur esse probabilius, consecutionem ex superioribus, hoc sensu: quoniam negotia eiusmodi, et suscitandi e morte omnes, et iudicandi omnes, Filio demandauit Pater, hinc intelligere quisque potest ac debet, Filium colendum esse pari modo, atque Patrem.

Ac verbum quidem *τιμᾷν*, satis constat, vsurpari quoque de hominibus, sic, vt denotet: venerari, itemque: praemiis et beneficiis afficere, alere, sustentare; plane vt apud scriptores Graecos hoc verbum, quemadmodum apud Latinos quoque vocabula honorandi et honoris vsurpata esse reperiuntur. Sed hoc verbum *τιμᾷν*, quando dicitur de Deo, non potest non exprimere cultum religiosum. Eiusmodi cultus vero cum cernatur in cogitationibus, sensibus et actionibus, naturae diuinae consentaneis, efficitur, formulam: *colere Deum*, habere sensum hunc: ita cogitare de Deo, ita sentire et agere aduersus Deum, vti se suamque naturam reuelauit. Enimuero se reuelauit tanquam numen summum et perfectissimum, in primis autem tanquam creatorem et gubernatorem rerum omnium, praecipue humanarum, ac tanquam iudicem viuorum et mortuorum. Ergo cogitare de Deo, sentire et agere aduersus Deum, sic, vt consentaneum est summo numini, nominatimque creatori, gubernatori et iudici nostro, adeoque Deum honore summo prosequi, amare toto animo, reuereri, sic, vt sollicite caueas, ne quie-

quam, quod Deo displicere possit, facias, aut omittas, quod ipsi gratum sit, porro spem omnem et fiduciam in eo ponere et optima quaeque ab eo exspectare, ac totam vitam ad normam praeceptorum eius componere, hoc est: colere Deum. Aliquid amplius est: *colere Patrem.* Scilicet Deus se reuelauit peculiari modo per Christum, tanquam Patrem Domini nostri, Iesu Christi, et vero etiam tanquam patrem liberorum suorum, et quidem talem, qui adamauit humanum genus ante mundum conditum, sic, vt adeo Filium suum dare decerneret ac vere daret, vt, quicunque crediderint, non perirent, sed consequerentur vitam aeternam. Igitur: *colere patrem*, est: ita cogitare de Deo, ita sentire et agere aduersus ipsum, vt ei est consentaneum, tanquam Patri Iesu Christi et patri nostro per Christum, adeoque agnoscere amorem eius per Christum et consilia sapientissima de salute humani generis per Christum conferenda, his consiliis se accommodare, voluntatique eius se subiicere, salutem omnem expetere atque exspectare ab eo per Christum, eum redamare, reliqua. Vult vero *coli per Christum*; 1. *Petr. IV*, 11. quod fit, partim si eum colimus ita, vt eum nobis reuelauit Christus, vtque adeo consentaneum est doctrinae christianae de Deo, patre Iesu Christi et nostro, partim vero etiam si hoc facimus per fidem in Christum, qui aditum nobis patefecit ad patrem, eumque adoramus tanquam patrem Domini nostri et patrem nostrum per Christum, amamus, quoniam nos amauit per Christum, in eo fiduciam ponimus, quoniam nobis dedit Filium suum servatorem et expiatorem, eum laudamus, gratias ei agimus pro beneficiis, per Christum nobis exhibitis, et quae sunt eius generis alia.

Hinc intelligi potest, quid sit: *colere Filium.* Etenim si colimus Deum, quando ita cogitamus de Deo, ita sentimus et agimus erga Deum, vt naturae ipsius est consentaneum, vtque se nobis manifestauit, efficitur,

nos Filium colere, quando sic de eo cogitamus, sic erga eum sentimus et agimus, vti consentaneum est ipsius naturae atque vti se nobis reuelauit. Iam qualisne sit Filius, qualemne se reuelauerit, intelligi potest ac doceri cum ex toto Euangelio, tum in primis etiam ex hoc nostro loco. Scilicet se professus est Filium talem, qui habeat Deum *πατέρα ἴδιον* et qui sit *ἴσος τῷ Θεῷ*, *vers.* 18. qui habeat, quaecunque habeat Pater, possit, quaecunque possit Pater, faciat, quaecunque faciat Pater. *Vers.* 17, 19. *sqq.* 26. *sqq.* Igitur: *colere Filium*, est: eum agnoscere tanquam Filium Dei proprium et in suo genere vnum, qui habet eandem naturam cum Patre, eadem attributa cum Patre, eadem opera cum Patre, atque adeo de eo cogitare, erga eum sentire et agere sic, vt consentaneum est eius naturae, attributis, operibus. Verum nec haec sufficiunt ad plenam notionem cultus religiosi, Filio exhibendi. Etenim Dominus ipse addidit aliquid amplius, Nimirum appellauit se *vers.* 27. *υἱὸν ἀνθρώπου*, hoc est: Messiam, Atque huius quoque rei ratio habenda est in definienda notione cultus, Filio debiti. Scilicet Filius Dei verissimus venit in hunc mundum, assumens naturam humanam, missus a Patre ad homines non tantum docendos, sed etiam liberandos a peccatis eorumque poenis, et vindicandos in felicitatem, mortuus ad impetrandam remissionem peccatorum, excitatusque a morte, abiit in coelum, sedet ad dextram Dei, capessiuit gloriam, quam habuit apud Patrem ante mundum conditum, constitutus rex ac dominus rerum omnium, in primis humanarum, regnat cum Patre pari et aequali maiestate, regit humanum genus non tantum per doctrinam suam, sed per vim et potentiam, felicitatem impertit omnibus, a Deo per ipsum petentibus, aliquando mortuos reuocabit in vitam et iudex sedebit viuorum ac mortuorum, atque ita fuit, est, eritque in aeternitatem omnem humani generis seruator optimus maximus. Talis Filius

est, talisque haberi vult. Ac talem agnoscere, non tantum doctorem, sed etiam expiatorem, regem, dominum omnium, suscitatorem aliquando e morte et iudicem orbis terrarum, felicitatis humanae omnis auctorem et datorem vnicum, talem igitur agnoscere, ita de eo cogitare, ita sentire et agere aduersus eum, vt oportet quemque de tali cogitare et aduersus talem sentire atque agere, hoc demum est: *colere Filium*, atque in eo est cultus, Filio exhibendus.

Sed, quod in primis est notabile, Dominus sibi vindicat cultum talem, qualis Patri competit. Vult enim et praecipit: *ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα, vt, quo Patrem omnes, eodem Filium cultu prosequantur omnes.* Itaque eundem cultum postulat, qui exhibetur Patri, non similem, sed aequalem, non in hac vel illa parte, veluti ratione doctrinae, sed omni ex parte. Vt igitur Patrem agnoscimus tanquam verum Deum et Patrem Iesu Christi, qui misit Filium suum in has terras; ita etiam Iesum debemus agnoscere tanquam Filium Dei, Patri parem et aequalem, missum a Patre ad homines seruandos. Vt Deum Patrem laudamus et celebramus propter attributa, opera et beneficia diuina; ita et Filium propter easdem causas laudare et celebrare oportet. Vt ad Patrem confugimus in necessitatibus nostris, ad eum preces facimus, eius auxilium imploramus, et, quicquid necessarium est ad salutem nostram, ab eo expetimus et exspectamus; ita quoque ad Filium confugere debemus. Vt Patri fidem habemus in omnibus, quae dicit, promittit, minatur; ita Filio quoque. Vt in Patre fiduciam omnem collocamus, sub eius gubernatione et tutela nihil mali metuimus, immo optima quaeque speramus, quae dare demum potest et solet liberis pater indulgentissimus; ita in Filio fiduciam ponimus, nihil timemus duce Christo et auspice Christo, sed potius optima quaeque, vniuersam felicitatem

nostram in hac atque in altera vita sine omni dubitatione ab eo exspectamus, seruatore et domino nostro benignissimo potentissimoque. Vt Patrem amamus, qui adamauit nos per Christum, toto corde, toto animo, viribus omnibus; ita Filium amamus, qui nos adamavit, vt adeo vitam poneret pro nobis. Vt Patri obedientiam praestamus tantam, quantam possumus, sentiendo, agendo, patiendo, quemadmodum praecepit; ita et Filio obedientiam praestare oportet in omnibus. Atque hoc tali modo colimus Filium vt Patrem; hic est cultus, Filio exhibendus. Ac talem postulat hoc loco; et quidem, non suo tantum, sed Patris nomine; *Pater vult et praecipit*, vt, quo ipse, eodem modo colatur Filius; et, quod non est praetermittendum, vult, vt colatur *ab hominibus omnino omnibus: ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα.* Talis igitur cultus ei exhibendus est ab hominibus omnibus.

Itaque non assequuntur haud dubie sensum huius loci, ac profecto iniuriam faciunt Domino nostro, qui praecipiunt, per voculam *καθὼς* exprimi non identitatem cultus, sed similitudinem, et per verbum *τιμᾷν* indicari non cultum religiosum, sed honorem eum, qui Christo conueniat tanquam legato diuino, atque formulam: *τιμᾷν τὸν υἱὸν,* denotare: morem gerere Christo, tanquam legato diuino, eiusque doctrinam suscipere, hoc sensu: vt Patri mittenti credere oportet, ita etiam Filio; legatum quisquis iniuria afficit, afficit iniuria eum, cuius personam sustinet. Verum haec interpretatio probari nullo modo potest; eam enim neque vsus loquendi permittit, neque series orationis. Ac verbum quidem *τιμᾷν,* vsurpatum de hominibus, etsi quodcunque genus honoris exprimit, vt modo vidimus; tamen de Deo adhibitum, semper denotat cultum religiosum, adeoque formula: *τιμᾷν τὸν πατέρα,* alium sensum non habet, nisi hunc: *colere*

Patrem. Sed quonam sensu intelligenda est de Patre, eodem quoque de Filio est explicanda; nam vterque, Pater et Filius, ponitur sub eodem genere. Ergo τὸ· τιμᾷν τὸν υἱὸν, exprimit cultum religiosum, Filio exhibendum, et quidem eundem, qui praestatur Patri, quoniam cum Patre eodem loco ponitur. Deinde dicitur; τιμᾷν τὸν υἱὸν, nimirum τοῦ Θεοῦ· nam talis describitur in antecedentibus; et in sequentibus *vers.* 25. diserte appellatur υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Sed hoc nomen, ex loquendi consuetudine Apostolorum et Domini ipsius perpetua et constante, nomen esse naturae, non muneris, vidimus supra, ad *Cap. I*, 15, et *III*, 16. atque vel ex hoc nostro loco patet euidenter; neque enim alium Filium Dei intellexit, intelligique voluit, quam talem, qualem se dixit esse in hoc ipso loco; dixit autem se Filium talem, qui habeat eadem attributa, et faciat eadem opera, quae Pater habeat et faciat; et qualem intellexerunt Iudaei, *vers.* 18. nempe qui habeat Deum πατέρα ἴδιον et qui se faciat ἴσον τῷ Θεῷ· contra hos enim, qui ei in blasphemiam vertebant, quod se fecisset Deo parem, disputavit hoc loco, et docere voluit, se iure suo hoc dixisse, adeoque cultum talem postulare posse, ac propterea etiam postulare, qui exhibeatur Patri. Atque adeo in hoc ipso loco, *vers.* 25. et 27. distinxit nomen: υἱὸς τοῦ Θεοῦ, a nomine: υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου· quare haec non possunt esse nomina, idem declarantia. Denique caussae, commemoratae hoc loco a Domino, quare colendus esset, repetitae sunt non a legatione eius diuina, nec a doctrina coelesti, sed a naturae operumque et ipsius cultus communione; vnde in promtu est, eum sibi vindicare non auctoritatem legati diuini, aut prophetae et doctoris, sed auctoritatem Filii Dei, adeoque cultum diuinum.

Etenim praeter alia omnia notabile est, Dominum causas quoque commemorasse, quare sibi vindicaret et vindicare posset cultum, aequalem Patri, et quidem tri-

plicis generis. Prima desumta est a relatione inter Patrem et Filium quoad naturae communionem; nam Deum appellauit πατέρα, et quidem ἴδιον, seque Deo faciebat ἴσον, vt Iudaei verissime interpretabantur., se autem υἱὸν, et quidem talem, qui habeat, quaecunque habeat Pater, et faciat, quaecunque Pater faciat, adeoque qui sit Patri par. Quodsi Patri est par, efficitur, eum colendum quoque esse pari modo, quo colendus est Pater. Altera petita est a communione attributorum et operum diuinorum. Vt Pater habet vim potestatemque, mortuos omnes suscitandi; ita et Filius habet. Vt Pater iudex est viuorum ac mortuorum, ita et Filius, immo vero negotium, iudicandi viuos ac mortuos, Filio demandatum est a Patre. Sed qui habet et facit, quaecunque habet et facit Deus, et ipse Deus sit, necesse est, et cultu diuino prosequendus. Tertia denique est in relatione arctissima, quae intercedit inter cultum Patris et Filii, quorum alter sine altero esse non possit; subiiciuntur enim haec; ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν, οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα, τὸν πέμψαντα αὐτόν· *non colit Patrem, qui Filium non colit.* Et quomodo demum? Scilicet primum, Pater vult, vt colatur Filius, et quidem ab hominibus omnino omnibus; idque non potest non velle, quia est Filius ἴδιος. Igitur qui Filium non colit, Patrem non colit, propterea, quoniam non facit, quae Pater vult. Deinde Pater coli vult per Filium, sic, vt ipsum agnoscamus tanquam Patrem Domini nostri, Iesu Christi, et tanquam patrem nostrum per Christum, et in eo fiduciam ponamus propter Christum, salutis omnis auctorem; quod fieri nullo modo potest, nisi Filium colamus. Denique Pater alio modo coli non potest, nisi per Filium. Nam qui Filium non colit, Patrem non agnoscit talem, qualem se manifestauit per Filium, nempe tanquam Patrem Iesu Christi; non agnoscit attributum Patris praecipuum, amorem, mittendo Filio suo demonstratum; non precatur ad Patrem, tanquam

Patrem Iesu Christi; non ponit, nec ponere potest fiduciam certam et liquidam in Patre, quoniam fidem non ponit in Filio; non potest amare Patrem, quoniam amorem Patris non agnoscit; nec denique obedire potest Patri, quoniam ei desunt adiumenta, quae suppeditat fides in Filium Dei. Adeo arcte cohaeret cultus Patris et Filii, vt ille sine hoc non possit consistere! Atque ita cultus Patris et Filii est vnus idemque.

Ad extremum praetermittendum non est, Dominum asserere, se a Patre constitutum esse humani generis iudicem, ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, quibus innuit, Patrem velle, vt Filius colatur pari modo, et quidem ab hominibus omnino omnibus; inde vero patet, et recte facere, qui tali modo colant Filium, peccare vero aduersus Patrem ipsum, qui illi talem cultum denegent. Sed ex his omnibus intelligi potest, qualis et quanta sit maiestas Filii, qui est Patri par, parique cultu adorandus. Ac profecto nescimus, num sit argumentum illustrius atque euidentius ad intelligendam diuinam Iesu maiestatem, quam quo vsus est Dominus ipse in hoc loco. Tali modo loqui non poterat sine iniuria in Deum homo merus, ne propheta quidem aut alius eiusmodi legatus diuinus, nisi Filius Dei verissimus!

Sed aeque notabilia sunt et admiranda, quae subiecit Dominus versiculo quarto et vicesimo: *credite mihi, qui meis sermonibus fidem habuerit, crediderit-que me mittenti, is potietur vita aeterna, nec perniciem experietur, immo vero per mortem migrabit ad vitam.* Etenim vocabulum κρίσις dictum est pro: κατάκρισις, iudicium pro condemnatione et poenis; et formula: εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεσθαι, denotat: damnationi non subiici, non puniri, liberari potius a poenis omnique pernicie, nominatim a morte, estque idem, quod: οὐ κρίνεσθαι, in loco parallelo. *Cap. III*, 18. Ei opponitur: ἔχειν ζωὴν αἰώνιον, consequi vitam et felicitatem aeternam; verbis autem: μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς

τὴν ζωὴν, exprimitur modus, quo perueniatur ad vitam; nimirum mors veluti via est, qua ad vitam migrat, qui crediderit. Triplex igitur genus beneficiorum promisit Dominus eiusmodi homini, primum, liberationem a poenis et pernicie quacunque; deinde vitam, eamque aeternam et beatissimam; denique migrationem per mortem in vitam. Ea vero promisit cuique, qui fidem habuerit ipsi et Patri. Etenim ἀκούειν τὸν λόγον, est: audire sermones sic, vt iis fidem habeas et morem geras; quare aequipollent sibi haec duo: ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, et: πιστεύων τῷ πέμψαντί με. Igitur quae fides habenda est Patri, eadem Filio est habenda; qui Filio fidem denegat, denegat Patri, a quo missus est in mundum, e cuius voluntate facit, quicquid facit, et per quem Pater loquitur. Obiectum fidei nostrae Filius aeque est, ac Pater; et Pater quidem, quatenus Filium misit ad salutem generis humani; Filius autem, quia missus est a Patre. Iam vero per τὸν λόγον intellexit Dominus non doctrinam suam vniuersam, sed sermones eos, quos modo habuerat cum Iudaeis inde a versiculo decimo septimo. Enimuero in his docuerat Dominus, se operari, vt Pater operetur perpetuo ad salutem hominum; se nihil facere suo arbitratu, sed omnia facere iussu Patris auctoritateque; quaecunque faciat Pater, eadem se ipsum facere; ita enim Patrem decreuisse sapientissimo consilio; vt Pater mortuos excitet et viuificet, ita et se excitare et viuificare mortuos; Patrem ipsi demandasse negotium totum, tribuendi cuique pro factis; Filium colendum esse pari modo, vt Patrem; qui Filium non colat, Patrem non colere. Hunc λόγον intellexit Dominus intelligique voluit. Igitur ἀκούειν τὸν λόγον, est: fidem habere iis, quae in hoc sermone dixerat Dominus, adeoque credere, Filium operari perpetuo ad salutem humanam, vt Patrem, reliqua. Quare etiam formula: πιστεύειν τῷ πέμψαντι, denotat non in vniuersum: credere in

Deum, sed: credere, Patrem misisse Filium, eique dedisse potestatem auctoritatemque, faciendi, quaecunque faciat ipse, eique tradidisse negotium, iudicii habendi, velle adeo, vt quisque Filium colat pari modo, quo colit Patrem. Hanc talem fidem qui habuerit Filio et Patri, is, inquit Dominus, liberabitur a pernicie, eum nihil quicquam vnquam infelicem reddere poterit, ne mors quidem, immo vero per mortem migrabit in vitam aeternam. Quibus simul professus est Dominus non obscure, se esse humani generis et liberatorem a pernicie, morte quoque, et vitae aeternae auctorem vnum.

Is quomodo esset, et aliquando in primis futurus esset, explicauit quinto et vicesimo versiculo: *instat tempus, immo iam adest, quo mortui audiant vocem Filii Dei, eaque audita viuant.* Est igitur liberator a pernicie, dum a morte liberat, auctor vitae autem, dum e morte reuocat mortuos et per mortem ad vitam ducit; isque erat iam tum, cum mortuos excitaret; excitauit autem breui post filiam Iairi, adolescentem Nainiticum, Lazarum; loquitur enim de re, mox futura; erit autem in fine rerum humanarum, quo suscitaturus est mortuos ad vnum omnes, vitamque daturus immortalem, aeternam omnibus, beatam vero credentibus. Appellauit autem se Filium Dei, propter naturae diuinae communionem, vt ad *vers.* 25. et *Cap. I,* 15. *III,* 16. vidimus; sibique tribuit, tanquam tali, opus plane diuinum, nempe resuscitationem mortuorum. Dixit porro *φωνὴν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ*, de vi atque omnipotentia Filii Dei, resuscitandi mortuos. Conf. 1. *Cor. XV*, 51. 52. et 1. *Thess. IV*, 16. Quare *ἀκούειν τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ*, est: experiri eius vim potestatemque in suscitandis mortuis.

Sed ne miraretur aliquis, talem potestatem sibi tribuere Dominum, aut verbis eius diffideret, eius rei caussam subiecit maxime notabilem, nimirum hanc: *etenim*

vt Pater vitam habet in se, ita et Filio dedit, vitam in se habere. Habet igitur potestatem tantam, mortuos quoque suscitandi, quoniam habet vitam in se, vt Pater. Iam vero vocabulum *ζωῆς*, de Deo vsurpatum, in Scripturis V. ac N. T. vt ad *Cap. I*, 4. docuisse putamus, denotat vim facultatemque, vitam et habendi, et, qui vitam non habent, tribuendi, aut restituendi iis, qui vitam amiserunt; siue: principium vitae, vim viuificam, vim creatricem. Hanc vitam habet Pater in se, non accepit eam ab alio; habet vero sic, vt, quibuscunque voluerit, vitam impertire et restituere possit; est fons vnus vitae omnis; quicunque vitam habent, siue in terris, siue in coelis, habent a Patre. Pari modo Filius habet vitam, vt Pater, quatenus Pater ei hoc dedit et quatenus potest aliis vitam largiri, vel restituere; et quicunque habent vitam aut recipiunt vitam, habent et recipiunt a Filio. Id primum euidenter docet exemplum Patris, ad quod prouocauit Dominus: vt Pater habet vitam, ita Filius; deinde postulant, quae antecedunt et sequuntur; nam in antecedentibus sibi tribuit ius, auctoritatemque, vitam dandi mortuis, in sequentibus autem potestatem, praemia et poenas decernendi; quorum vtrumque requirit vim omnipotentem, quae est creatoris. Verum vt Filius talis sit, qualis est, vt vitam habeat in se et aliis largiri possit, id a Patre est, et a Patre habet; Pater ei hoc dedit: *ἔδωκεν τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ*, Pater ita voluit, vt in se haberet fontem vitae, essetque fons vitae, cum rerum omnium, tum inprimis humanarum; placuit Deo, totam summam bonorum, quibus demum hominibus omnibus opus est ad tenendam vitam et felicitatem, in eo habitatum collocare, vt Paulus loquitur: *ἐν αὐτῷ εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι.* *Coloss. I*, 19. et *Cap. II*, 9. *ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.* Conf. quoque *Io. VI*, 55. 57. Enimuero qui est fons vitae, vt Pater, qui vitam habet in se, vi-

tamque et dare et restituere potest omnibus, nonne eum oportet habere omnipotentiam, adeoque naturam diuinam? Nonne necesse est, vt sit totius vniuersi creator? Atqui talem potentiam sibi tribuit Dominus hoc loco; talem se professus est diserte.

Id vero vt intelligeretur euidentius, nec cuiquam dubium relinqueretur, se sibi talem auctoritatem vindicare non temere, repetiit, quae iam dixerat, atque adeo maiora subiecit. Etenim versiculo decimo septimo denuo inculcauit, se a Patre constitutum esse iudicem humani generis, eiusque rei causam commemorauit: *demandauit ei negotium iudicandi, quoniam est filius hominis.* Etenim *τὸ κρίνειν* intelligendum est haud dubie de iudicio extremo, denotatque: praemia et poenas tribuere cuique pro factis anteactae vitae; modo exprimit, quod est bene tenendum, non vnum tantum actum iudicialem, sed actum continuum, neque adeo significat tantum: decernere praemia, sed etiam: ea attribuere, et quidem non vno momento iudicii, sed per omnem aeternitatem. Igitur Dominus noster humani generis, iudex est eritque, non tantum hactenus, quatenus sententiam feret de vnoquoque, et credentibus vitam aeternam decernet, sed etiam atque in primis, quatenus eosdem quoque in aeternam vitam transferet et in omnem aeternitatem suppeditabit cuique, quaecunque necessaria erunt ad vsum et fructum beatitudinis cuiusque. Hoc iudicandi negotium vero ei tradidit Pater propterea, *ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί.* Hanc appellationem constat aequipollere nomini Messiae, quatenus est expiator et caput atque dominus humani generis. Igitur placuit Patri, vt, qui esset Seruator et dominus hominum, idem quoque esset eorundem iudex, et, qui vitam felicitatemque aeternam impetrasset sua morte, eandem quoque credentibus omnibus impertiret, denegaret vero iis, qui fidem ipsi denegauerint, eosque suppliciis addiceret.

Sed addidit Dominus aliquid amplius. Docuit enim, sibi demandatum esse a Patre, vt iudicandi negotium, ita quoque mortuos suscitandi munus; nam in his de futura mortuorum suscitatione Dominum locutum fuisse, vidimus supra; potestque eo minus de hac re dubitari, quoniam haec est perpetua et constans doctrina Apostolorum, Iesum esse futurum suscitatorem mortuorum omnium. Mirum enim videbatur audientibus, quod Dominus dixerat versu quinto et vicesimo, instare tempus, immo iam adesse, quo mortuos in vitam sit reuocaturus. Iam pergit: *non est, quod miremini*, me hoc dixisse; dicere possum mirabiliora; scilicet *futurum est suo tempore*, (vocabulum: *ὥρα*, exprimit tempus certum et definitum, *Act. XVII*, 31.) *vt* mortui non tantum, veluti filia Iairi et adolescens Nainiticus, sed etiam *sepulti*, vt Lazarus, et non tantum nonnulli, sed *sepulti ad vnum omnes sentiant vim eius omnipotentem, et prodeant e latebris terrae, qui recte fecerint, ad vitam aeternam, vicissim vero ad sempiternam perniciem, qui male egerint.* Nam formula: *ἀκούειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ*, denotat, quemadmodum versiculo vicesimo quinto: experiri vim eius omnipotentem, qua in vitam reuocabit mortuos; quam vim Paulus appellauit *ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα. Phil. III*, 21. Deinde *ἀνάστασις ζωῆς* est pro: *ἀνάστασις εἰς ζωὴν*, resurrectio ad vitam aeternam, quemadmodum *ἀνάστασις κρίσεως*, resurrectio ad poenam. Formulae autem: *ἀγαθὰ ποιεῖν*, et: *φαῦλα πράσσειν*, referendae sunt ad fidem et mores, ad animum et vitam vniuscuiusque.

Sed quoniam dixerat Dominus, Patrem deliberato consilio ita constituisse, vt Filius ipsius, quoniam esset filius hominis, Seruator et dominus hominum, iudicium haberet de hominibus, mortuosque ad vnum omnes e morte excitaret, propterea subiecit haec, versiculo tricesimo: *ego nihil quicquam pro meo arbitratu*

facere possim; nec decernam aliter, quam reperterim; vnde iusta erunt semper decreta mea; neque quaero, quae mihi, sed quae placeant me mittenti. Quibus indicare voluit Dominus, se opus suum, vti acceperit a Patre, ita etiam exsequi ex voluntate Patris; neque se indicare ex vago rumore, non vt fando audiuerit, sed vt repererit re diligenter exquisita, (conf. *Ies. XI, 3. non iudicabit ex visu externo, non puniet ex auditu,*) vel, vti a Patre acceperit et edoctus fuerit, quemadmodum locutus est *Cap. VIII,* 26. 28. hoc est, vti Pater vult et decreuit; Pater autem vult et decreuit, vt bonis bene, malis male esset in iudicio; in eo Filius obtemperat Patri, bonis bene faciet, malis male; atque ita iudicium eius erit iustum; nititur voluntate Patris. Hanc voluntatem Patris quaerebat, hoc est, faciebat non nisi, quae Pater fieri vellet.

Iam in his sermonibus Dominus manifeste se profitebatur et Filium Dei, eumque talem, qui habeat, quae Pater habeat, et faciat, quae faciat Pater, qui colendus sit, vt Pater, et vero etiam filium hominis, hoc est, Messiam, Seruatorem hominum, mortuorum omnium futurum suscitatorem et iudicem. Sed poterat obiicere aliquis, Dominum de se ipsum testimonium dicere, neminem autem in sua causa testem esse posse fide dignum. Cui dubitationi vt occurreret, eoque maiorem fidem apud audientes faceret iis, quae hactenus de se dixisset, propterea prouocat ad testimonia; ac primum quidem Ioannis Baptistae, *vers.* 32—35. deinde miraculorum suorum, *vers.* 36. denique Patris ipsius per Mosen et prophetas. *Vers.* 37. *sqq.* Caeterum super hoc loco scripsit Commentat. eruditam S. MORVS, quae reperitur in eius *Dissertatt. Theol. Vol. II. p.* 259. ss.

Dominus igitur non desiderabat, quamuis desiderare potuisset, vt suis ipsius verbis vnice fidem haberent, quoniam verendum erat apud homines illos, ne testimonium eius suspectum videretur. Ac propter

hanc causam proferebat aliorum de se testimonia, hoc est, argumenta et documenta, quibus manifeste demonstratum fuerit, se esse eum, quem dixisset, nempe Filium Dei et filium hominis, missum a Patre ad acquirendam et conferendam hominibus salutem. Hoc enim est, vt ita dicamus, thema probandum in hoc loco. Ac *primum* quidem prouocauit ad Ioannem Baptistam, cui tribuere solebant Iudaei auctoritatis quam plurimum, cuius adeo testimonium iis non poterat non esse fide dignissimum. *Ego*, inquit, *si solus mihi testis essem, non certae fidei fuerit apud vos meum testimonium.* Nam ἀληθὴς idem est, quod: βέβαιος, πιστὸς, certus, firmus; et μαρτυρία ἀληθὴς est: testimonium ad fidem idoneum et sufficiens, adeoque fide dignum; vicissim μαρτυρία οὐκ ἀληθὴς, testimonium suspectum, parum certae fidei. Conf. *Cap. VIII*, 17. *Deut. XVII*, 6. *XIX*, 15. *Sed testem habeo, cuius testimonium scio fidem habere* apud vos. *Ioannes enim, ad quem misistis, vero testimonium perhibuit.* Scilicet miserant Iudaeorum principes ad Ioannem homines certos, cognituri tanquam ab auctore certissimo, num sit Messias. *Cap. I*, 19. *sqq.* Is non sibi vindicauit falsam laudem, quam ei volebant tribuere, sed verum professus est. Etenim formula: μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ, denotat: vero testimonium perhibere, ei fidem facere, verum sine fraude proloqui, praedicare, laudare, commendare. *Cap. I*, 8. *XVIII*, 37. 3. *Io.* 3. 6. Iam quid testatus, quidque professus erat Ioannes de Iesu? Scilicet eum esse τὸν ἐρχόμενον, hoc est, promissum a Deo Messiam; (ita enim κατ᾽ ἐξοχὴν appellari solebat Messias promissus, siue, quod idem est, ὁ λόγος, *Cap. I*, 1.) praeter hunc non esse exspectandum alium; *Matth. XI*, 3. eum non procul abesse, sed iam adstare inter Iudaeos et versari in populi multitudine, nunc quidem incognitum, mox autem cognoscendum; eum fuisse ante, quam ipse fuerit, atque talis dignitatis esse, cui se indignum existi-

P 2

met praestare seruile ministerium; denique eum esse agnum Dei, ferentem peccata mundi, hoc est, a Deo destinatum et missum expiatorem peccatorum, mundi Seruatorem. *Cap. I*, 26. 27. 29. Hoc testimonium Ioannis de Iesu non erat priuatum, sed publicum, coram legatis Synedrii editum, adeoque fide dignum, quippe quod nec reiiciebant principes Iudaeorum, nec propterea Ioanni molestias creabant, tanquam doctori falso. Quo magis fide dignum habere oportebat Dominum tum audientes.

Sed perrexit Dominus versiculo quarto et tricesimo: *ego quidem non capto testimonium hominis, sed huius mentionem feci propterea, vt vos lucrarer.* Igitur non sua causa prouocauit Dominus ad testimonium Ioannis, ipsi valde laudabile, quippe non opus habebat commendari hominis testimonio, sed salutis audientium causa. Etenim verbum σώζειν denotat: incommodo liberare et commodum praestare; quod fit, si transducimus aliquem a parte mala ad meliorem, diciturque de iis, qui adducunt alios ad meliorem frugem, aut ad religionem salutemque christianam, estque idem, quod: κερδαίνειν, 1. *Tim. IV*, 16. 1. *Cor. VII*, 16. *Matth. XVIII*, 15. 1. *Cor. IX*, 19. *sqq.* vbi haec verba inter se permutata reperiuntur. Igitur Dominus eos, qui ipsum tum audirent, volebat σώζειν, hoc est, abducere ab animo alienato ad beneuolum, ab errore et praeiudicatis opinionibus ad verum, ab ἀπιστίᾳ ad fidem; in primis volebat eos σώζειν commemorando testimonio Ioannis, hoc est, eos adducere eo, vt, cum concederent, Ioannem fuisse virum eximium et fide dignum, concederent et hoc, tanti viri iudicium de Iesu esse admittendum, eumque agnoscendum Messiam venturum, atque ita salutem consequerentur.

Sed Dominus quanquam non captabat Ioannis testimonium, neque tamen repudiabat, immo vero ipsum insigni elogio ornabat, versiculo tricesimo quinto: *ac*

profecto lumen erat ardens et lucens, et vos luce eius per aliquod tempus vehementer gauisi estis. Lumen appellauit Ioannem, quoniam ei praeluxit ac viam praeparauit, fuitque salutifer populo; neque enim vocabulum: λύχνος denotat doctorem in genere, sed eum, qui docendo et aliis modis salutem praestat. Et *lumen* quidem *ardens* appellauit, propter feruorem ardentissimum, in munere obeundo demonstratum; *lucens* autem, quoniam erat per omnem Palaestinam celeberrimus et illustrissimus, Iudaeisque omnibus probatissimus, sic, vt tota vrbs Hierosolymitana diceretur effusa esse ad eum audiendum, eiusque baptisma suscipiendum. Etenim vehementer gauisi sunt de eius lumine; ὑμεῖς δὲ ἠθελήσατε ἀγαλλιασθῆναι ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ· nam verbum θέλειν vsurpari solet, apud scriptores graecos quoque, sic, vt vel redundet, vel exprimat cupiditatem, studium alicuius rei et voluptatem. *Cap. VI,* 21. *VII*, 17. *VIII*, 44. Conf. MARKLANDVS *ad Lysiam p.* 616. *edit. Reisk.* Sed eo gauisi sunt πρὸς ὥραν, tantum ad breue tempus, vel, quoniam breuissimo temporis spatio circumscriptum erat Ioannis ministerium, vel, quoniam desiderium, laetandi de Ioanne, apud Iudaeos durabat tantum per breue tempus, in primis cum inciperet pessimos mores eorum perstringere et praedicare poenitentiam.

Verum hoc testimonium Ioannis quamuis non repudiabat Dominus, quippe verissimum fideque dignissimum, eoque vsus est potissimum ad lucrifaciendos Iudaeorum animos; neque tamen vnice commemorauit, partim quoniam non rapere gestiret laudatissimi viri elogium de ipsius dignitate, nec per alienam laudem videretur florere velle, partim quoniam non esset vnum, aut maximum, sed multo illustriora suae maiestatis documenta sibi suppeterent. Ita enim perrexit: *Ego vero grauiora testimonia habeo, quam Ioannis; nam opera, quae a me peragi vult Pater, quaeque per-*

ago cum maxime, *ea testantur, me ab eo esse missum.* Est igitur hoc *argumentum alterum*, quo confirmare voluit, se esse eum, quem paulo ante dixisset, siue, se missum esse a Deo; idque grauius Ioanneo, desumtum ab operibus ipsius. Hic tenendum est ante omnia, Dominum per formulam, qua saepe vsus est, *se missum esse a Patre*, non indicare voluisse in vniuersum et simpliciter, se esse legatum Dei, eo sensu, quo multi alii et fuerunt, et dicuntur legati Dei ad homines; tum enim non alio loco habendus esset, quam Iesaias, Ieremias, reliqui; significauit potius, se esse legatum singularem et eximium, eum nempe, qui promissus esset per prophetas, quique adeo sit *ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου*, missus singulari consilio diuino ad homines beandos, vno verbo, Seruator promissus, seu, Messias. Talis enim legatus est intelligendus, qualis descriptus esse legitur a prophetis, et qualem ipse se descripsit. Iam in hoc nostro loco se descripsit tanquam Filium Dei, cui Pater demandauerit negotia longe maxima, peragenda ad salutem humanam, et in sequentibus, tanquam eum, de quo exponant Scripturae vniversae, breuiter, descripsit se tanquam Filium Dei, promissum Seruatorem et Messiam. Quando igitur dicit, se a Patre missum esse, profitetur, se esse missum a Deo Seruatorem, Messiam exspectatum, in Scripturis promissum. Vnde formulam: *ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέσταλκε*, commutauit in aliis locis cum hac: *ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ.* Ac talem se vere esse, intelligi voluit, luculentissimeque intelligi posse docuit ex operibus: *τὰ γὰρ ἔργα, ἃ ἔδωκέ μοι ὁ πατὴρ, ἵνα τελειώσω αὐτὰ, αὐτὰ τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ, μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ, ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέσταλκε.* Primum notabile est, Dominum dicere, se missum esse *a Patre*; ita enim Deum appellauit in toto hoc loco, seque propterea nominauit Filium Dei, parem Patri et colendum eodem modo. Deinde dicit, opera sua se patrare iussu auctoritateque

Patris; vnde efficitur, ea plane esse diuina. Atque ex his operibus colligi voluit, se esse missum a Deo Servatorem. Sed quaeritur, quidnam intellexerit Dominus per τὰ ἔργα. Atque interpretes quidem plerique per τὰ ἔργα intellexisse Dominum putant miracula, ab ipso edita. Ac sane τὰ ἔργα hoc sensu dicuntur alias in libris sacris N. T. veluti apud Matthaeum, *Cap. XI*, 2. itemque apud ipsum Ioannem, *Cap. VII*, 3. 21, *X*, 25. 32. 37, 38. Et miracula tot ac tanta, a Domino edita, non poterant non vim insignem habere ad eum audiendum et suscipiendum. Etsi enim facile quisque concesserit, veritatem doctrinae non confirmatam esse, neo confirmari posse per miracula; veritas enim per se, etsi nulla miracula facta essent, constat et ab aliis argumentis pendet; illud tamen negari non potest, miracula habuisse hanc vim, vt confirmarent auctoritatem doctoris, demonstrarentque, eum esse missum a Deo, mandatisque diuinis instructum, quippe Deus per miracula testimonium de eo perhibeat et per facta demonstret, se misisse hunc virum, se eo vti velle ad consilia sua exsequenda; atque adeo consilium miraculorum fuisse hoc, partim vt, qui ea viderent, attentiores redderentur ad aliquem audiendum eumque suscipiendum, partim vt eius doctrina tanto celerius propagaretur, propter viri auctoritatem, per facta inusitata demonstratam. Erant enim miracula, ab aliquo edita, testimonia Dei, hoc est, argumenta, seu, documenta, in facto posita, quibus declarabatur, partim missum eum esse diuinitus, partim consilium diuinum esse, promouendi eius auctoritatem celerius et euidentius. Atque eiusmodi declarationes euidentes erant miracula, a Domino patrata, documenta luculentissima, eum esse a Deo missum hominum Seruatorem. Quare Petrus eum appellauit ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς, virum, a Deo missum et inter Iudaeos inclytum ac probatum; et quomodo? Scilicet δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, οἷς

ἐποίησε δι' αὐτοῦ ὁ Θεός. *Act. II*, 22. Conf. *Io. II*, 23. et *X*, 25. Vnde dubitari vix potest, miracula Christi fuisse argumenta legationis ipsius diuinae longe euidentissima, ac tanquam talia ab eo hoc loco esse commemorata. Sed fuerunt tamen, velut B. MORVS loco citato *p.* 268. *sqq.* qui putarent, per τὰ ἔργα intellexisse Dominum non miracula, certe non tantum miracula, nec in primis miracula, sed in vniuersum demandata sibi negotia, in his terris peragenda, nempe negotium docendi homines et mortem pro iis oppetendi. Ac profecto negari non potest, Dominum et ipsum vocabulum τὰ ἔργα sensu hoc latiori vsurpasse videri, nominatim in loco notabili, *Cap. XIV*, 11. 12. vbi promisit Apostolis, eos negotia eadem, immo maiora esse peracturos, quam ipse peregisset. Deinde et haec negotia documenta erant, eum esse Messiam, dum faceret omnia, quae de Messia erant praedicta, quae alius nullus eo modo, eoque consilio atque effectu et fructu peregit. Sed orationis series et loca parallela, vt res ipsa, vix dubitationem relinquunt, miracula nisi sola, tamen in primis esse intelligenda hoc loco.

Sed praeter haec testimonia Ioannis Baptistae et operum suorum prouocat denique *tertio* Dominus ad testimonium auctoritatemque Patris sui, atque ostendit, Patrem ipsum edidisse documentum, mentemque suam declarasse atque exposuisse, vt, quisnam ipse esset, facile quisque posset intelligere; versiculo tricesimo septimo vsque ad finem Capitis. Fatur enim sic: *quin et ipse, qui me misit, Pater, de me testimonium perhibuit, quanquam eum oretenus loquentem non audiuistis, nec vidistis coram; sed hoc eius testimonium non inest animis vestris; quare ei, quem misit, fidem non habetis.* Ita saltem videtur hic locus intelligendus esse, paulo difficilior et varie explicatus. Scilicet Dominus vult ostendere, se non posse incognitum esse populo Iudaico, hunc facile ipsum agnoscere posse ex declara-

tione Patris. Innuit nempe libros sacros V. T. Hi continent declarationem Dei de mittendo aliquo seruatore; in his testatus est Pater de Filio, hoc est, spem fecit, se missurum esse humanae felicitatis instauratorem, Messiam, atque, vt sensim sensimque ea spes augeretur, fieretque in dies certior, ac tandem, cum venisset Messias promissus, agnosci posset a populo, signa dedit, minime dubia, temporis aduentus eius, natalium, factorum, euentorum, ex quibus, quoniam conuenerunt in Iesum, euidenter intelligere poterat Iudaeorum quisque, eum esse promissum Messiam. Hoc est testimonium Patris de Filio; siue, vt in sequente versu appellatur, *ὁ λόγος αὐτοῦ*· atque hoc sibi voluit Dominus, cum diceret: *ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ.* Testatus autem est Pater non adspectabili modo, tanquam testis, cuius vocem audimus et faciem cognoscimus, (*οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε,*) sed per literas, per *τὰς γραφὰς*, vt dicuntur in sequente versiculo. Ex his igitur facile poterant Iudaei Iesum agnoscere. Simili ratione locutus est Dominus *Cap. VI, 27.* Sed hoc testimonium Patris de Filio, hae declarationes et promissiones, haec vaticinia, (*ὁ λόγος,*) non inerant eorum animis, *οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν*, ea spernebant, ne intelligebant quidem, immo peruerse interpretabantur et in persona Messiae exspectabant regem terrenum, plane ignari consiliorum diuinorum de mittendo Messia. Vnde fieri aliter non poterat, quam vt Iesum ne agnoscerent quidem tanquam Messiam, multo minus fidem ei haberent.

Quare perrexit Dominus hoc modo: *quamuis enim Scripturarum estis studiosissimi, existimantes, tradi in iis rationem tenendae vitae aeternae; atque illae sunt, quae de me exponant; neque tamen me suscipitis, vt felicitate potiamini.* Ita enim haec videntur cohaerere. Vnde statim patet, *τὸ ἐρευνᾶτε* esse indicatiue intelligendum; neque enim monere Dominus voluit Iu-

daeos, aut cohortari, vt libros sacros diligenter legerent, concedit potius et sumit, ab iis legi Scripturas, laudat, quod eas magni faciant, sibique persuasum habeant, in iis contineri felicitatis aeternae disciplinam, docet quoque, in iis reperiri testimonia de se; sed obiurgat et dolet, frustra ab iis legi Scripturas; nam lectionem Scripturarum non habere apud eos vsum et fructum, quem habere posset ac deberet, nempe, vt eum agnoscant tanquam Seruatorem promissum et suscipiant, atque ita salutem consequantur: *καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε.* Formula enim: *venire ad Christum*, qua alias quoque saepius vsus est Dominus, veluti *Cap. VI*, 35. 37. 44. 45. *VII*, 37. *X*, 41. *XIV*, 6. denotat non tantum: Iesum adire audiendi et discendi causa, sed: eum audire et ab eo discere cum effectu, vt, quae audiueris et didiceris, probes et vera habeas, in primisque vt Iesum tanquam Seruatorem agnoscas et suscipias, eiusque disciplinae totum te tradas. In priori loco, quemadmodum *vers.* 44. huius Capitis, huic formulae synonymum positum est, explicationis causa, verbum *πιστεύειν*. Iam effectus *τοῦ ἐλθεῖν πρὸς Ἰησοῦν*, siue, *πιστεύειν*, est hic: *ἵνα ζωὴν ἔχητε.* Caeterum perquam notabile est et esse debet, nostris in primis temporibus, elogium insigne, quod hoc loco tribuit Dominus Scripturis sacris V. T. in iis nempe tradi modum tenendae salutis, et contineri effata de Messia, eaque perspicua et euidentia, ex quibus agnosci facile possit ab vnoquoque.

Sed iam exponit Dominus causam, quare non veniant ad ipsum, nec fidem ei habeant; scilicet destituebantur sincero amore erga Deum et integro fidei pietatisque studio, vicissim dediti erant amori rerum terrenarum. *Ego quidem*, inquit, *non is sum, qui laudes hominum captem; sed vos scio alienos esse ab amore erga Deum; me, qui veni missu auctoritateque mei Patris, non admittitis; alius si prodiret suo ipsiusmet*

ausu, hunc excepturi essetis. Vos qui tandem possetis credere, cum ambiatis mutuas inter vos inuicem laudes, et laudem solius Dei parum curetis? Questus erat Dominus, Iudaeos non venire ad ipsum, potius fidem ipsi denegare. Id vero, ait, se non fecisse, quasi doleret, sibi a Iudaeis non plaudi; *δόξαν παρὰ ἀνθρώπων οὐ λαμβάνω*, non capto hominum opinionem de me honorificam; dolebat autem propterea, quoniam ex alienis eorum animis apparebat, ipsis non diligere Deum, et irrita esse omnia, quae ipsos possent persuadere de legatione eius diuina, testimonium Ioannis Baptistae, opera ipsius, testimonium Patris. Ipsum, in quo conspicerent documenta euidentissima diuinae legationis, qui verbis et factis se declarasset Messiam, aspernabantur; alium quemcunque, qui suo arbitratu veniret, egregie excepturi essent. Nam *ὁ ἐρχόμενος ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ* est: qui sponte se ingerit et falso se venditat legatum, a Deo missum. Sed eius rei causa fuit duplicis generis; erant enim partim alienissimi a sincero religionis studio; id enim intelligitur per *τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ*· partim vero intenti laudis humanae ambitioni vanae et rerum terrenarum cupiditati; colebant Deum verbis, cultu, ceremoniis, re vera autem oderant; in ore habebant Mosen et prophetas, per quos Deus Messiam promisit, in corde sordidum rerum terrenarum studium; parui habebant coelestia, appetebant terrena, Messiam terrenum, regnum terrenum, felicitatem terrenam; aliis placere cupiebant, Deo probari non curabant; repudiabant Iesum, quem scirent repudiari ab aliis, non amplectebantur eius disciplinam, ne in odium aliorum incurrerent: *δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες*. Hae erant causae praecipuae *ἀπιστίας* eorum.

Ad extremum subiecit haec: *nolite existimare, me vos apud Patrem esse accusaturum; est, qui vos accuset, Moses, quo confidere soletis. Mosi si fidem habe-*

retis, haberetis quoque mihi, de quo ille scripsit. Sed illius scriptis si fidem negatis, quomodo fidem habebitis sermonibus meis? Quibus verbis velut excusare se voluit, tanquam cuperet vlcisci contemtum sui, et vero etiam monere homines, tot documentis commonefactos, et tamen Iesum admittere recusantes, vt culpam perniciei tribuerent sibimet ipsis. Nam formula: *accusare aliquem apud Deum*, habet vim hanc: optare, et, quod in nobis est, tentare, vt Deus puniat aliquem, qui nos iniuria affecit. Quare Dominus, quando negat, se Iudaeos apud Patrem reos acturum, asseuerare voluit, se nullo modo cupidum esse miseriae eorum, nec vllo modo optare, aut moliri, vt propter hanc eorum *ἀπιστίαν* ab iis Pater poenam sumat. Deinde quando dicit, Mosen eos accusare, intellexit non personam Mosis, sed, vt ipse explicauit versiculo quadragesimo septimo, *γράμματα* Mosis, id est, doctrinam Mosis, siue potius, non tantum Mosis, sed etiam prophetarum reliquorum, nominatimque vaticinia Mosis et prophetarum de Messia, atque adeo non haec ipsa vaticinia, sed eorum *ἀπιστίαν* erga haec vaticinia, quippe quae bene cognita haberent et diuina existimarent, et tamen fidem iis denegarent. Fidem habebant ne prophetis quidem, de Messia scribentibus et exponentibus, (quod rursus est valde notabile,) nedum Domino, coram loquenti. Non opus est, inquit, delatore et accusatore; vestra *ἀπιστία* adversus diserta vaticinia Scripturarum est vestrae perniciei causa, et argumentum euidens, vos vestro merito perire.

Hic sermo Domini quamnam vim habuerit in animis audientium, num mitigauerit iram Iudaeorum, an eo magis excitauerit, Ioanni non placuit indicare; ei sufficiebat, consignando hoc sermone ostendere, qualemne se Dominus esset professus. Professus autem est diserte, se non sponte prodiisse, sed missu Patris, suoque se arbitratu nihil facere, vicissim vero omnia agere

volente et iubente Patre, se Filium Patris esse, quatenus ipsi par sit attributis et factis, colendus pari modo, vt Pater, sibique a Patre mandatum esse negotium, mortuos aliquando suscitandi et iudicium habendi de viuis et mortuis, seque adeo esse promissum Messiam; idque demonstrauit argumentis, quae non poterant habere dubitationem vllam, desumtis a testimonio Ioannis Baptistae, deinde suorum ipsorum operum, denique Patris per vaticinia Mosis et prophetarum.

CAPVT VI.

Pari consilio literis consignauit Ioannes sermonem Iesu eum, qui continetur hoc Capite; sed rursus pro more suo ante omnia commemorauit occasionem eius habendi, nempe miraculum prodigiosae cuiusdam cibationis; quod narrarunt etiam Euangelistae reliqui; *Matth.* *XIV*, 13. *sqq.* *Marc.* *VI*, 31. *sqq.* *Luc.* *IX*, 10. *sqq.* nam hae narrationes haud dubie sunt eaedem. Selegit autem Ioannes inter sermones omnes, quos Dominus habuit in Galilaea per annum dimidium integrum, hunc inprimis, quoniam esset per se notatu longe dignissimus et ad consilium ipsius illustrissimus. Incidit autem ad tempus paschatis tertii; atque ita, quae inde ab hoc Capite tradita leguntur a Ioanne, referenda sunt ad annum muneris Christi vltimum. Scilicet Dominus cum ad celebrandum pascha alterum se contulisset Hierosolymas, non diu ibi commoratus est, sed discessit e Iudaea in Galilaeam, atque hic annum integrum transegit docendo et miracula patrando. Selegit quoque tum ex multitudine discipulorum duodecim, quos emitteret in Iudaeam ad annunciandum aduentum Messiae. Quibus reuersis, volebat se cum iis subtrahere populi multitudini, in primis cum audiuisset, Ioannem Baptistam illo ipso tempore obtruncatum fuisse in carcere, *Matth.* *XIV*, 1. *sqq.* cumque frequentia hominum, et aduenientium, et abeuntium, esset tanta, vt ne cibi quidem capiendi tempus superesset. *Marc.* *VI*, 31. Igitur *nauigio traiecit Iesus mare Galilaeae, siue Tiberiadis.* Etenim hoc mare appellari solebat modo mare Galilaeae, modo Tiberiadis, quoniam in eius extremo sita erat vrbs clarissima, quae, quoniam in honorem Tiberii Caesaris siue condita erat, siue instaurata, Tibe-

rias appellabatur. Ioannes igitur nomini: τῆς γαλιλαίας, addidit: τῆς τιβεριάδος, vel quoniam hoc erat minus vsitatum, vel quoniam indicare volebat, in quamnam regionem Dominus in specie traiecisset, nempe in eam, in qua sita erat vrbs Tiberias. Quare necesse non est, statuere, vnum horum nominum spurium esse et redolere glossatorem.

Sed illuc traiicientem *populus sequitur magna multitudine, allectus cupiditate videndi miracula, quae ediderat in sanandis aegrotis.* Sequebatur autem populus lacum circumeundo pedibus, ita vt Iesum praecurreret et circa exscendentem congregaretur. Conf. *Matth. XIV*, 13. et *Marc. VI*, 33. Quem cum videret, *montem conscendit, ibique cum discipulis consedit,* turba manente in loco humiliori, et vel miracula exspectante, vel doctrinae eius inhiante. *Accidit* nempe, *vt instarent dies festi paschales*, Iudaeis solennes, ad quos religiose celebrandos adire omnes solebant Hierosolymas; vnde mirum non erat, vias omnes repletas fuisse magna hominum multitudine. *Iesus, conspicatus tantam populi vim, ad ipsum confluentem*, intimo misericordiae affectu commotus, quod essent veluti ouium grex, pastore destitutus, iis multa doctrinae salutaris praecepta tradidit. Sed cum sermo eius pertraheretur paulo longius, discipuli eum rogant, vt, quoniam locus desertus esset, ac dies senesceret, eos dimittere velit ad coemendum in agris et vicis circumiacentibus cibum, quo non essent instructi. At Iesus discipulos ipsos de cibo prospicere iubet, *Marc. VI*, 34—37. *et ex Philippo quaerit, vnde coëmere possint cibos ad illos satiandos. Quod tamen quaesiuit*, non quasi haesitasset, quid esset faciendum, sed *eius explorandi causa; ipse iam consilium sibi ceperat.* Philippus, etsi vidisset opera miraculosa Domini plura, non ignarus, discipulos tum paratam habuisse ad commeatum suum et ad iter Hierosolymitanum necessariam summam du-

centorum denariorum, qui nostro more efficiebant viginti quinque aut triginta imperiales, si denarium tres aut quatuor grossos aequasse dicamus, et sollicitus, quid ipsis faciendum esset tum, si tota illa summa impenderetur, quae ne sufficeret quidem satiandis tot hominibus, *Philippus* igitur *respondet: etiamsi ducentis denariis emamus panes, vix suffecerint*, non dicam ad saturandos istos, sed *vt vel exiguam quisque panis portionem accipiat.* Discipuli reliqui quaerunt, num eos velit exire, et ducentorum denariorum pretio panem coëmere ad plebem saturandam. Iesus vero prius abire eos iubet ac videre, quot panes supersint. *Marc. VI*, 36. 37. 38. *Quidam tamen discipulorum* *), *Andreas, Simonis Petri frater, monet, adesse iuuenem quendam, παιδάριον ἓν, qui vendendos habeat panes quinque hordeaceos et pisces duo; sed quid hoc tantillum*, ait, *ad tantam multitudinem satiandam!* Etenim τὸ ὀψάριον denotat cibum quemcunque, qui cum pane sumitur, in primis coctum et assatum, in specie vero piscem. Conf. *Cap. XXI*, 9. 10. Quare Matthaeus, *Cap. XIV*, 17. Marcus *Cap. VI*, 38. et Lucas, *Cap. IX*, 13. δύο ὀψάρια, quae in hoc nostro loco dicuntur, interpretati sunt: δύο ἰχθύες. Nec opus est, τὰ ὀψάρια reddere: pisciculos; sit enim, quod plerisque placet, τὸ ὀψάριον esse deminutiuum vocabulum, cum aliis videatur esse forma producta τοῦ ὄψον, constat tamen, nomina deminutiua saepissime habere apud Graecos vim primitiuorum. Vid. FISCHERI *Proluss. de vit. Lex. p.* 256. *sqq.*

At Iesus mandat discipulis, curare, vt populus

---

*) In verbis: εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, difficultatem nonnulli putarunt esse, quoniam Philippus aeque atque Andreas discipulus Iesu fuerit. Quare ea ad glossemata referenda esse censet EVERWINVS WASSENBERGHIVS, Vir Cel. in *Dissertat. de Glossis N. T. praemissa Selectis e Scholiis Valckenarii in libros quosdam N. T. p.* 48.

discumbat in loco, graminis pleno; (nam erat illic graminis magna copia.) Discipuli nil responsant, simpliciter obedientes iussis Domini, digerunt populum in certos ordines, ita, vt in singulis centum aut quinquaginta accumberent, velut ad conuiuium. *Marc. VI*, 40. Parent discipuli, paret populus discipulis; tanta erat fiducia omnium, in Iesu posita! *Recubuerunt viri numero circiter quinque millia*, praeter pueros ac mulieres. *Matth. XIV*, 21. *Ipse panes sumit, frangit, et, fusis precibus, discipulis porrigit distribuendos per omnem multitudinem. Similiter et pisces*, partitus in partes, tradidit discipulis, omnibus dispensandos, ita, *vt singuli, quantum quisque vellet* *), *possent sumere. Iam multitudine cibo expleta, iussit Dominus discipulos, reliquias cibi colligere, ne quid interiret*, vtque adderet miraculo miraculum. *Collegerunt igitur, et*, quamuis saturatis omnibus, *supererat tantum reliquiarum ex quinque panibus hordeaceis, ex quibus repleri possent cophini duodecim. Viso tanto miraculo, a Iesu edito, dixerunt omnes, eum verissime esse vatem, venturum in has terras*, id est, Messiam promissum; hunc enim intellexerunt sub nomine: προφήτης, quod propterea in sequentibus commutatum est cum nomine: βασιλεύς. *Iesus vero, non ignarus, agitare illos, vt ipsum per vim regem creent*, pollicentes sibi ab ipso annonae copiam, opes, libertatem et caetera huius mundi commoda, *rursus secessit in solitudinem montanam, isque solus.* Verbum ἁρπάζειν de quocunque raptu violento dicitur, etiam sensu bono, veluti *Act. VIII*, 39. 1. *Thess. IV*, 17. *Apoc. XII*, 5. Hic denotat violentiam, ex impetu amoris et obseruantiae profectam.

---

*) Verba: ὅσον ἤθελον, LVTHERVS reddidit: so viel er wollte; secutus lectionem: ἤθελε, quae est in editionibus nonnullis, non vero in codicibus.

Sub vesperam discipuli, ad mare digressi, *conscendunt nauem et vrbem Capernaumum tendunt, in vlteriori ripa sitam. Ingruentibus tenebris, cum ad eos nondum venisset Iesus*, diu multumque desideratus, *fluctibus agitatur mare, aestuante vento ingenti. Emensi stadia ad summum viginti quinque, aut triginta*, adeoque dimidiam partem itineris, *conspiciunt aliquem, aquis inambulantem et nauigium petentem*, quem postea demum intellexerunt fuisse Iesum; *vehementerque expauescunt. At ille*, vt voce iam nota et familiari metum omnem iis adimeret: *ego sum, inquit, nolite metuere quicquam. Tum cupide recipiunt in nauem, eaque subito appulit terram, quam petebant.* Verba: ἤθελον λαβεῖν, non reddenda sunt: volebant recipere; nam vere recipiebant, vt habent reliqui Euangelistae; sed vel simpliciter: recipiebant; nam verbum θέλειν alii verbo addi solet pleonastice, atque adeo redundare; vel: magna cum voluptate recipiebant; etenim hoc quoque sensu vsurpatur verbum θέλειν apud scriptores graecos; vt habuimus supra. *Cap. V*, 35.

Sed ad hanc narrationem, omninoque Iesu, Domini nostri, potentiam et maiestatem intelligendam accuratius, comparandus est Matthaeus et Marcus. Etenim satiata illa multitudine et collectis reliquiis, Dominus compulit discipulos, abire ad mare et naue conscensa traiicere, se dimisso populo secuturum. Ipse montem conscendit, precandi causa, ibique solus egit bonam partem noctis. Interim discipuli, obsecuti Domini iussis, nauigantes in vndis periclitantur. Nam mare vix ingressis, obortus est ventus aduersus, et nauis intumescentibus fluctibus hinc inde agitabatur. In hoc periculo praesentissimo eos videt Dominus, cum adhuc esset in continenti. Circa quartam tandem noctis vigiliam, hoc est, sub diluculum, illis pene desperantibus et iamiam animum despondentibus, venit Iesus, non naue vectus, sed ambulans super vndas. Illi, per

tenebras videntes quidem ambulantem aliquem, nec tamen Iesum agnoscentes, magis etiam horruerunt, rati, spectrum sibi apparere et praesens exitium portendere, atque expauefacti prae metu exclamarunt. Speciem Iesu videbant omnes, neque tamen, Iesum esse, credebant. Tum Dominus non passus est, suos diutius exanimari metu; protinus voce non ignota compellauit eos, dicens: estote bono animo, ego sum, nolite metuere. Sic quem per caliginem videre non poterant, indicio vocis agnoscunt, et ad hanc vocem illico iis redditus est animus. Etenim Petrus: Domine, inquit, si tu es, iube me per vndas ad te venire. Ille: veni, respondet. Et Petrus, nihil cunctatus, nihil metuens, deiicit se e nauicula in fluctus, coepitque properare ad Iesum, ambulans et ipse super aquas. Verum animaduerso venti impetu, rursus extimuit, iamque vndis pene obrutus, exclamat: Domine, serua me pereuntem. Statim Iesus, porrecta manu, eum prehendit ac subleuauit, monens tamen etiam de imbecillitate suae fiduciae his verbis: o meticulose, quid dubitabas, quare vacillabas? Mox, vt nauem conscendunt, consedit tempestas. Iam pauori successit admiratio, quod ambulare posset super aquas; neque enim propter animi tarditatem intelligebant satis maiestatem Domini, stupentes, quod super aquas ambulasset, cum aeque prodigiosum esset, quod modo viderant, tantulo cibo tantam multitudinem saturare. Rectius sentiebant alii, qui in naue erant. Nam conspecto prodigio tam admirabili, procidunt ad pedes Iesu, eum adorant venerantarque Filium Dei verissimum.

Et quidni? Num inter omnes, qui haec legerint animo, veri amante, posset esse vel vnus aliquis, qui aliter statueret, nec in his agnosceret Iesu, Domini nostri, maiestatem diuinam? Prodigium prius edebatur non in angulo, sed in conspectu multorum millium, qui videbant omnes suis oculis, non nisi panes quinque et

Sub vesperam discipuli, ad mare digressi, *conscendunt nauem et vrbem Capernaumum tendunt, in vlteriori ripa sitam. Ingruentibus tenebris, cum ad eos nondum venisset Iesus*, diu multumque desideratus, *fluctibus agitatur mare, aestuante vento ingenti. Emensi stadia ad summum viginti quinque, aut triginta*, adeoque dimidiam partem itineris, *conspiciunt aliquem, aquis inambulantem et nauigium petentem*, quem postea demum intellexerunt fuisse Iesum; *vehementerque expauescunt. At ille*, vt voce iam nota et familiari metum omnem iis adimeret: *ego sum, inquit, nolite metuere quicquam. Tum cupide recipiunt in nauem, eaque subito appulit terram, quam petebant.* Verba: ἤθελον λαβεῖν, non reddenda sunt: volebant recipere; nam vere recipiebant, vt habent reliqui Euangelistae; sed vel simpliciter: recipiebant; nam verbum θέλειν alii verbo addi solet pleonastice, atque adeo redundare; vel: magna cum voluptate recipiebant; etenim hoc quoque sensu vsurpatur verbum θέλειν apud scriptores graecos; vt habuimus supra. *Cap. V*, 35.

Sed ad hanc narrationem, omninoque Iesu, Domini nostri, potentiam et maiestatem intelligendam accuratius, comparandus est Matthaeus et Marcus. Etenim satiata illa multitudine et collectis reliquiis, Dominus compulit discipulos, abire ad mare et naue conscensa traiicere, se dimisso populo secuturum. Ipse montem conscendit, precandi caussa, ibique solus egit bonam partem noctis. Interim discipuli, obsecuti Domini iussis, nauigantes in vndis periclitantur. Nam mare vix ingressis, obortus est ventus aduersus, et nauis intumescentibus fluctibus hinc inde agitabatur. In hoc periculo praesentissimo eos videt Dominus, cum adhuc esset in continenti. Circa quartam tandem noctis vigiliam, hoc est, sub diluculum, illis pene desperantibus et iamiam animum despondentibus, venit Iesus, non naue vectus, sed ambulans super vndas. Illi, per

tenebras videntes quidem ambulantem aliquem, nec tamen Iesum agnoscentes, magis etiam horruerunt, rati, spectrum sibi apparere et praesens exitium portendere, atque expauefacti prae metu exclamarunt. Speciem Iesu videbant omnes, neque tamen, Iesum esse, credebant. Tum Dominus non passus est, suos diutius exanimari metu; protinus voce non ignota compellauit eos, dicens: estote bono animo, ego sum, nolite metuere. Sic quem per caliginem videre non poterant, indicio vocis agnoscunt, et ad hanc vocem illico iis redditus est animus. Etenim Petrus: Domine, inquit, si tu es, iube me per vndas ad te venire. Ille: veni, respondet. Et Petrus, nihil cunctatus, nihil metuens, deiicit se e nauicula in fluctus, coepitque properare ad Iesum, ambulans et ipse super aquas. Verum animaduerso venti impetu, rursus extimuit, iamque vndis pene obrutus, exclamat: Domine, serua me pereuntem. Statim Iesus, porrecta manu, eum prehendit ac subleuauit, monens tamen etiam de imbecillitate suae fiduciae his verbis: o meticulose, quid dubitabas, quare vacillabas? Mox, vt nauem conscendunt, consedit tempestas. Iam pauori successit admiratio, quod ambulare posset super aquas; neque enim propter animi tarditatem intelligebant satis maiestatem Domini, stupentes, quod super aquas ambulasset, cum aeque prodigiosum esset, quod modo viderant, tantulo cibo tantam multitudinem saturare. Rectius sentiebant alii, qui in naue erant. Nam conspecto prodigio tam admirabili, procidunt ad pedes Iesu, eum adorant venerantur que Filium Dei verissimum.

Et quidni? Num inter omnes, qui haec legerint animo, veri amante, posset esse vel vnus aliquis, qui aliter statueret, nec in his agnosceret Iesu, Domini nostri, maiestatem diuinam? Prodigium prius edebatur non in angulo, sed in conspectu multorum millium, qui videbant omnes suis oculis, non nisi panes quinque et

duos pisces adesse, et tamen eos suffecisse saturandis omnibus, immo vero largam abundantiam esse, quique ad vnum omnes in his agnoscebant virtutem diuinam, ac Dominum profitentur Messiam promissum diuque exspectatum. In altero Iesus videt periculum suorum absens, iisque succurrit, tale quid non exspectantibus, discipuli vident aliquem, mari inambulantem; suspicantur spectrum, experiuntur, Iesum esse, reliqui in naue vident omnes, vident Petrum quoque super aquas incedentem, vident, mirantur, vim diuinam agnoscunt, ad pedes Iesu se proiiciunt, Filium Dei venerantur; discipuli vero tarditatis accusantur et *ὀλιγοπιστίας*, quod tam difficulter intelligant, quis et quantus sit Dominus. Tota narratio adeo plana est ac perspicua, de cuius veritate vix dubitare possit aliquis, legitimae interpretationis peritus, nec praeconceptarum opinionum erroribus irretitus; immo vero eam sine omni dubitatione agnouerunt omnes omnium temporum interpretes, atque adeo etiam, quod in primis est notatu dignum, ipsi rei christianae aduersarii; vt probari facile posset exemplorum magna multitudine. Etenim eius rei testimonium illustre, quamuis maligno et cauillante animo, praebuit *Iulianus*, quo quidem religio christiana vix habuit hostem; vti specie leniorem, ita re ipsa callidiorem et capitaliorem, cuiusque malitiosa calliditas et odium, diu conceptum, nullam non artem excogitauit, excogitatamque adhibuit, ad fundamenta doctrinae christianae collabefactanda penitusque euertenda; is igitur inuitus testatus est, fuisse hanc opinionem Christianis tum communem, quae hic narrata leguntur, vero accidisse. Verba eius extant apud CYRILLVM *contra Iulianum L. I. P. 3. p. 213. edit. Paris.* suntque haec: *Ἰησοῦς δὲ, ὁ τοῖς πνεύμασι ἐπιτάττων καὶ βαδίζων ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ τὰ δαιμόνια ἐξελαύνων, ὥστε ὑμεῖς θέλετε, τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἀπειργασμένος κ. τ. λ.* Aeque notabile est testimonium *Luciani*, quem, constat, scurrili

dicacitate egisse hoc, vt doctrinam christianam deridendam propinaret et in iocum ludibriumque conuerteret, in primis autem miracula, in Scripturis commemorata, et nominatim a Iesu Domino patrata, vanitatis conuincere et risui exponere conaretur, cum in aliis, tum praecipue in duobus *de vera historia* libellis. Etenim et hic inter alia *Libr. II.* §. 4. *Opp. edit. Schmiederi, Tom.* 1. *p.* 460. refert, se inter nauigandum vidisse multos homines, per mare pedibus iter facientes; qua fictione facile quisque videt, maledicentissimum istum hominem irridere voluisse et in fabulis ponere miraculum Domini, quo et ipse per mare incessit et Petrum pedibus per mare incedere et ad se venire iussit; patet tamen etiam hoc, eum narrationem Euangelistarum de hac re proprie intellexisse. Similis locus extat in *Philopseude* §. 13. *Tom.* 2. *p.* 311. Igitur vel ipsi religionis christianae hostes, iique acutissimi et infensissimi, eo impudentiae non sunt progressi, vt hoc miraculum Christi negare, aut in dubitationem adducere sustinerent, sed vi veritatis coacti ingenue fassi sunt. Tanta enim est vis veritatis, vt non ad assensum sui alliciat, quam potius inuitis etiam et reluctantibus assensum extorqueat! Inde vero efficitur necessario, huius miraculi veritatem historicam tunc temporis tam certam fuisse atque indubitatam, vt eam nemo sine summa impudentia negare, aut dicere contra auderet. Iam si huius narrationis veritas antiquissimis temporibus ab omnibus, acutissimisque hominibus et rei christianae hostibus infensissimis agnita est, facile quisque iudicare poterit, grauissime errare eos, qui nostra aetate et sibi ipsis, et aliis persuadere cupiant, verba Ioannis; *θεωροῦσι τὸν Ἰησοῦν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης*, explicanda esse in hanc sententiam; videbant Iesum ambulantem ad littus maris, versus mare; siue adeo etiam; videbant Iesum in mari natantem. Ea vero interpretatio plane repugnat non modo consuetudini loquendi,

praecipue in praepositione *ἐπὶ*, sed vniuersae orationi contextae. Etenim qui tandem discipuli poterant conspicere Iesum ad littus maris ambulantem, cum versarentur in medio mari, tempore nocturno? Qui et Petrus in mari ambulasse dici potuisset? Et quare admiratione Iesu omnes capiebantur tanta, vt ad eius pedes se proiicerent et Filium Dei profiterentur?

Sed ne populum quidem omnino latuit, in hac re miraculum non vnum editum fuisse. Nam *postridie, qui substiterant in altero littore maris*, quaerebant Iesum, suspicantes, eum adhuc ibi fore; *sciebant enim, nauem nullam illic fuisse, praeter vnam*, qua discipuli transmiserant, *eam autem Iesum non conscendisse cum discipulis, sed solos hos abiisse; alii naue venerant Tiberiade in locum eundem, vbi* pridie *coenauerant, Domino preces faciente. Sed cum nuspiam reperirent Iesum*, multum quaesitum ac desideratum, *nec discipulos eius, et ipsi nauigia conscendunt, traiiciuntque Capernaumum, ibi quaesituri Iesum*, quod illic haberet domicilium, et quod discipulos eo traiecisse scirent. Hic *trans mare cum reperissent*, nempe Capernaumi, et quidem in Synagoga, vt patet ex *vers.* 59. demirantes, quomodo huc venisset, cum nullam nauiculam adfuisse scirent, qua potuerit traiicere, *quaerunt ex eo: magister, quando huc venisti?* Ex tempore volebant colligere, quomodo huc venisset, suspicantes, et hic accidisse rem mirabilem, quemadmodum pridie cibo aluerat multitudinem immensam.

At Dominus nihil responsi dedit ad hanc quaestionem; poterant hoc ex discipulis cognoscere, aut ex aliis, qui eius rei testes fuerant fide digni. Et bene sciebat, homines illos ad ipsum confluere, non doctrinam audiendi, sed miracula eius videndi caussa, nec percipere horum miraculorum verum consilium, quippe, quoniam per ea acceperant commoda terrena, vanam spem regni terreni inde concipiebant, non autem

ad fidem in eum adduci se patiebantur, in vniuersum autem tenebantur cupiditate rerum huius vitae, non vero salutis aeternae desiderio, plurisque facere solebant corporis pabulum, quam cibum illum, sine quo anima perit in aeternum. Cuius rei causa grauiter eos obiurgat Dominus ac docet, *quaenam bona ante omnia sint quaerenda*, siue, vt loquitur, *quinam cibus illis potissimum sit expetendus*, in sermone longe pulcherrimo inde a versu vicesimo sexto et sequentibus, in quo a pane naturali et terrestri, quem iis suppeditauerat, occasionem sumsit, disserendi de pane spirituali et coelesti. Est vero hic locus prae caeteris notabilis; nam in eo docet Dominus, *quaenam sit ratio tenendae salutis aeternae, quid exigat Deus ab vnoquoque, quid faciendum sit vnicuique, qui in hac atque in altera vita salvus fieri voluerit.*

Ac *primum* quidem docet in vniuersum, *quaerenda esse et appetenda bona spiritualia et coelestia.* Locutus enim est in hanc sententiam: *profecto vos me quaeritis, non, quoniam miracula vidistis, quam quoniam comedistis panem apud me, et satiati estis. Parate vobis cibum, non periturum, sed permanentem in aeternum; hunc largietur vobis filius hominis, quem demonstrauit vobis Deus Pater.* Facile patet, Dominum sermonis huius allegorici occasionem sumsisse a cibo eo, quem hominibus istis nuper suppeditauerat, et qualem ab eo exspectabant in posterum quoque. Iam cibus, βρῶσις, in omnibus linguis tropice vsurpari constat sic, vt denotet bonum aliquod, quod eandem vim habet ad animum, quam cibus naturalis habet ad corpus. Atqui cibus naturalis habet vim hanc, vt famem tollat, corpus alat et recreet, vires nouas suppeditet et vitam sustentet. Eandem vim habere debet ad animum cibus, tropice dictus, scilicet vim tollendi, quod animo est noxium, iniucundum, molestum, vicissim subministrandi, quod ei est salubre et iucundum, nempe, de-

sideria animi explendi, vires nouas suppeditandi, vitam conseruandi, exhilarandi, beandi. Eodem tropo vsus est Dominus *Cap. IV*, 34. et simili, *vers.* 14. eiusdem Capitis, vt vidimus ad illa loca. Eiusmodi bonum quodnam in specie sit et intellexerit Dominus hoc loco, ex sequentibus intelligetur. Appellauit autem hanc *βρῶσιν* Dominus: *μένουσαν εἰς τὸν αἰῶνα,* in oppositione ad *βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην.* Sed *βρῶσις ἀπολλυμένη* est: bonum periturum, caducum, terrenum, cuius vis et suauitas in corpore cito perit, quod alit, corporis vitam prorogat, sed ad breue tempus; at vero *βρῶσις μένουσα εἰς τὸν αἰῶνα* est: bonum, non periturum, perenne, sustentans vitam sempiternam, bonum perpetuum quoad vim et suauitatem suam, explens omnia animi desideria semper, nullum taedium afferens, duraturum in altera vita; nam in ea quoque recreabit et beabit. Hanc *βρῶσιν* iubet *ἐργάζεσθαι*, hoc est: bonum illud sibi comparare, desiderare, ei operam dare, vt acquiras; quemadmodum *Phil. II*, 12. *ἐργάζεσθαι τὴν σωτηρίαν* est: salutem desiderare, quaerere, omnemque operam impendere, vt consequaris; apud *Palaephatum Cap.* 22. *ἐργάζεσθαι βρῶμα,* est: cibum sibi comparare. Hanc *βρῶσιν*, hoc bonum dat auidis aeternae vitae, et dare potest non nisi *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου,* hoc est, Messias. Hunc autem Pater *ἐσφράγισεν*, id est, confirmauit, seu, comprobauit testatumque fecit, eum esse *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου,* Messiam, eum habere et dare posse cibum perennem, bona coelestia et aeterna, quae salutem afferant, eum denique, vt est *vers.* 29., ab ipso esse missum; eique, tanquam legato suo, dedit literas, legationis testes, quibus se probare posset legatum diuinum, ein Creditiv, ein Beglaubigungsschreiben. Quibus verbis, vt jam CHRYSOSTOMVS existimauit, *Homil.* 43. *in Ioannem*, descripsit Dominus Patrem tanquam eum, qui Filio suo documentis euidentibus plenissimam apud homines fidem fecit, velut princeps, qui legato suo per

literas, sigillo munitas, fidem conciliat; estque adeo τὸ ἐσφράγισεν, idem, quod: ἀπέδειξε, demonstrauit, legationi fidem adstruxit, siue, quod *Cap. V*, 37. dixit Dominus: μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ, testatus est, me missum esse ab eo, me esse Messiam. Id vero testatus erat Pater, seu testatum fecerat ac demonstrauerat, vt docuit Dominus loco citato, primum per Ioannem Baptistam, deinde per miracula, quorum edendorum ius et facultatem Pater ei concesserat, denique per vaticinia prophetarum de Messia, per quae signa dedit, minime dubia, e quibus facile quisque Iesum, tanquam Messiam, agnoscere posset. Haec erant documenta et testimonia, literae veluti commendatitiae, quibus et Pater legationi Filii fidem adstruxit, Filius autem eam probauit.

At vero Iudaei longe abfuerunt, vt testimonium Patris de Filio perciperent, et Iesum tanquam Messiam agnoscerent; id tamen non poterant non intelligere, Dominum voluisse hoc, vt non terrena commoda, sed bona coelestia, ad salutem animi spectantia, quaererent et ab ipso exspectarent. Quaerunt igitur, quaenam tandem haec bona sint, et quomodo ea consequi possint. Hic enim est sensus quaestionis, quam proponebant Domino, versu duodetricesimo: *quid agendum nobis est, vt faciamus, quae probentur Deo?* siue: *quid demum Deus a nobis fieri vult?* Scilicet τὰ ἔργα sunt facta, seu potius res; et ἔργα τοῦ Θεοῦ non sunt facta, quae Deus patrare solet, sed: quae Deus praecepit, quae adeo fieri vult. Habet enim lingua hebraica non tantum, verum etiam graeca, et in multis etiam latina multos et mirabiles vsus Genitiuorum, qui discrepant a lingua nostra longissime et huic accommodate sunt exprimendi. Exempla si quis desiderauerit, adeat KREBSII *Decreta Rom. pro Iud.* p. 270. Igitur τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ sunt facta, a Deo praecepta, eique grata, et ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ, est: patrare eiusmodi facta, voluntati diuinae conuenienter sentire et agere.

Iam docet Dominus, quid sit, quod Deo placeat, quodque ab iis potissimum fieri velit. Scilicet: *quod Deo placet*, inquit, *est hoc, vt credatis in eum, quem misit.* Hic τὸ ἔργον manifeste denotat rem, quod Graeci dicunt χρῆμα, et τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ rursus est res, quae Deo placet, quam Deus vult, τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με πατρὸς appellauit Dominus versiculo tricesimo octauo et nono. Atque haec res, quam Deus ante omnia voluit olim tempore Christi omnique tempore, vultque nunc quoque ab omnibus, quaeque ei prae caeteris grata est et accepta, quaenam demum est? Scilicet haec: ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος. Hic locus valde notabilis est propter duplicem causam. Primum enim inde intelligi potest, quamnam notionem subiecerit Dominus verbo: πιστεύειν, quod non semper accurate mentique Domini conuenienter solet explicari ab interpretibus et Theologis. Scilicet, vt iam vidimus aliquoties, veluti *Cap. I*, 12. 13. *III*, 16. 36. formula: πιστεύειν εἰς Ἰησοῦν in vniuersum denotat: Iesum agnoscere ac suscipere, et quidem talem, qualis est, qualemque se descripsit. Iam in vnoquoque loco videndum est, qualemne Dominus se descripserit, atque inde eruenda et constituenda vera notio illius formulae. Enimuero in hoc loco descripsit se, et primum quidem versiculo vicesimo septimo, tanquam eum, qui det et dare possit τὴν βρῶσιν, τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον, hoc est, vt vidimus, bona perennia, aeternam felicitatem largientia. Ergo *credere in Iesum* denotat: eum agnoscere et suscipere tanquam talem, qui dat et dare potest bona perennia, felicitatem aeternam largientia. Porro se descripsit eodem versu tanquam eum, quem Pater obsignauit, hoc est, cuius legationem auctoritatemque certis argumentis confirmauit, quem tanquam legatum suum, Messiam et Seruatorem promissum, demonstrauit. Ergo *credere in Iesum* est: eum agnoscere et suscipere talem, qualem Pater demonstrauit,

tanquam legatum suum, Messiam, promissum Seruatorem. Tum quoque descripsit se in hoc versiculo tanquam talem, cui Pater fidem haberi vult, ita, vt gratum acceptumque sit Patri, si ei fidem habeas. Ergo *credere in Iesum* est: eum agnoscere et suscipere talem, cui Pater fidem haberi vult, sic, vt persuasum tibi habeas, te gratum facere Patri, si talem fidem Christo praestiteris. Aliis modis se descripsit in hoc ipso Capite, nimirum tanquam panem coelestem, de coelo descendentem, tanquam panem vitae, vitam dantem mundo, *vers.* 32. 33. 35. deinde tanquam eum, qui corpus suum daturus sit pro vita hominum, *vers.* 51. denique tanquam eum, qui neminem perire sinat, qui in eum crediderit, sed potius adducturus sit ad vitam aeternam credentem quemcunque; *vers.* 30. *sqq.* 53. *sqq.* ex quibus omnibus peculiaris notio formulae: credere in Iesum, elici potest ac debet, vt videbimus, quando ad illa loca venerimus. Omnes tamen istae descriptiones conueniunt in eo, vt indicent, formulam: *credere in Iesum*, habere vim hanc, vt denotet: Iesum agnoscere et suscipere tanquam salutis humanae auctorem verissimum et perfectissimum, Seruatorem mundi vnicum, adeoque ab eo salutem omnem huius et futurae vitae expetere et exspectare. Deinde hic locus notatu dignissimus est etiam propterea, quoniam inde intelligi potest, ac doceri, quanti momenti sit, quamque necessaria cuique homini christiano haec fides in Christum. Dixit enim Dominus: *τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος.* Est igitur haec fides res primum non humana, sed plane diuina, quam Pater postulat et exigit ab vnoquoque, qui adspirare vult ad salutem, per Christum partam, deinde res ei grata et accepta, per quam grati ei fieri possumus atque accepti, salutisque aeternae participes.

Id quoque bene intellexisse videntur Iudaei, ac percepisse, Dominum loqui de se, seque profiteri eum,

qui dare possit bona, salutem aeternam afferentia, Deum velle, vt ipsi fidem habeant tanquam legato suo, atque hanc fidem esse, qua probari possint Deo. Modo postulant a Domino documentum, quo demonstret, se esse talem, qualem se esset professus, et Deum velle, vt eum tanquam talem fide suscipiant; postulant miraculum, et eiusmodi quidem, cuiusmodi edidisset Deus ad confirmandam auctoritatem Mosis. Dicunt enim: *quonam signo tu probabis*, te a Deo esse missum, *quo viso tibi fidem habeamus? Quid facies? Maiores nostri comedendum accipiebant manna in desertis regionibus; sicut scriptum est: panem de coelo iis dedit ad vescendum.* Disserunt in hanc sententiam: Mosis legatio diuina confirmata est miraculo, cum panis deplueret ex aëre; neque enim temere ei credidissent nostri maiores, nisi signum, coelitus editum, auctoritatis diuinae fidem ipsis fecisset; eo demum commotus populus obtemperauit Mosi; non aequum est, sine tali signo tibi credere; tu si quid potes, fac simile, siue etiam maius, et credemus tibi. Igitur miraculum efflagitant, quasi vidissent nullum! Viderant pridie suis ipsorum oculis miraculum, euidentissimum diuinae virtutis argumentum; *vers.* 11. *sqq.* audiuerant de alio, non minus insigni. *Vers.* 19. *sqq.* Desiderant autem miraculum non quoduis, sed maius, quam ediderat, cum famem sedaret ingentis multitudinis paucis panibus et piscibus; miraculum, ei simile, quod Moses edidit, miraculum de coelo; in eo demum volunt agnoscere auctoritatis diuinae documentum, eoque conspecto credere, non verbis eius, sed factis.

Quibus respondet Dominus hac ratione: *verissime affirmo vobis, panem vere coelestem Mosen non dedisse, sed vere coelestem panem dari vobis a Patre meo; hic panis, quem dat Deus, de coelo est et impertit humano generi vitam.* Etenim ad τὸν ἄρτον, quem Moses dedisse dicitur, subintelligendum est ex sequentibus:

ἀληθινόν· nam hic panis non erat vere coelestis, sed terrenus; non venerat e coelo, sed depluebat ex aëre. Deinde ἄρτος τοῦ Θεοῦ idem est, atque: ἄρτος, ὃν πατήρ μου δίδωσιν, in oppositione ad cibum eum, quem Moses dedisse dicebatur. Hic cibus, quem suppeditat Pater, est ἀληθινὸς, vere coelestis; nam ἐστὶν καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, non depluit ex aëre, sed proficiscitur a Deo ipso; venit de coelo, non terrenus est, sed coelestis; ζωὴν διδοὺς, adeo efficax et salubris, vt vitam det, eamque non corporum, sed animarum, non temporalem, sed aeternam; ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα, qui hunc panem comederit, vt est versiculo quinquagesimo octauo; denique ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ, non vni populo, vt manna illud, sed vniuerso generi humano. Quibus omnibus docere voluit Dominus, tantum interesse inter cibum, per Mosen suppeditatum, et eum, quem dare velit Pater, quantum inter corpus et animam, vitam temporalem et aeternam, terram et coelum.

Sed Iudaei, non intelligentes mentem Domini, immo adhuc somniantes cibum terrenum, petunt, vt ipsis copiam faciat cibi talis, qualem promittat, melioris, quam fuerit Mosaicus, et perennioris, quam ille dederit populo tantum ad tempus. *Domine*, inquiunt, *da nobis semper panem eiusmodi.*

Hactenus docuerat Dominus in vniuersum, panem coelestem, hoc est, bona coelestia et spiritualia quaerenda esse atque expetenda. Iam explicat apertius mentem suam, ac docet, qualemne panem intelligat, intelligique velit, atque ostendit, *panem vitae esse se ipsum*, quatenus bona illa coelestia, ad salutem necessaria habeat et suppeditet. Atque hoc est *alterum*, quod in hoc sermone explicauit Dominus. Respondet enim hunc in modum: *ego ipse sum panis vitae; ad me quisquis venerit, non esuriet; in me quisquis crediderit, sitiet nunquam.* Igitur se ipsum Dominus appellauit τὸν ἄρτον, et quidem τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς· sed quaeritur, quo-

nam sensu, et quidnam intellexerit per hanc appellationem volueritque intelligi, atque adeo *quonam sensu sit panis vitae;* de quo constat non vnam esse eandemque sententiam.

Interpretes plerique fere omnes per *τὸν ἄρτον* praecipiunt intelligendam esse *doctrinam Iesu*, statuuntque, Iesum esse panem vitae, *quatenus doctrinam veram tradidit.* Ac sane haec interpretatio probabilitatem habere videtur primum ab vsu loquendi, deinde vero etiam ab oratione contexta. Nam quod ad illum attinet, in promtu est, vsitatissimum fuisse optimo cuique scriptori graeco et latino, vocabulum cibi transferre ad animum, atque vsurpare sic, vt denotare vellent in vniversum rem aliquam, quae habeat vim, animum nutriendi et recreandi, in specie vero doctrinam et sapientiam, quatenus explet desideria animi, eumque potest erudire, emendare, tranquillare, exhilarare. Exempla ex scriptoribus graecis et latinis magno numero congesserunt interpretes, nominatim LAMPIVS ad hunc locum. Ex Scripturis autem notissima sunt loca *Prou. IX*, 5. vbi sapientia dicit: *venite et edite de pane meo;* et *Sir. XI*, 5. in quo loco timor Dei, hoc est, doctrina religionis, appellatur *panis intelligentiae et aqua sapientiae.* Atque ita et Dominus hoc loco se appellavisset *τὸν ἄρτον*, quatenus per doctrinam suam suppeditat, quibus opus est ad animum nutriendum et recreandum, hoc est, illuminandum, emendandum, tranquillandam, exhilarandum, beandum. Deinde vero etiam orationis series valde commendat interpretationem illam. Nam primum habendi huius sermonis ansam praebuerunt homines, desiderantes terrena bona, *τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην*, vt est *vers. 27.* Dominus vero eos iubet appetere *τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον.* Enimuero haec *βρῶσις* non fuit alia, nisi doctrina Christi; aliam ne nouerant quidem, neque adeo poterant appetere. Deinde *τῷ ἄρτῳ* adiecta reperiuntur

praedicata eiusmodi, quae et ipsa indicare videntur, Dominum intellexisse suam doctrinam. Nam dicitur ἄρτος τῆς ζωῆς, vitam dans; ac talis est doctrina Christi, dum scilicet nouam vitam spiritualem suppeditat, et vires largitur ad cognoscendum, emendandum, tranquillandum; est λόγος, δυνάμενος σῶσαι τὰς ψυχὰς, vt ait Iacobus, *Cap. I*, 21. δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν, vt Paulus dixit, *Rom. I*, 16. ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ, quemadmodum locutus est Dominus supra, *vers.* 33. immo vero ῥήματα ζωῆς αἰωνίου appellatur diserte versiculo octauo et sexagesimo. Porro hunc ἄρτον qui desiderauit, iubetur *venire ad Christum*, siue, *credere in Christum*; vtrumque autem idem est, denotatque nihil aliud, nisi hoc: Christum audire, doctrinam eius suscipere, in eius disciplinam se tradere. Tum quoque, qui hoc fecerit, ei promittitur hoc: οὐ μὴ πεινάσῃ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε. Sed *esurire* et *sitire* dicuntur in omnibus linguis apud scriptores sacros et profanos de iis, qui tenentur desiderio discendi et doctrinam alicuius cognoscendi, qui habent *aures sitientes*, vt CICERO loquitur; *ad Attic. II*, 14. *non esurire* vero et *non sitire*, quorum desiderium est expletum. Hinc *bibere* dicitur, qui alicuius doctrina imbuitur sic, vt eam probet; vnde formula notissima: *doctrinam alicuius imbibere*. Apud *Sirac. Cap. XXIV*, 28. leguntur haec: *qui edunt me*, meam sapientiam, meam doctrinam, *adhuc esurient*, *qui bibent me*, *sitient adhuc*, in dies plura discere cupient. Apud Iudaicos vsitatissimum erat, dicere: *bibere alicuius aquam*, quod significabat: doctrinas alicuius perceptas probare; vt docuit SCHOETTGENIVS, *in Horis* ad hunc locum, et exemplis e V. T. illustrauit MICHAELIS *in Colleg. Crit. ad Ps. XVI. XL. et CX.* Ad extremum accedere videtur interpretatio Domini authentica, versiculo quadragesimo quinto et sexagesimo tertio. In illo enim orationem suam illustrauit loco prophetae: *erunt a Deo edocti*; quo de-

monstrare voluit, praedictum fuisse olim, fore, vt instituantur homines ad vnum omnes doctrina euangelii, atque inde argumentatus est sic: *quisquis audiuit a Patre ac didicit, is venit ad me.* In hoc vero disertis verbis docuit, per τὸν ἄρτον se intellexisse doctrinam suam; vsus enim est verbis his: τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή ἐστιν. Quae quidem omnia interpretationem illam reddunt profecto valde probabilem.

Est vero etiam interpretatio huius loci alia, eaque non minus probabilis, siue vsum loquendi spectes, siue orationis seriem, et, nisi nos omnia fallunt, vnice vera. Scilicet per τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς intelligitur non doctrina in specie, sed in genere bonum salutare quodque, ita, vt doctrina non excludatur quidem, neque tamen vnice denotetur, sed significentur bona salutifera in vniuersum; siue potius intelligitur is, qui habet et confert bona salutifera, auctor salutis humanae, cum bonis omnibus, quae habet et suppeditat ad tenendam felicitatem. Etenim vocabula ἄρτος, βρῶσις, itemque Latinorum: *panis*, *cibus*, reliqua, non praecise denotant doctrinam, veritatem, et sapientiam, sed, vt vidimus supra, ad *vers.* 27. in genere bonum quodque, quod animum tranquillat, recreat, beatum reddit; quodnam vero bonum intelligatur in specie, iudicandum est ex vniuscuiusque loci oratione contexta. Sic est in omnibus linguis et nominatim in vsu loquendi Domini ipsius. Etenim *Cap. IV*, 34. dixit, se habere βρῶμα aliquod, quo recreetur. Iam hoc βρῶμα quodnam erat? Num doctrina? Nullo modo; nam *mihi instar cibi est,* inquit, *obtemperare praeceptis, me mittentis, ac perficere opus, mihi demandatum;* quibus significare voluit, sibi maximo oblectamento esse, morem gerere voluntati Patris, eiusque obsequio se non minus exsatiari, quam cibo. Accedit consuetudo Domini in vniuersum, vsurpandi de se suisque bonis et beneficiis formulas tropicas, quae non in specie, sed in genere sunt accipien-

dae, sic, vt vniuersitatem exprimant; veluti quando se appellauit *aquam vitae*, *fontem profluentem in omnem aeternitatem*, *Cap. IV*, 14. item, *lucem mundi*, *Cap. VIII*, 12. reliqua; quae omnia referenda sunt ad vniuersum ambitum beneficiorum Christi. Ergo vsus loquendi permittit, vt ἄρτον τῆς ζωῆς accipiamus non in specie de doctrinâ, sed in genere de bonis, salutem afferentibus. Sed in eiusmodi locis consulenda est in primis series orationis; ea vero hanc interpretationem postulat atque adeo exigit. Etenim τῷ ἄρτῳ tribuuntur praedicata eiusmodi, quae docent, non de solo beneficio doctrinae, sed de aliis bonis esse sermonem. Primum dicitur ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς. Sed vocabulum ζωῆς quando de Christo vsurpatur, et quando is dicitur vitam habere (et vitam dare, et quidem pari modo, vt Pater, veluti *Cap. V*, 26. et in hoc *Cap. vers.* 57. tum accipiendum est sensu augustissimo, hoc est, eodem, quo Patri tribuitur. Enimuero quando Patri tribuitur ἡ ζωή, tum denotat vim facultatemque, vitam et habendi et tribuendi, principium vitae, vim viuificam; et quando Pater dicitur *habere vitam in se*, id non potest non significare, Patrem habere vim potestatemque, vitam tribuendi; vt vidimus ad *Cap. I*, 4. et *V*, 26. Iam quando Filio tribuitur vita, alio sensu accipi non potest, quam eo, quo de Patre vsurpatur, nimirum hoc, vt habeat vitam et det vitam. Id autem de doctrina hoc tali sensu et in tali contextu dici nullo modo potest. Deinde ὁ ἄρτος comparatur *vers.* 31. cum pane eo, quem Deus comedendum dedit Israelitis per Mosen, et quo eos aluit in locis desertis. Num vero hicce panis fuit doctrina Mosaica, et non potius bonum aliud? Porro *vers.* 33. ὁ ἄρτος dicitur descendisse de coelo. Id vero de doctrina dicitur nuspiam; de Iesu autem ipso, tanquam Filio Dei et auctore salutis, adhiberi constat; veluti *Cap. III*, 13. et in hoc *Cap. vers.* 38. Tum Dominus sibi, tanquam τῷ ἄρτῳ τῆς ζωῆς, tribuit, quae ad

doctrinam referri nullo modo possunt; veluti quando *vers.* 39. dicit: Pater vult, vt, quos mihi dedit, non perire sinam, sed in vitam restituam die mundi extremo; quod repetiit Dominus *vers.* 40. 44. 47. 54. Denique et ad ipsam interpretationem authenticam prouocare possumus. Nam Dominus ipse verbis disertis explicauit, quid sibi voluerit, quando se appellauit τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, nimirum *vers.* 51. dixit haec: *per panem, a me tribuendum, intelligo corpus meum, morti tradendum pro salute humani generis.* Igitur quare se τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς appellauit? Nam propter doctrinam? Nullo modo. Sed propter mortem suam et quidem hactenus, quatenus per eam felicitatem humanam acquisiuit. Deinde *vers.* 55. *corpus meum,* inquit, *verus cibus est, sanguis meus verus potus.* Haec autem quid demum significant? Nihil aliud, quam hoc: mea mors, et quicquid mea morte impetraturus sum, is demum est verus panis. Ergo Dominus est ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, quatenus vitam sua morte acquisiuit. Sed addidit etiam aliquid amplius, *vers.* 57. scilicet hoc: *vt Pater, perpetuo viuens,* vitam conferens, *me in has terras misit, vtque ego per Patrem viuo,* vitam habeo vimque viuificantem, *ita quoque, qui me comedet, per me viuet.* Vt vitam habeo, ita vitam do et dare possum, ita, quisquis in me crediderit, vitam accipiet per me, vitam habebit me auctore et datore. Aliter quidem haec verba intelligi nullo modo possunt. Dabit autem vitam non modo in hoc, sed etiam in altero saeculo, vt *vers.* 39. 40. 44. 47. 54. diserte docuit.

Dicat vero aliquis, Dominum tamen et ipsum de doctrina sua esse locutum ad finem huius sermonis, *vers.* 63. eique tribuisse vim, vitae conferendae. Recte. Sed non vnice locutus est de doctrina, verum etiam, vt vidimus, de morte sua. Et per τὰ ῥήματα quidnam demum intellexit? Scilicet non doctrinam suam vniversam, sed partem eius eam, quam modo tradiderat,

nimirum, se esse panem vitae, se traditurum esse vitam suam ad salutem generis humani; haec ibi sunt *τὰ ῥήματα.* Atque hoc tali sensu etiam Paulus accepit *τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, Rom. I,* 16. idque esse dixit *δύναμιν εἰς σωτηρίαν,* nempe intellexit non vniuersam doctrinam Christi, sed eius partem eam, quae exponit de gratia Dei, per Christum exhibita.

Iam igitur *ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς* quidnam denotat, et quatenus Iesus est *panis vitae?* Scilicet denotat *auctorem vitae et salutis;* et Dominus est *panis vitae,* non, quatenus doctrinam tradidit, sed quatenus est auctor *vitae et felicitatis humani generis, ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, princeps salutis,* vt dicitur *Act. III,* 15. Simul etiam patet. *quatenus sit auctor vitae et felicitatis humanae;* quod est valde notabile atque ex hoc loco euidenter intelligi potest. Scilicet auctor vitae et felicitatis humanae est triplici modo; *primum* quatenus in eo est *ζωὴ,* principium vitae, vitam habet et dare potest, vt Pater; *vers.* 57. *deinde* quatenus vitam suam posuit ad impetrandam hominibus vitam et felicitatem atque per mortem vitam et felicitatem iis acquisiuit; est causa meritoria, vt in Dogmaticis loqui solemus, *reparator vitae; vers.* 51. *denique* quatenus dat et confert vitam credentibus, est *dator vitae;* dat autem et confert non modo per doctrinam suam, sed etiam per imperium suum. *Vers.* 39. 40. 44. 57.

Sed hanc interpretationem efflagitare videntur sequentia quoque. Scilicet Dominus subiecit haec: *ὁ ἐρχόμενος πρός με, οὐ μὴ πεινάσῃ, καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε.* Postulat igitur Dominus ab vnoquoque, qui in eo voluerit habere auctorem et principem salutis, vt veniat ad ipsum et credat in ipsum. Iam in promtu est, has duas formulas: *venire ad Iesum,* et: *credere in Iesum,* idem declarare, quamuis non eodem modo explicari soleant. Ac *venire ad Iesum,* supra vidimus, *Cap, V,* 40. denotare: audire Iesum, ab eo

discere, eius doctrinam admittere et suscipere, eius disciplinae se tradere. Et *credere in Iesum*, itidem audiuimus ad *vers.* 29. huius Capitis, significare in vniversum: Iesum agnoscere et suscipere, et quidem talem, qualis est et qualem se descripsit. Iam vario modo spectari potest Iesus, vel quoad personam, vel quoad negotium; hoc rursus varium fuit, vel doctoris, vel reconciliatoris, vel regis et domini. Inde oriuntur significationes variae τοῦ credere in Iesum. Sed quaenam significatio ei in vnoquoque loco sit tribuenda, iudicari oportet ex serie et consilio orationis cuiusuis. Enimuero in hoc loco Dominus primum se descripsit vt ἄρτον τῆς ζωῆς, quo significari vidimus non doctorem, sed salutis auctorem, et quidem per mortem et omnipotentiam suam. Ergo *venire ad Iesum* et *credere in Iesum* hoc loco nihil minus potest significare, quam: Iesum suscipere tanquam auctorem salutis, quatenus morte sua eam acquisiuit et sua potentia tribuit; et quidem suscipere sic, vt tibi persuasum habeas, Iesum vitam et salutem et peperisse morte sua, et dare potentia sua, vtque adeo ab eo eiusque morte et potentia vitam et salutem quaeras, exspectes, vnice repetas, saluus fieri velis per Christum; siue breuiter, ad Iesum venire et in Iesum credere hoc loco est: per Christum saluum fieri velle. Deinde Dominus has ipsas formulas commutauit cum aliis, nimirum *vers.* 55. *edere corpus et bibere sanguinem Christi.* Hae autem, vt videbimus ad illum locum, non denotant simpliciter: credere, sed: credere in mortem Iesu, tanquam causam vitae, factam ad acquirendam vitam; et credere cum effectu, sic, vt fructum mortis Christi in te transferas, ac per et propter eam vitam et salutem exspectes. Igitur istae formulae alio significatu accipi non possunt, nisi eo, quem diximus.

Iam vnicuique, qui ad ipsum venerit et crediderit in ipsum, dedit promissionem hanc: οὐ μὴ πεινάσῃ, οὐ

μὴ διψήσῃ πώποτε; quorum interpretatio est in promtu. Etenim verba *esurire* et *sitire* in omnibus linguis improprie vsurpata leguntur, idque valde eleganter, sic, vt denotent partim: indigere aliqua re, partim vero: magno alicuius rei desiderio teneri, vehementer appetere aliquid; atque adeo exprimant duo, primum, sensum indigentiae et inopiae, deinde desiderium alicuius rei. Exemplum habuimus *Cap. IV*, 14. et habebimus *Cap. VII*, 37. Hinc *non esurire*, et *non sitire* denotant, partim: nulla re indigere, partim: nullam rem desiderare; exprimuntque adeo duo, primum veritatem et magnitudinem, deinde copiam et abundantiam, si desideriis alicuius vere et plane est satisfactum, sic, vt nihil habeat amplius, quod desideret, aut desiderare possit, si est omni ex parte beatus. Igitur hoc loco: *non esuriet, non sitiet*, est: indigebit nulla re, ad vitam beatam necessaria, immo vero possidebit omnia, ex quibus vera felicitas nascitur; porro possidebit omnia abundanter, ita, vt his penitus acquiescat, nec quicquam amplius desideret; denique *non sitiet vnquam*, est: nullo vnquam tempore indigebit aliqua re, habebit potius semper, et quidem abundantissime, quibus demum opus est ad felicitatem perfectissimam; *Cap. IV*, 14. est: non sitiet *in aeternum*. Igitur his verbis: *non esuriet, non sitiet*, exprimuntur tria, *primum*, felicitatis magnitudo, *deinde*, eiusdem copia et abundantia, *denique*, diuturnitas; et Dominus noster descripsit se tanquam auctorem felicitatis, omnibus numeris absolutae, hoc est, *primum* verissimae et summae, *deinde* copiosissimae, *denique* constantissimae.

Sed adeo excoecati erant istorum hominum animi, rerumque terrenarum studio occupati, vt ne intelligere quidem viderentur sermonem Domini, nedum fidem ei haberent; *videntes non videbant, audientes non audiebant*. Quare Dominus perrexit hoc modo: *vos, vt dixi alias, me videtis, neque tamen mihi creditis*. Saepius

enim docuerat Capernaumi in Synagoga; audiuerant isti homines eum docentem, atque adeo de eorum ἀπιστίᾳ querentem; viderant etiam nuperrime eum patrantem maiora, quam Moses patrauerat; neque tamen eum admittebant.

At quamuis isti repudiarent Dominum; tamen non defuturos esse docet plures, qui eum suscipiant, salutemque per eum quaerant et consequantur, versiculo tricesimo septimo. *Venient*, inquit, *ad me omnes, quoscunque Pater mihi dedit; et quisquis venerit ad me, acceptissimus mihi erit carissimusque.* Alias quoque Dominus vsus est formula: *quos mihi Pater dedit*, partim de Apostolis, quos Pater ipsi conciliauit discipulos et futuros euangelii ministros, *Cap. XVII*, 6. 11. 12. *XVIII*, 9. partim de omnibus, qui ipsius disciplinae se essent traditurí, Patre volente et dirigente; *Cap. XVII*, 2. 24. *X*, 29. et hoc loco, itemque versu vndequadragesimo. Simul indicauit Dominus, partim, fuisse consilium Patris benignissimum, vt redimeret homines, et possideret; quare dicuntur *peculium Domini*, quod pretio magno sibi acquisiuit; partim vero etiam, Patrem velle, vt in eius disciplinam se tradant omnes, *trahere quoscunque ad ipsum*, vt loquitur *vers.* 44. atque efficere, vt ipsi se dedant et salutem per ipsum consequantur. Quando autem dixit: πᾶν, (quod est pro: πᾶς,) ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, indicauit homines omnes, sine discrimine gentis; nec improbabile est, Dominum in hoc loco respexisse ad Gentiles quoque, et dicere voluisse: accedent ad me, (de hac formula modo diximus ad *vers.* 35.) meae disciplinae tradent se non Iudaei tantum, sed cuiuscunque gentis sint, etiam a lege Mosaica alienissimi. Iam quisquis accesserit ad me, ex quacunque gente, eum οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω, non eiiciam foras; qui est modus loquendi satis notus et perelegans, quo indicare voluit Dominus hoc: talem lubentissime exci-

piam in societatem disciplinamque meam, is mihi acceptissimus erit probatissimusque.

Nam descendi de coelo, vt exsequerer consilium non tam meum, quam potius eius, qui me ablegauit. Solenne fuit Domino, se describere partim tanquam eum, qui fuerit in coelo, de coelo descenderit et in coelum rediturus sit; *Cap. III*, 13. 31. *XVI*, 28. et in hoc *Cap. vers.* 62. quo indicare voluit, quod docuit Ioannes, *Cap. I*, 1. se fuisse apud Deum ante mundi initia et hominem factum esse; partim vero etiam tanquam legatum, a Patre missum, τὸν ἐρχόμενον, siue, τὸν λόγον, vt Ioannes eum appellauit, et quidem talem, qui repararet salutem hominum. Conf. *Cap. V*, 23. *sqq.* 36. *sqq.* Inde vero colligi voluit, se agere non suo arbitratu, sed iussu atque auctoritate Patris, adeoque sua consilia non dissidere a consiliis Patris, sed esse eadem. Hoc enim denotat τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντος, nempe consilium, quo Pater Filium misit, vt *Cap. IV*, 34. et *V*, 30. et ποιεῖν τὸ θέλημα significat: consilium exsequi; denique οὐ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, est: consilium non tam meum, quam potius Patris. Conf. *Cap. VII*, 16.

Iam docet Dominus, quodnam sit consilium Patris, quo Filium miserit in has terras, atque adeo etiam, quonam consilio venerit Filius. Idque est notatu longe dignissimum. Quodnam igitur? *Est vero consilium Patris, quo me misit, hoc, vt ex omnibus, quos mihi dedit, perire sinam neminem, sed omnes suscitem die nouissimo.* De formula: πᾶν, ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, modo diximus; *ad vers.* 37. et hoc loco quidem per eos, quos dedit ei Pater, intelligitur tota vniuersitas hominum; nam omnes ei dedit redimendos e pernicie, omnes vult saluos fieri per Filium. Illud: μὴ ἀπολέσω, intelligendum est permissiue: non sinam perire; exprimitque, vt fit saepissime in eiusmodi verbis, non tantum detractionem incommodi, sed etiam collationem com-

modi, adeoque partim liberationem a pernicie, partim vero etiam impertitionem vitae et felicitatis; quod vel ex versiculo sequente potest intelligi, vbi eadem res exprimitur per partem affirmatiuam: ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. Docet igitur Dominus, consilium Patris, quo Filium suum miserit, fuisse hoc, partim vt homines omnes eriperet e pernicie, partim vt iisdem pararet vitam et felicitatem aeternam; plane vt dixerat supra. *Cap. III*, 16. In specie autem subiecit hoc: ἀναστήσω αὐτὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, idque repetiit in sequentibus aliquoties, *vers.* 40. 44. *et* 54. Nonnulli quidem hoc accipiunt sensu improprio et metaphorico de resuscitatione ad vitam spiritualem, seu, moralem, et ἐσχάτην ἡμέραν interpretantur de temporibus Messiae et oeconomiae christianae. Sed repugnat haud dubie contextus et vsus loquendi. Nam in versiculo sequente, itemque *vers.* 54. coniuncta leguntur: ἔχει ζωὴν αἰώνιον, et: ἀναστήσω αὐτὸν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, vnde patet, de re futura sermonem esse. Deinde ἔσχαται ἡμέραι et ἔσχατον τῶν ἡμερῶν dicuntur quidem de temporibus N. T. sed ἡ ἐσχάτη ἡμέρα semper denotat diem mundi extremum, fuitque Domino solennis appellatio finis rerum humanarum. *Cap. XII*, 48. Vnde patet, haec verba Domini accipienda esse haud dubie de suscitatione mortuorum ad vitam aeternam in fine saeculi, vt *Cap. V*, 21. 28. *sq.* et exprimere beneficium Domini, qui ne corpus quidem perire sinet, nedum animam.

Quae res quoniam erat momenti maximi, propterea Dominus eam repetiit et denuo inculcauit quadragesimo versiculo: *est, inquam, consilium Patris, quo me misit, vt, quisquis me, Filium, cognouerit et in me crediderit, vitam aeternam consequatur; eum enim ego ad vitam reuocabo die extremo.* Quod in versiculo antecedente in vniuersum dixerat Dominus: πᾶν, ὃ δέδωκέ μοι πατὴρ, id in hoc versu expressit in specie et cum conditione: πᾶς, ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν καὶ

πιστεύων εἰς αὐτόν. Pater vult, vt homines omnino omnes salutem consequantur, et quidem per Filium; vult adeo etiam, vt omnes in eum credant; atque hi, quicunque crediderint, salutem consequentur vere et certo. Sunt vero formulae: *θεωρεῖν τὸν υἱὸν*, et *πιστεύειν εἰς αὐτὸν*, idem significantes; vtraque denotat: Iesum agnoscere et suscipere, et quidem talem, qualis est et qualem se descripsit. Atqui in hoc loco se descripsit tanquam Filium Patris, qui de coelo descendit et missus fuit ad homines liberandos e pernicie et beandos. Ergo Iesum agnoscere et suscipere tanquam Filium Dei, de coelo missum a Patre ad homines seruandos et beandos, id hoc loco est: credere in Iesum. Deinde quod in versu antecedente erat: *μὴ ἀπολέσω*, id in hoc versiculo est: *ἔχει ζωὴν αἰώνιον*. Est igitur beneficium Christi duplex, primum, liberatio a pernicie, alterum, impertitio vitae et beatitatis; vtrumque parauit, vt diserte docuit versiculo quinquagesimo primo, dum vitam posuit pro hominibus. Exprimitur autem per *τὴν ζωὴν αἰώνιον* non tantum vita aeterna, sed etiam beatitas huius vitae; vita aeterna eaque beatissima. Conf. *Cap. III*, 16. Et *τὴν ζωὴν* quidem dixit Dominus, quoniam se appellauerat *vers.* 35. *τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς*, hoc est, auctorem vitae, quatenus scilicet et vitam habet, et eam promeruit sua morte, et aliquando dabit. Conf. *Cap. V*, 26. Vnde quoque subiecit: *καὶ ἀναστήσω αὐτὸν ἐγὼ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ*, quod intelligendum esse modo vidimus de resuscitatione a morte in fine rerum humanarum. Possunt tamen haec verba accipi duplici modo, vel vt exprimant causam, quare is, qui crediderit, habiturus sit vitam aeternam, quoniam scilicet Dominus eum in vitam restituet, hoc sensu: habebit vitam aeternam; nam ego eum suscitabo; vel vt per priorem formulam indicetur vita, quoad animam, per alteram vero vita quoad corpus, hoc modo: vitam consequetur quoad animam, et vero etiam quoad corpus; nam et

hoc aliquando in vitam revocabo. Iam si dicendum esset, quodnam fuerit consilium Patris, quo misit Filium suum in has terras, non statuere possumus aliter, quam illud fuisse triplex, primum, vt liberaret homines a pernicie et interitu, deinde, vt vitam aeternam eamque beatam iis acquireret, denique vt hanc vitam daret cuique, qui ipsum tanquam vitae auctorem agnouerit ac susceperit. Ita Dominus disertis verbis hoc loco explanauit consilium Patris benignissimum in mittendo suo Filio.

Atque ita summa loci inde a *vers.* 26, est haec: *quid exigit Deus ab vnoquoque et quid faciendum est vnicuique, qui felicitatem aeternam consequi voluerit?* Responsio Domini ad hanc quaestionem est tripartita; *primum:* quaerenda sunt et comparanda bona spiritualia et coelestia, non fluxa et caduca, sed perpetua; *vers.* 27. *sqq. deinde:* ego is sum, qui habet, conciliat, confert eiusmodi bona, eaque maxima, copiosissima, in aeternum duratura, adeoque felicitatem maximam, copiosissimam, aeternam; *vers.* 35. *sqq. denique:* ea bona, hanc felicitatem quisquis appetierit, quaesiuerit, exspectauerit a me, certo consequetur. *Vers.* 37. *sqq.*

Quo sermone Iudaei vehementer offensi, quem volebant regem proclamare, nunc vt humili loco natum contemnunt, atque vt arrogantem criminantur, non quidem palam, sed *mussitantes inter se*, praesertim, *quoniam dixerat*, quod omnium maxime debebant amplecti, *se esse panem, demissum de coelo.* Etenim offendebantur non propterea, quoniam se panem vitae dixerat, quam potius, quoniam asseuerauerat, se venisse de coelo, adeoque habere originem coelestem, cum tamen ortum eius bene nosse arbitrarentur. *Quid enim,* inquiunt, *nonne hic Iesus est filius ille Iosephi, cuius patrem matremque nouimus? Qui tandem audet dicere, se de coelis descendisse?*

Haec illis inter se mussitantibus, Dominus, quem

non latebant cogitationes hominum, sermonem superiorem explanauit vberius confirmauitque, dicens: *non est, quod mussitetis inuicem* de iis, quae dixi; *nemo potest venire ad me, nisi Patre flectente*, Patre duce et auspice, *qui me misit; ego vero reuocabo eum in fine rerum humanarum in vitam. Extat iam in prophetis: a Deo edocti erunt omnes; quisquis igitur audiuerit a Patre didiceritque, veniet ad me.* Ac verbum *ἑλκύειν*, quemadmodum hebraicum: משך, atque adeo etiam latinum: *trahere*, nunc quidem constat inter viros doctos, vsurpari metaphorice, atque exprimere vim non physicam, sed moralem, ac denotare: in partes suas trahere, flectere, allicere, et quidem vel intellectum ad assentiendum, vel voluntatem ad obediendum, idque non tantum per doctrinam et institutionem, sed etiam per beneficia. Sic quando Deus, *Ier. XXXI*, 3. loquitur hoc modo: *traxi te gratia*, hoc nihil aliud denotat, quam: beneficiis te allexi ad me; exprimitque rationem mitem et benignam, impellendi aliquem ad faciendum aliquid. Idem exprimitur, quando *Hos. XI*, 4. dixit: *traxi eos humanis laqueis*; nam laquei humani sunt, quibus trahi solent homines, nimirum artes, quibus voluntas humana allici potest ad obediendum, nominatim beneficia; nam statim additur: *duxi vos laqueis gratiae.* Pari modo vsurpata leguntur haec verba a scriptoribus graecis et latinis, e quibus exempla commemorarunt interpretes. Igitur hoc loco quando Pater dicitur *trahere ad Iesum*, id denotat nihil aliud, quam, eum flectere et allicere ad suscipiendum Iesum. Et quomodo quaeso? Scilicet flectebat Pater et alliciebat illorum temporum homines, et nominatim Iudaeos, per argumenta, ex quibus intelligere facile quisque poterat, Iesum esse promissum exspectatumque Messiam; cuiusmodi argumenta commemorauerat Dominus supra, *Cap. V*, 33. *sqq.* nempe testimonium Ioannis Baptistae, miracula, ab ipso edita,

et testimonium Scripturarum V. T. Eiusmodi argumentis Pater trahebat, alliciebat, ducebat ad Filium. Iam si Pater ipse ad Filium trahit, efficitur, si qui suscipiant Iesum, id fieri non temere, non contra voluntatem Patris, sed ad voluntatem Patris, atque adeo Patre duce et auspice, eiusque gratia singulari. Idem repetiit Dominus infra, *vers.* 65. et quod Patris beneficio tribuit, id *Cap. XII*, 32, sibi vindicauit, dicens: *πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν*. Neque alio consilio prouocauit ad loca V. T. quae reperiuntur *Ies. LIX*, 13. et *Ier. XXXI*, 33. *sq.* in quibus dicuntur omnes *διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ*, quod est pro: *ἀπὸ τοῦ Θεοῦ*, instituti et edocti a Deo ipso, non ab hominibus; innuere enim voluit eo docere, fidem, quam quis ipsi habeat, non humanam esse, sed diuinam, opus et beneficium diuinum, adeoque non displicere Patri, immo vero ei vehementer placere. Quare etiam subiecit haec: *accedit ad me*, suscipit me quisque, *qui Patrem audiuerit*, testantem de me, nempe per Ioannem, per opera mea, et per Scripturas, *eique docilem se praebuerit*. De formula: *venire ad Christum*, conferendus est *vers.* 35. *et* 37. huius Capitis.

Locutus erat Dominus de Patre suo, *vers.* 32, *et* 37. a quo missus esset in has terras. Id quoniam indigne ferebant Iudaei, dicentes, se tamen probe nosse eius natiuitatem humilem parentesque, propterea docuit Dominus *vers.* 46. quemnam Patrem intelligeret, scilicet non adspectabilem, quem Iudaei se nosse dixerant, sed inuisibilem, sibi cognitum, quippe qui fuerit apud ipsum, antequam venisset in has terras. *Patrem*, inquit, *nouit nemo*, *nisi is*, *qui fuit apud Deum*; *hic cognitum habet Patrem*. Ita enim formulam: *ὁρᾷν τὸν πατέρα*, siue *Θεὸν*, intelligendam esse explicandamque, vidimus supra, ad *Cap. I*, 18. nimirum: nosse et patefacere Patrem, et quidem amorem Patris ingentem erga homines, eiusque decreta et consilia sapientissima

et benignissima de salute eorum, per Filium instauranda; atque quae ibi dixit Ioannes de Domino, eum esse *υἱὸν μονογενῆ, τὸν ὄντα εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς,* itemque *vers.* 1. eum fuisse *πρὸς τὸν Θεὸν,* ea desumsit haud dubie ex hoc ipso sermone Domini, in quo disertis verbis professus est, se fuisse apud Deum, antequam in has terras venisset.

Verum Dominus, vt intelligeretur sine dubitatione, quis et qualis esset et haberi vellet, cum se diceret panem vitae, idem repetiit in sequentibus, magisque explicauit et inculcauit. Perrexit enim *vers.* 47. *et* 48. hac ratione: *confirmo vobis, vita aeterna potiturum esse quemcunque, qui crediderit in me; sum enim ego panis vitae.* Arcte cohaerent duo hi versiculi; posterior continet rationem prioris. In illo docet Dominus: per me vitam aeternam consequi potest quisque; in hoc rationem reddit hanc: *sum ego panis vitae,* hoc est, vt ad *vers.* 35. explicauimus: ego sum auctor vitae aeternae; ac talis est, quatenus eam acquisiuit et dat; acquisiuit omnibus, dat autem credentibus, hoc est, ipsum pro auctore vitae aeternae suscipientibus, eamque ab eo expetentibus; haec enim hoc loco est significatio τοῦ *πιστεύειν,* vt series orationis docet.

Et quoniam Iudaei *vers.* 31. laudauerant cibum eum, quem comedendum acceperint eorum maiores in regionibus desertis, propterea comparationem instituit Dominus inter cibum illum, et eum, quem ipse suppeditet. Ille vitam corporis sustentauit ad breue tempus, hic vero vitam aeternam praestat. *Nam maiores vestri,* inquit, *quamuis comederunt manna in desertis locis, tamen mortui sunt,* quotquot comederunt; *hunc panem vero, de coelo missum, quisquis comederit, non morietur,* consequetur potius vitam aeternam. Hoc enim simul exprimitur per verba: *μὴ ἀποθάνῃ,* vt fit saepissime in eiusmodi enunciationibus et negantibus et affirmantibus, vt in praecedente: *ἔχει ζωὴν αἰώνιον,* si-

mul exprimitur hoc: non peribit. Vnde patet, duplex beneficium acceptum referendum esse Domino ratione vitae futurae, primum, vt ne pereant homines in morte, sed aliquando a morte liberentur, alterum, vt vitam aeternam consequantur. Quo beneficio qui potiri voluerit, eum oportet *φαγεῖν ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου.* Haec formula aequipollet superioribus *vers.* 35. *ἔρχεσθαι πρὸς Ἰησοῦν* et *πιστεύειν εἰς Ἰησοῦν*· nam idem iis praedicatum tribuitur, scilicet non perire, sed vitam aeternam habere, *vers.* 40. 47. *et* 51. Enimuero Dominus se appellauit *τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς*, quatenus est auctor vitae aeternae, hoc est, eius reparator et dator, vt vidimus ad *vers.* 35. Ergo *φαγεῖν ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου* est: Iesum suscipere tanquam *ἄρτον τῆς ζωῆς*, vitae aeternae auctorem, humani generis sospitatorem, et quidem sic, vt illud suscipere tibi fiat salutare.

Eadem fomula vsus est Dominus *versu* 51. explicavitque simul verbis propriis, quod supra verbis metaphoricis dixerat, cum se appellaret panem vitae. *Ego enim*, inquit, *sum panis, largiens vitam aeternam, de coelo demissus; hunc panem quisquis comederit, consequetur vitam aeternam; hic autem panis, quem ego tribuo, corpus meum est, quod tradam pro vita generis humani.* Hic qui supra, *vers.* 35. *et* 48. dicebatur *ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς*, appellatur *ὁ ἄρτος ὁ ζῶν*, quod est pro: *ζωοποιῶν*, id est, *ζωὴν διδοὺς*, vitam tribuens, vt *ὕδωρ ζῶν*, *Cap. IV*, 10. et denotat auctorem vitae, et quidem auctorem vitae talem, qui eam confert et morte sua acquisiuit. Hoc vltimum, scilicet Iesum esse auctorem vitae talem, qui eam acquisiuerit sua morte, euidenter docet interpretatio authentica et diserta Domini in verbis sequentibus: *καὶ ὁ ἄρτος δὲ, ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστὶν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.* Ergo *ὁ ἄρτος* est *ἡ σάρξ*, hoc est, corpus Christi, (etenim vocabulum *σαρκὸς*, vt Hebraeorum בשר, dicitur pro corpore;) verum non corpus Christi simpliciter,

sed: ἣν ἐγὼ δώσω, scilicet εἰς θάνατον; corpus Christi, morti tradendum, siue, quod idem est, mors Christi cruenta. Hoc corpus tradidit, hanc mortem oppetiit ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. Praepositionem ὑπὲρ vsurpari constat sic, vt denotet: pro, seu: vice alicuius, non modo apud scriptores sacros, veluti, *Rom. V*, 6. 7. 8. *XIV*, 15. 1. *Cor. I*, 13. 2. *Cor. V*, 15. reliqua, sed etiam profanos, e quibus exempla congessit LAMPIVS ad hunc locum, et nominatim etiam formulae: mori ὑπέρ τινος, pro aliquo, alicuius vice. Vnde quando Dominus dicitur corpus suum dedisse, seu mortem subiisse ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων, significat: eum mortuum esse pro hominibus, loco hominum; quam dicimus mortem Christi vicariam; et hoc loco nominatim dixit, se corpus suum dare, mortem oppetere ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, quod non potest aliud quid significare, quam hoc: ad impetrandam vitam humano generi. Igitur causa vitae hominum est mors Christi, et vita hominum effectus mortis Christi, atque Christus est ἄρτος τῆς ζωῆς, quatenus sua morte vitam impetrauit. Iam φαγεῖν ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου, siue, τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, facile quisque concesserit, denotare: credere in Christum; neque tamen, quod est bene tenendum, simpliciter significat: credere, sed cum determinatione, nimirum: credere in Iesum tanquam auctorem vitae hominum, seu, credere, Iesum mortuum esse ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, ad acquirendam hominibus vitam; et quidem credere cum effectu, vt haec fides tibi vtilis sit, vt in Christo ponas spem vitae futurae, eamque ab eo repetas et exspectes, vtque inde fructum percipias spei, laetitiae, tranquillitatis, atque aliquando vitam aeternam ipsam consequaris. Hic igitur disertis verbis declarauit Dominus, quodnam esset consilium mortis suae, quinam essent eius fructus. Iam fructus mortis Christi varii esse poterant, variique commemorantur; erat in ea exemplum patientiae plane eximium, itemque amoris erga homines,

eiusdemque summi, qui etiam cum damno suo aliis inseruire studet, in primis etiam incitamentum sanctitatis grauissimum. Sed ex his fructibus in hoc loco nullus commemoratur; commemoratur autem alius, isque vnus, saltem primarius, scilicet ζωὴ αἰώνιος, quam sua morte hominibus impetrauit. Vnde et illud patet, quaenam sit vera notio fidei salutaris; scilicet ea, cum nobis persuasum est, Iesum sua morte acquisiuisse hominibus vitam aeternam, hancque vitam ab eo tanquam auctore expetimus et exspectamus.

Sed mirum videri potest, Dominum in tradendo hoc capite doctrinae primario de consilio et causa mortis suae, itemque de modo salutis tenendae, vsum fuisse dictione tropica, quae nobis aeque dura et intellectu difficilis videtur esse, ac fuit olim ipsum audientibus. Fecit autem consilio sapientissimo, partim vt excitaret audientium ingenia et ad vlteriorem cognitionem alliceret ac praepararet, partim vt imbecillitati animorum inseruiret, propriorum verborum perspicuitatem tum nec permittenti, nec capienti. Non ignorabat, Iudaeos illo tempore horum sermonum vim non intelligere, nec intelligere posse; neque tamen etiam nesciebat, futurum esse, vt haec semina doctrinae, mysterii aliquid habentis, condita in animis bonis et sinceris, enascantur olim et fructum copiosum proferant. Verbis propriis et perspicuis vti in hac re apud illos homines Dominus nec poterat, quippe qui occupati erant opinionibus praeconceptis, et nihil minus augurabantur, quam hoc, Messiam moriturum esse pro redimenda totius mundi vita, nec debebat, quoniam diuinae sapientiae placuit, vt mors Domini accideret interuentu Iudaeorum. Res ipsa interdum postulat sermonem paulo obscuriorem, si est ita comparata, vt eam silentio praeterire nullo modo possis, neque tamen etiam perspicue explicare. In vniuersum Dominus hic locutus est de rebus futuris, vt vates; in vaticiniis autem non exspe-

ctatur perspicuitas omnimoda, sed tanta, quanta opus est, ad intelligendum eorum sensum, quando euentum habuerint. Atque hinc intelligi potest, quare Dominus in sequentibus mentem suam non explicauerit verbis propriis et perspicuis, nec ad obiectionem Iudaeorum aliquid responsi dederit, immo potius nouo tropo, eoque duriori vsus fuerit.

Scilicet inuitauerat Dominus omnes ad comedendum panem vitae, qui consequi voluerint vitam aeternam; dixerat adeo, carnem suam esse hunc panem. Haec absurda videbantur illis, et, cum non auderent expetere sibi a Domino explicationem, orta est inter ipsos opinionum dissensio, aliis aliter sermonem Domini explicantibus. *Disceptabant inter se*, qui fieri posset, vt homo daret carnem suam aliis edendam, sic, vt ea sufficeret omnibus ad tenendam vitam aeternam. *Quomodo hic*, inquiunt, *potest nobis carnem suam comedendam praebere?* Quomodo vescemur hominis viui carne?

Dominus, non ignarus, de qua re disceptarent, ad hanc eorum vel dubitationem, vel obiectionem, nihil respondit, sed quod illi iudicabant esse absurdum et ἀδύνατον, id nunc docet esse necessarium. *Confirmo vobis sanctissime, nisi edatis carnem filii hominis, eiusque sanguinem bibatis, non habebitis vitam in vobis; nam is* tantum, *qui carnem meam ederit, meumque sanguinem biberit, consequetur vitam aeternam; hunc ego suscitabo die extremo.* Iam hic habemus modum loquendi notabilem: *edere carnem et bibere sanguinem Christi;* qui haud dubie aequipollet ei, quo vsus erat Dominus, *vers.* 51. nempe: *comedere panem,* siue, *Iesum comedere, tanquam panem vitae;* nam vtrique eadem vis tribuitur, scilicet: μὴ ἀποθάνῃ, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα, et: ἔχει ζωὴν αἰώνιον. Sed in explicando illo modo loquendi valde dissentiunt interpretes. Plerique tamen statuunt, Dominum per *carnem et san-*

guinem suum plane, vt per ἄρτον τῆς ζωῆς, intellexisse doctrinam suam, eamque sic appellasse propterea, quoniam morte sua eam confirmauerit, adeoque sensum fomulae: *edere carnem et bibere sanguinem Christi*, esse hunc: suscipere doctrinam Christi, sic, vt eam probes eique morem geras. Prouocant ad vsum loquendi scriptorum profanorum, qui vsi fuerint verbis *edere* et *bibere* de eo, qui imbuitur alicuius doctrina, vt eam suscipiat et probet. Atque id quidem verissimum est, scriptores graecos et latinos vsurpasse verba: *edere* et *bibere*, hoc significatu; eos vero hoc tali modo vsos fuisse formulis: *edere carnem et bibere sanguinem alicuius*, id doceri potest ne vno quidem exemplo. Istae formulae plane inauditae fuerunt scriptoribus omnibus, et tantum vni Domino propriae; quare adeo ad illorum loquendi consuetudinem prouocari nullo modo potest. Neque id recte se habet, quod dicunt interpretes, Christum mortuum esse ad confirmandam doctrinae suae veritatem, ac propterea hanc ipsam doctrinam appellasse carnem suam et sanguinem suum. In Scripturis neque Christus ipse, neque vllus Apostolorum vspiam dixit, Iesum mortuum esse doctrinae suae confirmandae causa, nec dicere potuerunt, quoniam in morte alicuius non est, nec esse potest argumentum pro veritate doctrinae ipsius. Vnde efficitur, Dominum per *carnem suam* et *sanguinem suum* intelligere ne quidem potuisse doctrinam suam. Intellexit autem haud dubie, intelligique voluit mortem suam violentam; et per formulam: *edere carnem* et *bibere sanguinem eius*, significauit nihil aliud, quam hoc: credere in mortem ipsius; neque tamen in vniuersum, sed cum determinatione, quam docet oratio contexta, scilicet credere, *primum*, Iesum corpus suum dedisse et sanguinem profudisse, siue, se ipsum tradidisse morti ad obtinendam humano generi vitam aeternam, *deinde*, quemque, adeoque etiam te, per et propter hanc mor-

tem vitam aeternam consequi posse, *denique* sic, vt in Christo eiusque morte ponas spem vitae aeternae, eamque ab ea repetas et exspectes, sitque adeo haec fides tibi salubris, habeasque ab ea vsum et fructum in omnem aeternitatem. Vsurpandae autem huius formulae ansam Domino praebuit dubitatio Iudaeorum, *vers.* 52., quomodo possit carnem suam comedendam praebere; eaque vsus est sapientissimo consilio, partim vt explicaret, quid sibi voluisset, cum se diceret panem vitae, nempe se esse auctorem salutis humanae, et quomodo futurus esset humanae salutis auctor, nimirum tradendo corpore suo in mortem et profundendo sanguine suo, adeoque, vt euentus docuit, morte violenta in cruce, de qua tum, et ad illos homines, non poterat non loqui subobscurius; partim vt indicaret, quomodo et quatenus mors sua esset et esse posset salutaris, siue cibus vitalis, nutrimentum, vitam dans. Nempe non alio modo, quam vt accipiamus et in vsum fructum conuertamus, hoc est, vt mortem Christi fide amplectamur, vt nobis salutaris fiat, eaque vtamur sic, vt participes reddamur bonorum, illa morte partorum. Vtimur autem morte Christi, si credimus, eam esse caussam vitae et salutis humanae, eam a Patre decretam et a Christo susceptam fuisse ad impetrandam humano generi vitam et salutem, atque ab hac morte salutem humanam pendere, et repetendam esse, vtque adeo et nos ab ista morte salutem nostram repetamus, exspectemus ac tandem accipiamus. Vt cibus et potus tum demum prodest, cum editur, bibitur et concoquitur; ita et corpus et sanguis Christi non potest prodesse, nisi in vsum nostrum conuertamus. Vnde patet, caput de morte Christi meritoria, vt loqui solemus in Dogmaticis, esse doctrinae christianae caput primarium et necessarium, (essentiale dici solet,) ac mortem Christi esse obiectum fidei christianae primarium, omnisque salutis caussam necessariam. De verbis: ἔχει ζωὴν αἰώ-

υἱὸν καὶ ἐγὼ ἀναστήσω αὐτὸν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, diximus ad *vers.* 39. et 40. Docet nempe Dominus, se conferre vitam et beatitatem non modo animarum, sed etiam corporum, adeoque se esse caussam meritoriam vitae alterius, et quoad animam, et quoad corpus.

Caeterum non amplius videtur esse dubitatio apud nostros, nec apud virum doctum esse potest, in hoc loco Dominum nullo modo respexisse ad ritum sacrae coenae, neque adeo locutum esse de manducatione sacramentali, vt solemus loqui in Dogmaticis, sed spirituali. Est enim totus locus allegoricus; quare nec hic accipi aliter potest. Deinde illo tempore sacra coena nondum erat instituta; de qua si locutus fuisset Dominus, dixisse videretur, quod audientes nullo modo intelligere potuissent, ne suspicari quidem. Denique hanc rem dixit esse necessitatis maximae, vt, qui voluerit aeternam vitam consequi, corpus ipsius edat et bibat sanguinem; quod ne fieri tum quidem potuisset, si de vsu sacrae coenae esset intelligendum; neque in vniuersum sacrae coenae vsus, quamuis saluberrimus, est necessitatis eiusmodi, vt vnice et per se spectatus, vitam aeternam conciliet, eiusque priuatio damnet. Atque et illud nunc quidem satis constat, doctores ecclesiae veteris hunc locum de sacra coena proprie non intellexisse, nec explicasse, sed, plerosque saltem, eosque eruditissimos, hoc fecisse tantum per accommodationem, pro ipsorum consuetudine, vnum eundemque locum interpretandi et grammatice et vero etiam simul mystice et allegorice.

Sed Dominus subiecit quoque *vers.* 55. haec: *caro mea verus cibus est, sanguis meus verus potus.* Verum cibum; (*ἀληθῶς βρῶσις* est pro: *ἀληθινή*; *ἄρτον ἀληθινὸν* appellauerat Dominus, *vers.* 32.) dixit in oppositione cibi, quem olim dedit Moses; hic quoniam erat cibus corporeus, vitam aeternam praestare non poterat; nam qui eum comederunt, mortui sunt omnes; ille autem

habet vim coelestem, et vitam confert vescenti, eandemque aeternam, estque propterea verus cibus, quia vere largitur aeternam vitam, ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ.

Quare perrexit Dominus hoc modo: *meam carnem qui ederit, sanguinem meum qui biberit, is mihi erit coniunctissimus, ut ego illi.* Formula: *manet in me et ego in ipso*, frequens fuisse videtur Domino, eamque vsurpauit in primis de discipulis, tanquam futuris ministris euangelii; voluitque per eam exprimere coniunctionem inter se et illos arctissimam et constantissimam. *Cap. XIV*, 20. *XV*, 2. 4. *sqq. XVII*, 21. 23. Hoc loco ea vsus est de disciplinae suae alumnis omnibus. Etenim μένειν ἐν τινὶ in vniuersum denotat: addictum esse alicui deditumque mutuis officiis, et quidem constanter. Igitur Iesus manet in eo, qui carnem eius edit et sanguinem bibit, (vid. *vers.* 53. *sq.*), dum eum amat, iuuat, regit, tuetur, liberat, omni bonorum genere ornat, beat, in hac vita, in altera vita, in aeternitatem omnem; talis vero manet in Iesu, dum suscipit eum tanquam salutis auctorem, doctrinae eius conuenienter credit, sentit, ei viuit, ei moritur, ac per eum beatus est in hac vita et in altera. Tali modo manet in Iesu, et Iesus in eo.

Vt viuit Pater, qui misit me, vtque ego per Patrem viuo; ita viuet per me, me comedens. Pater est ζῶν, hoc est, vt supra *Cap. V*, 26. dixerat: πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, vitam habet et tribuit, est principalis fons omnis vitae; per Patrem vitam habet Filius, siue, vt est loco citato: ἔδωκε τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, Filius accepit vitam a Patre et dare potest vitam aliis, mortuos etiam in vitam reuocare, *vers.* 28. *sq.* Sed quam certo Pater habet vitam et Filio dedit, vt vitam haberet aliisque conferre posset; tam certo quisque, me comedens, vitam habebit, et quidem *per me*; per Christum autem habebit vitam, primum quatenus Christus acquisiuit vitam sua morte, deinde vero etiam quatenus vi-

tam dat, eamque perpetuam; dat autem in morte, in resuscitatione mortuorum, in altero saeculo sine fine; et vitam habebit comedens Christum, quatenus credit, Christum acquisiuisse vitam morte sua et daturum esse, eamque adeo a Christo exspectat. De formula: *Iesum comedere*, ad *vers.* 51. *et* 53. vidimus.

Ad extremum vt intelligeretur tandem, quemnam et qualem cibum indigitaret, subiecit versiculo quinquagesimo octauo haec: *panis igitur, qui e coelo descendit, non est eiusmodi, cuiusmodi fuit manna, quod, quamuis comederunt maiores vestri, tamen mortui sunt*, non est φθαρτὸς, non σαρκικὸς, non βρῶσις ἀπολλυμένη, vt est *vers.* 27., non cibus terrenus et temporarius, sed est eiusmodi, *vt, qui eum comederit, viuat in aeternum*, vitam aeternam habeat; est cibus perpetuus et aeternus, βρῶσις, μένουσα εἰς ζωὴν αἰώνιον, praestans adeo vitam aeternam; nam Iesus ipse est perpetuus et aeternus, in aeternum efficax ad salutem humanam, et praestabit vitam felicitatemque perpetuam et aeternam. De hoc cibo igitur qui comederit, hoc est, qui me tanquam felicitatis omnis auctorem et ducem susceperit et habuerit, consequetur vitam aeternam.

Audito hoc sermone, quem Iesus habuit Capernaumi in synagoga, conuentu sacro, *multi sectatorum dixerunt inter se, durum esse eius sermonem; quis eum audire sustineat!* Etenim μαθηταὶ non sunt discipuli Iesu, qui alias sic dicuntur, nam paulo post ab iis discernuntur, sed comites Iesu, qui eum per varia oppida erant secuti. His sermo Domini, nempe primum, quod dixerat, se de coelo descendisse, deinde, quod se panem vitae appellauerat, itemque quae de comedenda carne sua, suoque sanguine bibendo locutus erat, his igitur hic sermo durus videbatur, hoc est, difficilis, et ad intelligendum, et ad credendum, quo audito animus audientis ita offenditur, vt eum audire vberius nolit,

sermo ingratus, odiosus, inuisus. Dicunt itaque inter sese, ἐγόγγυζον, vt est versu sequente, quis hunc sermonem concoquat, intelligat, credat, siue, quis velit, sustineat (δύναται) eum audire amplius!

Itaque *Iesus, intelligens, quid sectatores murmurent inter se*, mederi conatur eorum offendiculo, atque respondet ad dubitationem vtramque. Primum eos offenderat, quod dixisset, se de coelo venisse. Iam docet, non esse, quod mirentur, eos enim maiora conspecturos esse oculis suis, quam nunc audiuissent ipsum de se praedicare. Dixit enim: *hiccine sermo offendit vos?* me coelitus venisse in terras. *Quid? Si videritis, aliquando filium hominis adscendere eo, vbi prius fuerat?* Offenderat illos, quod dixisset, se venisse de coelo; sed quaerit, quid vobis videbitur, quid dicetis tum, cum conspexeritis me in coelum redeuntem, ἀναβαίνοντα, scilicet εἰς τὸν οὐρανὸν, vbi fueram, antequam in has terras venissem? Num id quoque vobis durum erit et offensioni? Haec, facile quisque intelligit, notatu esse longe dignissima. Docet enim Dominus diserte, se extitisse, antequam venisset in has terras, et quidem in coelo, vti dixerat *Cap. III*, 13., et vt Ioannes interpretatus est *Cap. I*, 1. ipsum fuisse ante mundum conditum et versatum apud Deum, adeoque eum et ipsum Deum esse. Dixit autem, filium hominis fuisse in coelo, propter coniunctionem vtriusque naturae ad vnitatem personae.

Deinde indignati erant, durumque ipsis videbatur, cum diceret Dominus, se esse panem vitae, carnem ipsius comedendam, sanguinem bibendum esse ab eo, qui velit adspirare ad vitam aeternam. Quam dubitationem vt iis eximeret, ostendit, se non intelligere cibum corporalem, sed spiritualem. Respondit enim hoc modo: *Spiritus viuificat, caro nihil prodest; quae ego vobis tradidi, spiritus sunt et vita.* Ita ad verbum haec videntur esse reddenda; facile autem intelligitur,

ea improprie dicta esse. Etenim vocabulum πνεύματος, ad consuetudinem hebraici: רוּחַ, in N. T. denotare constat id, quod diuinum est et excellens, praestans, perfectum, coeleste, efficax; vicissim vocem σαρκὸς ad vsum τοῦ· בָּשָׂר, significare corporeum, vile, imperfectum, imbecille, parum efficax, fragile, caducum, terrenum. Deinde πνεῦμα dictum est pro: πνευματικὸν, et σὰρξ pro: σαρκικὸν, sic, vt illud denotet diuinum, hoc humanum, vel subintellecto in vtroque vocabulo βρῶμα, cibum diuinum, seu, diuinitus datum, et cibum corporeum, adeoque caducum, hoc sensu: ego loquor de cibo coelesti; hic est, qui vitam aeternam confert, terrenus cibus ad vitam aeternam nihil quicquam prodest; haec est βρῶσις ἀπολλυμένη, cibus temporarius, illa βρῶσις μένουσα εἰς ζωὴν αἰώνιον, cibus perpetuus et aeternus; *vers.* 26. 27. hunc desiderabant Iudaei, illum promittebat Dominus; hunc isti intelligebant, de illo Dominus loquebatur; hic nihil quicquam prodest ad vitam aeternam, ille vitam aeternam donat. Iam τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή ἐστιν. Et haec ῥήματα quaenam sunt? Scilicet haud dubie verba ea, quae in hoc ipso sermone ad eos fecerat Dominus, nimirum haec: ego sum panis vitae; ad me qui venerit, non esuriet, in me qui crediderit, non sitiet vnquam; qui comederit hunc panem, viuet in aeternum; panis, quem ego dabo, est caro mea, quam dabo pro vita mundi. Haec profecto sunt τὰ ῥήματα, non vero vniversa doctrina Domini, vt plerique omnes putant; haec enim locutus modo erat, ἃ ἐγὼ λαλῶ, (quod, vt iam BENGELIVS notauit, est pro: λελάληκα,) et quidem ὑμῖν, ergo ea, quae modo ad istos Iudaeos in Synagoga Capernaumitica locutus erat; neque enim totam doctrinam iis tradiderat. *Haec verba mea sunt spiritus*, id est, sunt diuina, voluntati et consiliis Dei conuenientia, *vers.* 38. *sqq.* adeoque verissima et longe praestantissima, non absurda, vt illis videbantur; *sunt* porro

vita, hoc est, sunt efficacissima ad vitam consequendam; quibus effatis quisquis fidem habuerit, meque adeo tanquam ducem et auctorem felicitatis susceperit, in me spem felicitatis suae posuerit, is habebit vitam aeternam, *ἔχει ζωὴν αἰώνιον*, *vers.* 54. *κἀκεῖνος ζήσεται δι' ἐμέ*, *vers.* 57. *et vers.* 44. *καὶ ἐγὼ ἀναστήσω αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.*

Sed non fugiebat Dominum, haec plerisque dici frustra; idque palam significauit, dum adderet: *sunt inter vos nonnulli, qui fidem mihi non habeant; norat enim Iesus statim ab initio*, quo quisque eum sectari coeperat, *quinam non essent credituri, quin adeo, qui ipsum esset traditurus in potestatem hostium. Quare subiecit haec: propterea paulo ante dixi vobis, neminem posse venire ad me, nisi ei datum fuerit a Patre meo.* His verbis vsus erat supra, *vers.* 37. 44. 45. saltem quoad sensum, voluitque significare, ei fidem habere neminem posse, nisi se edoceri allicique sinat a Patre, *ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ἑλκύσῃ αὐτόν*, *ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθών*, et si quis fidem ipsi habeat, id acceptum referendum esse peculiari gratiae Patris.

Ab hoc inde tempore eorum plures, qui Iesum huc vsque sectati fuerant, ab eo discesserunt atque ab eius consuetudine et comitatu se subduxerunt, ipso facto respuentes eius disciplinam. Formulae: *ἀπῆλθεν εἰς τὰ ὀπίσω* et: *οὐκέτι μετ' αὐτοῦ περιεπάτουν*, fere idem declarant, nempe, istos discessisse a comitatu Domini, sic, vt eum non amplius audirent, nedum assensum et fidem ei praeberent. Idem denotat *ὑπάγειν* in versu sequente.

Discedentibus illis, Dominus, conuersus ad discipulos duodecim, eos affatur sic: *num et vos vultis discedere?* Igitur vt nec conuitiatur abeuntibus, ne suam gloriam quaesiuisse videatur magis, quum illorum salutem, nec prorsus tamen alienat a se, qui fortasse post erant sese conuersuri ad meliorem mentem; ita

suorum discipulorum professionem sic *elicuit*, vt eos nec blanditiis retinere, nec minis terrere videretur, ne ipsum sequerentur coacti magis, quam persuasi, vtque tamen etiam ostenderet, eorum fidem ipsi vehementer placere, eosque ad constantiam in hac ipsa fide alliceret. Quaerit igitur: *μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ὑπάγειν;* Hoc *ὑπάγειν* igitur idem est, quod in versu antecedente: *ἀπέρχεσθαι εἰς τὰ ὀπίσω* et: *οὐκέτι μετ' αὐτοῦ περιπατεῖν*, desistere, eum audire, eique assensum praebere et fidem habere. Contrarium est: *μένειν*, *vers.* 56. *μένειν ἐν ἐμοί*, et *Cap. VIII*, 31. *μένειν ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ*, constanter adhaerere disciplinae Christi, perseuerare in audiendo, assentiendo, credendo. Dominus autem cum ita quaereret, non verebatur quidem, ne discipuli ab eo discederent; sciebat enim, vt est *vers.* 64., statim ab initio, quo quisque ipsum sectari coeperat, quinam non constanter essent credituri; igitur non sua causa quaesiuit, sed propter discipulos, vt eos excitaret ad explorandum, quo quisque erga ipsum animo esset, quid de eo statueret, num certo crederet, quae modo dixisset, et in hac fide constanter perseuerare vellet. Est enim hic quoque fides intelligenda non tam in genere de professione nominis et doctrinae Iesu, quam potius in specie, cum suscipimus Iesum talem, qualem ipse se descripsit. Iam in hoc nostro loco, eoque sermone, qui antecedit, descripsit se non tantum tanquam legatum diuinum, quem Pater certis argumentis demonstrauerit, cuique fidem haberi velit, sed etiam atque in primis tanquam auctorem salutis vnicum et perfectissimum, qui hanc salutem acquisiuerit sua morte et credenti cuique daturus sit. Igitur *non discedere a Christo*, *manere apud Christum* est, perseuerare in fide hac, Iesum esse a Patre missum, salutisque auctorem verissimum, in quo omnis omnium hominum salus posita sit. Atque num in hac tali fide perseuerare vellent, quaesiuit Dominus ex discipulis.

Tum Simon Petrus, Domino ardentissima fide deditus, pro feruore, quo solebat alios praeuertere, suo caeterorumque nomine suspicionem inconstantiae et ἀπιστίας, quam quaestio Domini videbatur indigitare, ita a se et sociis suis amolitur, vt illos neque posse, etsi velint, neque velle, etiamsi possint, discedere, declaret. Respondit enim magna alacritate *vers. 68. et 69.* hac ratione: *Domine, ad quemnam quaeso abeamus? Quae tu locutus es, ad vitam aeternam ducunt. Nos credidimus dudum, sumusque persuasi cum maxime, te esse Messiam, Filium verissimi Dei.* Respondit Petrus non diserte, sed tacite; non dicit: a te discedemus nunquam, te relinquere non possumus, apud te manebimus; sed affert *causas*, quare nec possint, nec velint ab eo discedere, sed potius ei constanter adhaerere debeant; vnde intelligi potuit, quonam animo essent in Dominum. Primum non poterant discedere. Nam alium non habebant, ad quem irent, alium et meliorem magistrum et ducem non norant, nec reperiri sapiam statuebant, hunc vnum sequi oportere, eo carere sine detrimento posse neminem. Deinde non volebant discedere; nam ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις. Haec plerique omnes rursus accipiunt de doctrina Christi vniuersa, quatenus est magistra felicitatis aeternae, neque tantum viam docet, eius tenendae, sed etiam animum emendat, fidem excitat, vires ad virtutem suppeditat, animum tranquillat, exhilarat atque ita idoneum reddit ad consequendam vitam aeternam; quae profecto sunt verissima. Verum et hic per τὰ ῥήματα intelligenda est haud dubie non doctrina in genere, sed eius pars ea, quam modo tradiderat Dominus de se, auctore et duce felicitatis humanae; τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, vers. 63. dixerat Dominus; et Petrus affirmare volebat, se credere, quod modo dixisset Dominus, eum verissime habere τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς, et, quae modo docuisset, ita esse comparata, vt, qui fidem iis habuerit, consequa-

tur vitam aeternam, hancque vere esse rationem tenendae vitae aeternae, vt agnoscat quisque Iesum vitae aeternae ducem et auctorem vnicum. Ac propterea ipsum profitetur et Messiam et Filium Dei; et quidem *πεπιστεύκαμεν*, inquit, *καὶ ἐγνώκαμεν*, credidimus iam dudum, et nunc ipsis factis cognitum habemus et compertum. Est tamen in hoc loco quaedam varietas lectionis; nimirum loco verborum: *σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος*, in Codicibus tribus, iisdemque primariis, et Versionibus nonnullis leguntur haec: *σὺ εἶ ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ.* Hanc lectionem in textum recepit GRIESBACHIVS, sed simul declarauit, receptam lectionem non spernendam esse. Ac profecto recepta lectio magnam probabilitatem habet non tantum a testimoniis pluribus Codicum, Versionum et Patrum, verum etiam a re et consuetudine loquendi, quam constat interdum in consilium vocandam esse in iudicandis lectionibus variis. Nam appellatio: *ἅγιος τοῦ Θεοῦ*, de Domino nostro est inusitata; semel tantum occurrit, vsurpata ab homine daemoniaco, *Marc. I*, 24. et *Luc. IV*, 34. Appellatur quidem *Act. IV*, 27. 30. *ἅγιος παῖς*, non autem: *ἅγιος τοῦ Θεοῦ*. Vicissim vero appellatio: *Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, vsitata est in N. T. et in hoc quoque Euangelio, *Cap. I*, 50. *XI*, 27. atque a Petro ipso alias vsurpata. *Matth. XVI*, 16. Iam quando Dominum appellauit *Χριστὸν*, Messiam, non poterat Messiam alio sensu intelligere, quam quo Dominus ipse modo se descripserat, nempe ducem et auctorem felicitatis aeternae, qui vitam traditurus esset ad impetrandam hominibus vitam aeternam et ad hanc vitam aliquando mortuos reuocaturus. Nomine autem: *υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, idem declarare voluisse Petrum, atque adeo haec duo nomina sibi aequipollere in libris sacris N. T., vt plerique statuunt, doceri nullo modo potest. Etenim loca *Io. I*, 50. et *XI*, 27. ad quae prouocari solet, continent, quod est bene tenendum, iudicia singulorum,

nondum satis doctrinae christianae scientia imbutorum, suntque adeo historica, non dogmatica; verum ex locis historicis notiones dogmaticae elici demonstrarique nullo modo possunt. In sermonibus Domini et scriptis Apostolorum extat locus ne vnus quidem, quo demonstrari possit, Iesum et Apostolos nomina: υἱὸς τοῦ Θεοῦ et Χριστὸς ita coniunxisse, vt pro idem significantibus haberi possent. Et Petrus vsus iam erat institutione Domini per biennium et amplius; audiuerat vocem de coelo: *hic est filius meus*, eamque vocem interpretatus est de maiestate Iesu diuina; 2. *Petr. I*, 16. *sqq.* audiuerat sermones Iesu, in quibus se appellauerat Filium, et quidem talem, qui habeat, quae Pater habet, faciat, quae Pater facit, colendus sit pari modo, quo Pater; *Cap. V*, 17. 20. *sqq.* denique alias iam Dominum professus erat Filium Dei, *Matth. XVI*, 16. eamque professionem non modo probauit Dominus, sed etiam diserte declarauit, Petrum haec cognouisse non ope humana, sed diuino afflatu. Igitur dubitari vix potest, Petrum de diuina natura Domini cogitasse, cum eum appellaret υἱὸν τοῦ Θεοῦ. Caeterum de hac appellatione disputauimus ad *Cap. I*, 14.

Hanc tam illustrem praedicationem Petri non quidem admiratus est Dominus, ne laudibus hominum capi videretur; neque tamen respuit, ne, quod verum erat, abnegaret; hortabatur autem suos, vt perseuerarent in professione ea, quam Petrus edidisset nomine omnium. Dixit enim: *vos duodecim selegi mihi discipulos et amicos, et tamen vnus vestrum est mihi inimicus?* Id enim denotat vocabulum: διάβολος cum alias in N. T. tum in Versione Alexandrina, veluti *Esth. VIII*, 1. vbi qui appellatur צֹרֵר הַיְּהוּדִים, hostis Iudaeorum, a septuaginta interpretibus dicitur διάβολος τῶν Ἰουδαίων. *Innuebat autem Iudam, Simonis filium, Iscariotem, qui quamuis in numerum duodecim discipulorum fuerat electus, tamen eum erat proditurus.*

CAPVT VII.

Quae inde ab hoc Capite vsque ad *Cap. X*, 21. tradita reperiuntur a Ioanne, a reliquis Euangelistis praetermissa, acciderunt Hierosolymis sex fere menses ante mortem Domini, suntque consilio Ioannis in scribendo hoc libro accommodatissima; continent enim sermones Iesu nonnullos, modo breuiores, modo longiores, in quibus documenta exhibuit illustrissima, clarissima et euidentissima de personae ipsius maiestate et operis beneficiorumque praestantia.

Scilicet *posthaec*, inde a nuperrima solennitate paschali, per annum dimidium *versabatur Iesus in Galilaea; nolebat enim in Iudaea degere, quoniam eius incolae vitae ipsius insidias erant moliti*, cum nempe diebus illis paschalibus Hierosolymis hominem aegrotum sanasset die aliquo sabbatico, vt est *Cap. V*, 16.

Sed instabant dies, Iudaeis cum primis festi et religiosi, *quam Scenopegiam appellabant*; etenim his diebus memoriam habitationis Israelitarum in deserto sub tentoriis, et maiorum, a Deo per loca deserta feliciter ductorum, recolere solebant maximis laetitiae signis, et structis tabernaculis; vnde Scenopegiam appellabant et festum tabernaculorum, ad quod celebrandam magna multitudo Iudaeorum ex omnibus regionibus confluere solebat Hierosolymam. Vide de hoc festo *Lev. XXIII*, 43. IOSEPHVM *Antiqu. Iud. III*, 10. 4. sq. KREBSIVM in *Obseruatt. Flau.* ad hunc locum et quos ibi laudauit. *Igitur cognati eius*, hi enim haud dubie sunt *ἀδελφοί*, sanguinis necessitudine cum Domino coniuncti, patrueles, matrueles, verbo, cognati, nominatim appellantur *Matth. XIII*, 55. hi igitur cognati eius, rudes adhuc et humanis consiliis ducti, inq-

nebant eum, vt hinc migraret, et relicta Galilaea incelebri, in qua iam nimium diu latitasset, *se conferret in Iudaeam*, florentissimam regni partem, inprimisque in vrbem Hierosolymitanam, *vt, quos ibi haberet, amici et ipsi viderent ipsius opera*, seque ostenderet tanquam Messiam. *Nemo enim*, inquiunt, qui inclarescere cupit, *res magnas facit in loco obscuro*, quaerere solet loca occulta, *sed prodire gestit in conspectum publicum*; ζητεῖ ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, quod idem est, ac: ἐν τῷ φανερῷ εἶναι· age igitur, prodi in lucem adspectumque hominum, *ostende te multitudini, cum patrandi talia potestatem auctoritatemque habeas. Neque enim et ipsi cognati eius fidem satis certam ei praebebant*, magnam fiduciam in eo collocabant, satis honorifice de eo sentiebant. Id enim denotare videtur hoc loco verbum πιστεύειν, vel in vniuersum: fiduciam collocare, vel in specie: pro Messia agnoscere et suscipere.

Ad quae respondit Dominus hoc modo: *mihi tempus opportunum* (καιρὸς) *nondum adest; vobis tempus est semper opportunum*, quaelibet hora itineris commoda. *Vos odio persequi huius saeculi homines nequeunt*, non habent causas, vos odisse, qui eorum ingenium imitamini, *me vero persequuntur, qui coarguo mores eorum prauos. Vos potestis proficisci ad ista solemnia, ego ad ea nondum proficiscar; tempus mihi nunc non est opportunum.* Hic saltem est sensus horum verborum. Nam si in verbis prioribus loco τοῦ οὔπω, legendum est: οὐκ, vt visum est viris eruditis, MILLIO, WETSTENIO, GROTIO, GRIESBACHIO, qui etiam τὸ οὐκ in textum recepit, tum haec particula οὐκ posita est pro: οὔπω, quod saepe fit; vel subintelligendum est νῦν, quod interdum omitti solet, sic: ἐγὼ οὐκ ἀναβαίνω νῦν. Verbum πεπλήρωται autem idem est, quod: πάρεστι, vt etiam habet Codex quidam, haud dubie ex glossemate. Scilicet illo tempore omnes

viae impletae erant Iudaeis, vndiquaque proficiscentibus Hierosolymas. Quodsi comitante multitudine fecisset iter et ingressus esset Hierosolymas, ansam praebere potuisset Iudaeis, eo magis ei insidias struendi. Propterea dixit, hoc tempus sibi non opportunum videri ad instituendum iter; volebat proficisci, cum euacuatae essent vitae iter facientibus. Reliquis autem vnumquodque tempus opportunum videri poterat, quoniam iis mali aliquid non erat metuendum. Nouerat enim Dominus animos Pharisaeorum, qui iam pridem hoc agerent clandestinis consiliis, vt data quauis occasione ei manus iniicerent.

Atque ita, (ταῦτα δὲ εἰπὼν αὐτοῖς, est formula connectendi, Ioanni familiaris, *Cap. XX*, 14. 20. 22.) *remansit in Galilaea* aliquamdiu. *Cognati eius proficiscuntur*, existimantes, Dominum non venturum esse ad dies festos, metu Iudaeorum. Vix autem profecti erant, cum et ipse, vt ostenderet, se non metu Iudaeorum ab iis abstinuisse, *se in viam dedit*, *ad sacra illa obeunda*, *non palam*, comitante multitudine, *sed occulte*, ne prouocaret Iudaeorum inuidiam, vt potius suo tempore maiori cum fructu prodire posset in publicum. *Sed Iudaei* statim *eum desiderabant*, *multumque quaerebant*, *quare non adesset*; fuitque *de eo disputatio multa inter populum*, variique sermones ferebantur, *aliis eum praedicantibus virum probum et integrum*, *aliis contra negantibus et impostorem populi calumniantibus*. *Nemo tamen de eo palam iudicium ferre audebat*, *propter metum Iudaeorum*; palam nec laudare audebant Iesum, nec vituperare et impostorem dicere, metuentes ex vna parte proceres, quibus intelligebant Iesum esse vehementer inuisum, ex altera parte vero odium populi, inter quem erant non pauci, qui de eo bene sentirent.

Sed inter dies festos medios Iesus, *templum ingressus*, *docuit*, *sic*, *vt Iudaei mirabundi dicerent*: *vnde*

huic tanta sacrarum literarum scientia, quas nunquam didicit? Quibus respondit in hunc modum: non mea est mea doctrina, quam eius, qui me misit; cuius voluntati quisquis voluerit satisfacere, intelliget, vtrum profecta sit a Deo, an excogitata a me. Primum vt ostenderet, vnde scientiam tantam haberet, quem rudem literarum et imperitum esse putarent, vsus est verbis his: ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με· in quibus locutus est non absolute, sed comparatiue; habet enim saepissime aduerbium negatiuum vim potestatemque particulae comparatiuae, siue adversatiuae; veluti *Cap. V,* 30. 45. *VI,* 38. *XII,* 44. vt vel ex GLASSIO disci potest *p.* 418. *sqq. edit. Dathii.* Latini simili modo dicere solent: *non mea est, quam Patris,* id est, non tam mea est, quam potius Patris. Dixit autem doctrinam *non suam,* quatenus eam neque ab hominibus didicit, neque suo ingenio excogitauit, neque opiniones humanas et commenta tradidit; *Patris* autem *doctrinam* appellauit, partim quatenus erat a Patre profecta, eiusque voluntati et menti conueniens, partim vero etiam, quatenus manifestat Patrem eiusque consilia de salute hominum per Christum. Haec enim est διδαχὴ, hanc Dominus in his verbis praecipue intellexit, nimirum non doctrinam in genere, sed eius partem praecipuam, quae exponit de Christo et consiliis Patris de salute humani generis reparanda et conferenda per Filium suum. Atque hanc in primis doctrinam, docere voluit Dominus, nullo modo humanam esse, sed penitus diuinam, seque missum esse a Patre, vt eam traderet hominibus, excoecatis opinionum Iudaicarum commentis, vtque eam cognoscerent, cognitam sequerentur et sequendo vitam aeternam assequerentur.

Deinde quoque argumentum suppeditauit, ex quo cognosci posset intelligique, hanc doctrinam plane diuinam esse, ac docuit, quid faciendum esset ei, qui sibi de hac re voluerit persuadere. Scilicet prouocauit ad

hanc doctrinam ipsam eiusque indolem, atque ad vsum et experientiam. Nam τὸ θέλημα αὐτοῦ exprimit vniversum consilium Dei cum hominibus de salute eorum voluntatemque eius de modo, salutis per Christum tenendae, denotatque, non tantum quid facere, sed etiam quid cognoscere et credere eos oporteat, si salutem adipisci voluerint; τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ appellauerat Dominus supra, *Cap. VI*, 29. idque explicauerat his verbis: ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος. Est igitur τὸ θέλημα αὐτοῦ voluntas Dei de modo salutem consequendi per Christum, siue, quod Deus a nobis fieri vult in causa salutis; atque adeo formula: ποιεῖν τὸ θέλημα αὐτοῦ, denotat: voluntati Dei de salute nostra per Christum morem gerere, siue, facere, quod Deus a nobis fieri vult in causa salutis nostrae; vult autem, vt consilium eius de reparanda salute humana per Christum agnoscamus, eique nos accommodemus, vt Iesum tanquam instauratorem salutis humanae, a Patre missum in has terras, admittamus, suscipiamus, colamus, vtque ab eo salutem nostram et quocunque demum opus est ad salutem tenendam, repetamus, exspectemus, accipiamus. Igitur haec formula explicanda est non tantum de praeceptis morum, neque etiam de doctrina Christi in vniuersum, sed in specie de parte ea, quae consilium Dei voluntatemque de modo tenendi per Christum salutem explicat. Atque hanc doctrinam discere, eique conuenienter credere, sentire, agere, id demum est: ποιεῖν τὸ θέλημα αὐτοῦ. Alias quoque vsus est Dominus hac ipsa formula eodem sensu, nimirum *Matth. VII*, 21. vbi eam haud dubie minus recte intelligunt, qui interpretantur de obseruatione praeceptorum diuinorum; denotat enim voluntati Patris omni ex parte satisfacere, vt non modo Iesum profitearis Dominum, λέγειν· κύριε, κύριε, teque iactes eius sectatorem ac discipulum, sed eum suscipias cum effectu, sic, vt ei fidem habeas eiusque effatis omni ex parte morem

geras, credendo, sentiendo, agendo. Commutauit etiam hanc formulam cum aliis, veluti: μένειν ἐν τῷ λόγῳ, *Cap. VIII*, 31. adhaerere doctrinae, perseuerare in assensu, exercitio et vsu doctrinae; itemque *Cap. XIV*, 21. ἔχειν τὰς ἐντολάς μου et τηρεῖν αὐτὰς, doctrinam callere et obseruare; nam etiam αἱ ἐντολαὶ non partem, sed vniuersam doctrinam exprimunt, quatenus et capita fidei et praecepta morum continet. Igitur quod in nostro loco est, τὸ θέλημα et ἡ διδαχὴ, id in his est: λόγος et ἐντολαὶ, et quod est: ποιεῖν τὸ θέλημα, idem est, ac: ποιεῖν λόγον, ἔχειν τὰς ἐντολὰς, τηρεῖν ἐντολάς. Verbum autem θέλειν vel redundat, vt fit saepius, vel studium et voluntatem exprimit, et denotat: libenter et studiose facere, vt habuimus supra. *Cap. V*, 35. *VI*, 21. Iam verba: ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, non possunt habere sensum alium, quam hunc: qui voluntati Patris satisfecerit sic, vt ea, quae nomine eius trado, audiat, discat, iis fidem habeat et morem gerat credendo, sentiendo, agendo, is intelliget vsu et experientia, et persuadebitur in dies magis magisque, ea humana non esse, sed diuina, non hominis commenta, sed Dei effata. Igitur ad vsum et experientiam prouocauit Dominus, quae est optima cuiuis magistra. Vult, vt periculum facias, vt doctrinam discas, nominatimque *doctrinam de Christo*, quae in specie hoc loco intelligitur, vt conuenienter ei cogites, credas, sentias, viuas; atque tua ipsius experientia, tuus ipsius animi sensus te docebit, eam non posse non esse a Deo profectam, adeoque plane diuinam et verissimam. Etenim quid te docebit tua experientia? Scilicet eam esse vtilissimam ac saluberrimam, adeoque praestantissimam; nam praestat profecto, quae pollicetur, suppeditat vere, quibuscunque tandem opus est ad tenendam salutem huius et futurae vitae. Enimuero ad tenendam hanc salutem opus est cognitione Dei et Seruatoris perspicua et euidente; opus est fide certa ad animum confirmandum et

tranquillandum; opus est animi vitaeque emendatione et sanctitate; opus est solatio in rebus aduersis; opus denique est spe et fiducia vitae aeternae. Atqui haec omnia suppeditat doctrina Iesu, et quidem tali modo, vt alia doctrina nulla. Etenim manifestat Deum, amorem eius immensum erga humanum genus, et consilia benignissima, sapientissima, sanctissima de eripiendis hominibus ex deploranda miseria, in quam prolapsi sunt, et ad salutem felicitatemque, ab aeterno iis destinatam, per Filium suum restituendis; manifestat hunc Filium, Iesum Christum, salutis humanae omnis instauratorem, ducem, datorem, et quaecunque fecit olim, nunc quoque facit, facturusque est aliquando in fine rerum humanarum, in aeternitatem omnem ad salutem et comparandam omnibus, et credentibus conferendam; fidem facit certissimam, tutissimam, qua repetere possis et exspectare salutem omnem a gratia Patris et Filii cum summa animi fiducia; vires praestat necessarias et adiumenta efficacissima ad sanctitatem animi et vitae integerrimam et constantissimam, non modo per praecepta, sed in primis per amorem Patris et Filii summum, et exemplum Iesu Christi sanctissimum, et peculiare sancti Spiritus auxilium; solatia praebet in omnibus animi et vitae miseriis, grauissimis quoque, iucundissima et suauissima, desumta in primis ab exemplo Domini; denique spem facit futurae vitae laetissimam, nec vlli dubitationi obnoxiam. Haec omnia suppeditat doctrina Christi de salute obtinenda; atque haec omnia suppeditauit et tibi, si eam didiceris, sincero animo susceperis et constanter exercueris. Adduxit te ad cognitionem Dei et Iesu Christi; nosti amorem Patris, nosti amorem Filii, nosti viam salutis per eum tenendae; excitauit te, vt fidem conciperes in hunc Patrem et Filium amantissimum, benignissimum, sapientissimum; accendit in tuo animo amorem in Deum et Christum et studium sanctitatis integrum; in rebus

aduersis tibi solatium et refugium praebuit; ingenerauit tibi gratiae diuinae et vitae futurae spem certam. Ergo te non decepit; immo vero tibi praestitit, quibuscunque demum opus habes, quaecunque demum optare poteras ad salutem tui animi, multisque modis tibi profuit, beatum te reddidit, hoc est, quietum, tranquillum, hilarem, redditque in dies beatiorem. Vides igitur, hanc doctrinam tibi datam esse ad salutem tuam, et ad salutem ducere, Deum esse *πιστὸν*, vt Paulus loquitur, 2. *Cor. I*, 18. hoc est, fide dignum, tribuit enim, quae promisit, eiusque *λόγον* non esse *ναὶ καὶ οὔ*, in eo non esse contradictionem aliquam, nec fraudem vllam, immo verò Deum profecto praestare et tribuere, quicquid per Iesum offert et promittit, omnes eius promissiones, per Christum datas, esse *ναὶ καὶ ἀμήν*, vsu et euentu comprobari. Atque ita experiundo ducimur ad persuasionem, doctrinam Iesu de salute consequenda per gratiam Patris et Filii non esse inuentionis humanae, sed ad Deum auctorem referendam, adeoque veram et plane diuinam; quippe et superat, quicquid vnquam excogitauit humanum ingenium. Atque hoc est, quod Dominus dixit: *τὴν ἀλήθειαν γινώσκειν*, *Cap. VIII*, 32. nimirum ipso vsu et experientia cognoscere doctrinae christianae, et in specie doctrinae de Christo, et de modo salutis, per eum impetrandae, vim, pretium, salubritatem atque adeo etiam veritatem.

Sed perrexit Dominus versiculo duodeuicesimo hac ratione: *qui loquitur sua sponte*, qui docet suo instinctu, tradit, quae ipse excogitauit, *is quaerit suum honorem*, suas laudes; *sed qui non nisi quaerit gloriam eum mittentis, is est fide dignus et ab omni fraude alienus*, adeoque vera loqui existimatur. In his suppeditauit Dominus criterium nouum, ex quo cognosci posset et iudicari probarique doctrinae eius veritas. Scilicet abunde testatur vniuersa historia euangelica, Iesum, Dominum, non prodiisse famae conquirendae

causa, non quaesiuisse gloriam suam, non dixisse, nec fecisse quicquam eo consilio, vt inclaresceret et fauorem hominum captaret, sed facta sua, consilia, effata omnia retulisse ad illustrandam gloriam Patris salutemque hominum, cui ex voluntate diuina prospicere debebat omni modo, eumque tradidisse non nisi, quae spectarent ad felicitatem hominum et ad consilia Patris de eorum salute aeterna, eiusque doctrinam esse vniverso humano generi saluberrimam. Enimuero vbi videmus, virum aliquem quaerere non nisi gloriam Dei hominumque salutem, non possumus non colligere, Deum adfuisse eiusmodi viro sua vi suoque auxilio peculiari, vsum esse tali viro ad patefacienda et exsequenda sua consilia de salute hominum, doctrinam eius manifestatam et traditam esse tanquam adminiculum, diuinitus paratum, ad salutem consequendam.

Ita Dominus suppeditauerat audientibus argumenta certa et euidentia, quibus facile quisque sibi persuadere poterat, eum diuinitus missum esse eiusque doctrinam Deum auctorem habere. Verum hoc a Iudaeis exspectare Dominus non poterat. Quare, *vos*, inquit, *ne illi quidem doctrinae morem geritis, quam vobis dedit Moses*, quanto minus meae obtemperabitis; alias enim *qui possetis moliri necem mihi*, innocenti? scilicet contra legem et doctrinam Mosis, quae insontem interficere vetat. Siue sic: nonne Moses vobis dedit legem? scilicet de sabbato celebrando. Nemo tamen vestrum hanc legem omni ex parte obseruat. Quid igitur me, qui semel migrasse visus sum illam legem, sanando homine aegrotante die sabbatico, interficere conamini? Vos non obseruatis legem, vobis a Mose datam; et me, quasi eius reum, occidendum censetis?

Tum illi, hac oratione vehementer perturbati, quod, qui videri vellent legis obseruantissimi, legis impie violatae reos ageret, eosque accusaret, tanquam interitum ei machinarentur, ignari consiliorum, quae

agitarent eorum principes, ad conuitia confugiunt, et, *insana loqueris*, inquiunt, *quis tibi necem molitur?* Id enim denotat formula: *δαιμόνιον ἔχειν*, in hoc sermone atque etiam alias, apud ipsum Ioannem, velut *Cap. VIII*, 48, et *X*, 20. nempe: furere, insana loqui, item: nugari; in vltimo loco ei synonymum ponitur: *μαίνεσθαι*. Scriptores bene graeci pari modo locuti sunt, vsurpantes non quidem haec verba, quae propria sunt scriptoribus N. T. sed similia, nempe *δαιμονᾷν* et *κακοδαιμονᾷν*, dicere et agere insana. Vid. LAMB. BOSII *Exercitatt. ad h. l.*

Dominus vt ostenderet, blaspheme locutos esse eos, se autem verum dixisse, in memoriam illis reuocauit, quid fecissent ante annum dimidium, cum aegrotum sanasset die sabbatico, et quam temere calumniati fuissent, tanquam religionem sabbati violasset. *Semel*, inquit, *opus feci quoddam*, nempe die sabbatico in sanando aegroto homine, et *vos mirabamini*, scilicet, me tali die hoc fecisse. *Aqui* (*διὰ τοῦτο*) *) *Moses legem tulit de circumcisione*, octauo quoque die peragenda, *quamuis non a Mose demum instituta sit, sed iam patriarcharum tempore; et vos circumcidere soletis hominem die sabbatico*, ne violetur lex illa de homine circumcidendo octauo quoque die. *Quodsi libet circumcidere die sabbatico, ne violetur praeceptum Mosis* de circumcisione octauo die instituenda, *quare mihi succensebatis, qui integrum hominem sanauerim die sabbatico?* Quod vobis licet, licet mihi. Vos licitum putatis, die sabbatico circumcisionem peragere; nonne et mihi licitum fuerit, hominem, omni ex parte miserandum, sanare sabbatico die? Vos Mosen veneramini,

---

*) *Διὰ τοῦτο* referunt nonnulli cum BEZA ad versiculum antecedentem. Et sane *θαυμάζειν διὰ τοῦτο* dicunt quoque scriptores sacri. *Marc. VI*, 6. *Apoc. XVII*, 7. Posset tamen etiam commode ad *vers.* 22. referri.

eiusmodi quid praecipientem, et me veluti nefarii facinoris reum peragitis? Aut vterque damnandus est, aut absoluendus vterque. *Iudicate non secundum speciem externam, sed secundum rei veritatem*; iudicium ferte non superficiarium et praecipitatum, sed verum et iustum.

Atque hoc argumentum magnam vim videtur habuisse in animis audientium. Non poterant non vera habere, quae Dominus dixerat contra criminationem violati sabbati. Etenim nonnulli ciues Hierosolymitani agnoscunt in Iesu eum, qui ante aliquod tempus die sabbatico hominem aegrotum sanasset; recordantur, principes populi propterea insidias ipsi struxisse; poterant enim propius nosse odium eorum aduersus Iesum, quam Iudaei exteri. Iam intelligunt, quare dixisset paulo ante, sibi necem parari a Iudaeis. Sentire incipiunt melius de Domino, et parum abest, quin partes eius defendendas suscipiant. Etenim *Hierosolymitanorum quidam dicebant inter se: nonne hic est, cui mortem machinati sunt* nostri principes, quique putatur metu eorum latitare, nec prodire ad diem festum? *Et ecce, palam loquitur* in templo in os, *et nihil ei respondent,* non dicunt contra, non impediunt! Quid sibi vult illorum silentium? *Num forte certis indiciis cognouerunt principes*, eum vere esse Messiam? Talem, putabant, tamque liberam docendi facultatem ei non concessuros esse principes, nisi ipsis constaret certis argumentis, eum esse ipsissimum Messiam.

Sed fuerunt alii, qui dubitarent. Etenim didicerant ex disciplina suorum magistrorum, ortum Messiae esse plane ignotum, Messiam esse venturum, vt nemo sciat, vnde venerit, patrem eius matremque plane incognitos fore. Erit Messias ἀπάτωρ et ἀμήτωρ, ita opinabantur. Et mirum videtur, quomodo magistri Iudaici in hanc opinionem incidere potuerint, cum cognita haberent oracula prophetarum satis euidentia, et He-

rodi regi aliquando demonstrarent, Messiam Bethlehemo oriundum fore, atque adeo nonnulli de populo, vt est *vers.* 42. huius Capitis, ad Scripturas sacras prouocarent, quibus edocti scirent, Messiam exoriturum esse ex gente Dauidis, eiusque vico natali, Bethlehemo. Plura de hac re videri possunt apud interpretes, itemque apud OLEARIVM in libro: *Iesus der wahre Messias p.* 211. Videtur tamen dubitatio fuisse non tam de loco natiuitatis Messiae, neque de eius familia et gente, quam potius de eiusdem patre et matre; hos in specie putabant incognitos fore et mansuros esse. *Sed*, inquiunt, *hunc nouimus omnes, a quibus natus sit.* Etenim vox *πόθεν* non tantum de loco natalium, sed etiam de parentibus vsurpata legitur, apud scriptores graecos quoque, quemadmodum vox: *vnde*, apud latinos. Parentes autem Domini opinabantur esse Iosephum et Mariam, vt vel ex *Cap. VI*, 42. constat. Huius igitur parentes, inquiunt, huius fratres reliquique cognati ignoti non sunt, *At vero Messias venturus est ita, vt nemo sciat, vnde prognatus sit* et vnde prodierit. Haec dubitatio non improbabilis videbatur esse, saltem non erat, qui eam eximeret ex animis audientium, aut aliquid dicere posset contra.

Sed Iudaeis ita inter se disceptantibus et ambigentibus, num esset Messias, *Iesus*, quem non latebant eorum cogitata, *dum doceret in templo*, inter docendum, *palam*, in conspectu totius populi, in templo versantis, *proloquebatur haec: vtique me nostis et vnde prognatus sim, non ignoratis; meo instinctu non veni; sed est verus, qui me misit, quem vos non nostis, ego noui eum; nam fui apud eum et ab eo missus sum.* Ita concederet quidem Dominus, Iudaeos nosse eius natales et parentes, sed asseueraret simul, hoc non obstante, se venisse non sua auctoritate, sed ab eo, quem non nossent, missum esse vere, (adiectiuo *ἀληθινὸς* posito pro aduerbio *ἀληθῶς*, vt iam CHRYSOSTOMVS acce-

pit,) eos parentes quidem eius nosse, non vero eum, et consilia eius, a quo missus esset. Posses fortasse verba priora accipere interrogatiue, sic: vos me meosque parentes nosse putatis? Patrem meum verum (ἀληθινὸς, scilicet πατὴρ, existimante GROTIO,) meque ab eo missum esse, non nostis. Obstare tamen videntur verba: *κἀμὲ οἴδατε*, quorum loco deberet esse: *καὶ ὑμεῖς οἴδατέ με*. Vid. ERNESTI *Bibl. Th. Nouiss. Tom. II*, p. 131. Sed quomodocunque acceperis, manifestum tamen est hoc, Dominum diserte professum esse, se venisse coelitus, missum a Deo, seque fuisse olim apud Deum in coelis. Nam εἰμὶ positum est pro ἤμην· ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, ὁ ὢν ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ πατρὸς, vt explicauit Ioannes, *Cap. I*, 1. 18. et Dominus ipse. *Cap. VI*; 46. 62.

Verum dum populus ita disceptat inter se, quid de Iesu sit statuendum, principes Iudaeorum, nam hi intelliguntur haud dubie versiculo tricesimo, iisque opponitur populus versu sequente, flagrantes odio aduersus Dominum, *consilia agitant, eum in vincula coniiciendi; neque tamen quisquam ausus est, manus ei inferre, cum nondum adesset tempus eius*, a Patre huic rei destinatum. Nam vt mortuus est volente et decernente Patre, ita etiam non nisi eodem volente apprehendi potuit.

Sed principibus ita consultantibus et Iesum e medio tollere gestientibus, quos ob legis scientiam in primis oportebat Christum agnoscere, *e populo multi*, plus bonae mentis habentes, quam legis scientiae, *in eum credebant*, et, nisi nondum plane persuasi, Iesum esse Messiam, tamen rerum, ab eo gestarum, magnitudine, sermonumque pondere eo adducti erant, vt ipsum pro vate aliquo, diuinitus misso, amplecterentur. Hanc enim significationem videtur τὸ πιστεύειν habere hoc loco. *Etenim*, inquiunt, *si veniret Messias, facturusne sit maiora, quam quae facit hic?*

Pharisaei vero et sacerdotes, hoc est, principes Iu-

daeorum; *certiores facti de his populi sermocinationibus*, nunc primum vi vti incipiunt aduersus Dominum, et, quae hactenus agitauerant clanculum, palam manifestant; *etenim subornant satellites publicos, qui ei manus iniicerent*, et, veluti nocentem, captum adducerent.

Non ignorabat Dominus, quae isti molirentur; et tamen mansit in templo et docere perrexit. Inde enim occasionem sumsit, significandi audientibus, tempus breui instare, quo, quem praesentem persequerentur, desiderarent absentem, nec tamen inuenire possent, quia hinc sit discessurus. Loquebatur autem *vers.* 33. *et* 34. in hunc modum: *non diu inter vos ero amplius, quam primum reuertar ad eum, qui me ablegauit; tum me quaeretis, neque tamen inuenietis; nam quo ego vadam, eo me insequi non poteritis.* Etenim in promtu est, tempora praesentia habere hoc loco vim futurorum. In vniuersum autem loquebatur Dominus subobscurius et per aenigmata verborum, quemadmodum saepius solebat loqui de rebus futuris, vt non prius intelligerentur, quam essent peractae. Obscuritas autem sermonis, vt egregie ad hunc locum notauit ERASMVS, excitat inquirendi diligentiam, fidemque certiorem invenire solet sermo, rebus exhibitis. Erat autem hic sermo, quo et alias vsus est Dominus, *Cap. VIII*, 21. etsi ad populi multitudinem directus, tamen in primis dictus Iudaeorum principibus. Hi enim insidias struebant Domino, quibus tamen breui eripiebatur. Redibat in coelum, quo persequi eum amplius non possent. Desiderabant Messiam, sed alium non inueniebant. Caeterum duo significauit Dominus hoc aenigmate, primum, se iturum esse ad mortem sponte; deinde post mortem et resurrectionem euehendum esse in coelum, quo nulla potestas humana eum possit insequi.

Quem sermonem Domini cum non intelligerent Iudaei, *disceptabant inter se, quonam abiturus esset, vbi*

ipsum non essent reperturi; num fortasse, inquiunt, *abire cogitat ad populares nostros, inter Gentiles dispersos, atque adeo etiam ipsos Gentiles docere; alioquin quid sibi volunt verba eius: quaeretis me, neque tamen inuenietis; nam quo ego vadam, eo me insequi non poteritis.* Atque per ἕλληνας quosnam intellexerint Iudaei, et quinam ita appellati fuerint, dubitatum esse constat multumque disputatum inter viros doctos. Alii enim, nominatim GROTIVS et HEINSIVS, per ἕλληνας intelligendos putarunt esse Iudaeos, inter Graecos habitantes et graece loquentes, quibus opponebantur Hebraei, qui viuebant in Palaestina; vtque adeo διασπορὰ ἑλλήνων sit pro: διεσπαρμένοι ἕλληνες, Iudaei dispersi inter Graecos. Atque ita Iudaei opinati fuissent, Dominum relinquere velle Iudaeam atque totam Palaestinam, ingratam patriam, et abire in regiones longinquas gentium, atque inter Iudaeos, ibi viuentes, vitam agere. Ac sane vocabulum διασπορᾶς hoc sensu vsurpatum legitur in libris N. T. et apud scriptores Iudaicos, vt denotet Iudaeos, habitantes extra patriam quocunque in loco. Ita appellantur 1. *Petr, I*, 1. Christiani maximam partem e Iudaeis, extra Palaestinam inter Graecos habitantes et veluti exsules ac inquilini, παρεπίδημοι, διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, reliqua, inquilini, Pontum, Gallograeciam, Cappadociam, Asiam et Bithyniam incolentes. *Iac. I*, 1. Viuebant enim Iudaei extra Palaestinam vt coloni, vtebanturque iure ciuitatis in vniuerso imperio Romano, neque aliter considerabantur, quam ciues nati. Sed vix probari potest ex consuetudine loquendi N. T. ne ex loco quidem, *Cap. XII*, 20. Iudaeos, graece loquentes, appellatos fuisse ἕλληνας, immo vero ἕλληνες et Ἰουδαῖοι distinguuntur sibique opponuntur. *Act. XIV*, 1. coll. *vers.* 5. *XVIII*, 4. *XIX*, 10. *XX*, 21. *Rom. I*, 16. *II*, 9. 10. reliqua. Igitur alii, in primisque SALMASIVS, *de lingua Hell. p.* 218. praecipue autem in *Funere linguae hell. p.* 98. *sqq.* existimant, per ἕλλη-

νας intelligendos esse Gentiles, nominatimque eos, qui lingua graeca vtebantur et inter quos habitabant Iudaei, διασπορὰ, siue, quod idem est, διασπαρέντες Ἰουδαῖοι. Atque ita dicere voluissent Iudaei: num ex Palaestina se conferre vult in regiones gentium profanarum, inter quas dispersi sunt populares nostri? num adeo ipsos Gentiles vult docere et proselytos facere? num vagus errabit inter gentes dissitas, vt inueniri a nobis non possit?

Ad haec num responsi aliquid dederit Dominus, nec ne, non placuit Ioanni literis consignare. Narrauit autem sermonem Domini illustrissimum et notatu longe dignissimum, ex quo, si ex vllo alio, euidentissime quisque intelligere posset, quis et quantus esset Iesus. Scilicet aderat iam dies solemnium vltimus, isque prae caeteris insignis, ἡμέρα ἡ μεγάλη appellatur, quod dictum est pro: μεγίστη, qui summa frequentia summaque religione celebrabatur, sic, vt Iudaei dicere solerent, hunc diem qui non vidisset, nihil laetitiae vidisse. Solennis autem erat propter libationem aquae, illo die peragi solitam, quo nempe Iudaei pompa solenni adire solebant fontem Siloam, et aquam haurire ex hoc fonte patenis aureis, eamque inter cantus tubarum et buccinarum in templum importare, vbi sacerdos, celsior stans in ara, hanc aquam cum vino miscuit atque sic arae et victimae impositae infudit. Haec solennitas non diuinitus praecepta, sed a maioribus instituta erat, et quidem in memoriam copiae aquarum, quam Deus singulari beneficio Israelitis propinauit in deserto, atque, saltem ex sententia magistrorum Iudaicorum, minus tamen probabili, tanquam symbolum bonorum, per Spiritum sanctum aliquando effundendorum et conferendorum. Qui plura velit nosse de hac re, adeat interpretes, nominatim LAMPIVM *ad h. l.* et LIGHTFOOTVM in *Horis ad h. l.* itemque DEYLINGIVM. *Obseruat. Part.* 2. *Obs.* 32. Hunc diem eximium in-

signi sermone consecrare voluit Dominus, eiusque habendi occasionem repetiit ab illa ipsa solemnitate. Erat nempe in templo, stabat in loco, vbi conspici ab vnoquoque posset, loquebaturque non tantum aperte, sed clamabat intenta voce, rem declarans, quam magnopere referret audiri ab omnibus. Dicebat autem haec: *quisquis sitit, me adeat, vt bibat; quicunque crediderit in me, vt est in Scripturis, ex eo promanabunt flumina aquae viuae. Quibus verbis significabat dona Spiritus, in posterum distribuenda credentibus, tum nondum exhibita; Iesus enim nondum erat glorificatus.* Etiam hic verborum aenigmatibus significare voluit Dominus bonorum, ab ipso conferendorum et exspectandorum, copiam et excellentiam, fere iisdem, quibus supra, *Cap. IV*, 14. et *VI*, 35. vsus esse legitur. Videamus autem primum de verbis, deinde de re, siue de bonis, quae his verbis Dominus promisit.

Ac verba quidem, quamuis figurata, non possunt habere dubitationem, quippe vsitata scriptoribus quoque latinis et graecis, iisque elegantissimis. Etenim verba *διψᾷν*, itemque *πεινῇν*, *sitire* et *esurire*, vt ad loca commemorata diximus, in omnibus linguis vsurpata leguntur sic, vt denotent, partim: indigere aliqua re, partim vero etiam: magno alicuius rei desiderio teneri, vehementer appetere aliquid; vtque adeo duo exprimant, primum sensum indigentiae et inopiae, deinde vero sensum desiderii, seu, desiderium ipsum. Bene CHRYSOSTOMVS, *Hom. LI. in Io.* verba Domini interpretatus est hoc modo: *εἴ τις ἔχει προθυμίαν πολλὴν, εἴ τις ἐκκαίεται τῷ πόθῳ, τοῦτον ἐγὼ καλῶ.* His opponuntur: *non sitire*, et: *non esurire;* quae denotant partim: nulla re indigere, partim: nullam rem desiderare, dicunturque de iis, quorum sitis est extincta, desiderium expletum, qui non amplius inopia laborant, sed acceperunt, quae desiderauerant et expetierant; atque adeo duo indicant, primum, adesse, quo indigebas,

deinde, adesse, quod desiderabas, et quidem adesse tam copiose, vt non habeas, quod optare possis, vt potius desideriis tuis satisfactum sit omni ex parte. Iam verbum πίνειν, quemadmodum ἐσθίειν, *bibere* et *edere*, denotant: accipere et sumere id, quod possit sitim et famem extinguere, hoc est, inopiam tollere et desiderium explere. Etenim cum τὸ· *sitire* et *esurire* exprimant et inopiam, et vero etiam desiderium; efficitur, vt τὸ· *bibere* et *edere*, denotent: accipere et sumere, quod indigentiam tuam tollere et tuis desideriis satisfacere possit, siue, quo liberari possis a malo, quod sentis, vicissim vero particeps fieri boni, quod desideras. Denique formulam: ἔρχεσθαι πρὸς Ἰησοῦν, supra vidimus ad *Cap. VI*, 35. commutari cum hac: πιστεύειν εἰς Ἰησοῦν, adeoque vtramque idem declarare; hanc autem vsurpari non sensu generaliori, quo denotat: doctrinam religionemque christianam suscipere; sed specialiori sensu, quem docet atque exigit vniuscuiusque loci oratio contexta. Enimuero in hoc loco Dominus descripsit se tanquam eum, qui posset tollere animi humani inopiam eiusque desideria explere, inuitauitque ad se omnes, quicunque animi inopiam sentirent et bona quaecunque desiderarent, ac promittit omnibus, quicunque inuitationi eius morem gerere voluerint, fore, vt ab inopia sua liberentur, et, quicquid desiderauerint, consequantur. Igitur ἔρχεσθαι πρὸς Ἰησοῦν, et πιστεύειν εἰς Ἰησοῦν hoc loco denotant: Iesum suscipere tanquam talem, qui ab animi tui inopia te liberare, vicissim vero tibi praestare possit, quaecunque desideraueris; et quidem suscipere cum effectu, sic, vt quaeras apud eum, ab eo exspectes atque accipias, quae liberare animum tuum, tuisque desideriis satisfacere possint. Quare verba: ἐρχέσθω πρός με, καὶ πινέτω, sibi nullo modo aequipollent, vt videntur nonnullis interpretibus, sed distinguenda sunt hoc modo: veniat ad me, vt bibat; siue: veniat ad me, et bibet. Inde vero

patet euidenter, Dominum in his verbis se descripsisse tanquam eum, qui posset liberare animum humanum ab indigentia sua, eiusque desideria omnis generis explere, sensumque esse hunc: quisquis se inopem sentit et miserum, sed liberari cupit, et, quae desiderat, adipisci, is me adeat, me suscipiat tanquam eum, qui et liberare ab incommodo animi, et, quae desiderat, bona largiri possit, apud me quaerat, a me exspectet, atque accipiet, quae desiderauerit. Sed haec sunt in promtu.

Maiorem difficultatem habere videtur res, quam indigitare his verbis voluit Dominus. Scilicet loquitur de inopia animi humani, et de bonis, quibus indiget animus, quae vero vehementer desiderat; ac docet, se posse ab ista inopia liberare, et bona eiusmodi suppeditare; promittit desiderantibus bona, ad pellendam inopiam, felicitatemque tenendam necessaria. Iam vero varia est inopia animi humani, varia sunt bona et esse possunt, quibus indiget, et quae confert Dominus ad salutem; immensa sunt humani animi desideria. Laborat inscitia veritatis, *ἀπιστίᾳ*, erroribus, vitiis; eget cognitione rerum diuinarum, fide, sanctitate. Atqui Iesus ab illis malis liberauit et liberare potest, haec bona largitur per doctrinam suam. Ac talem inopiam et bona talia intelligunt hoc loco, atque intelligenda esse praecipiunt interpretes nostrorum temporum plerique fere omnes, scilicet bona doctrinae; sensumque putant esse hunc: quicunque appetit verum, siue, vt loqui solent, veritatem, eiusque cognoscendae desiderio tenetur, eam discere vult, non est, quod petat a Mose, aut a Pharisaeis, magistris vestris, adeat me, bibat ex fonte, quem ego aperio; bibit autem, qui credit meis sermonibus; me igitur tanquam doctorem veri, meamque doctrinam suscipiat, discat, probet; atque ita satisfiet eius desideriis.

Ac profecto vsus loquendi fauere videtur huic in-

terpretationi. Etenim scriptores profanos quoque constat *sitim* dixisse de desiderio veri et verae cognitionis, verbum *sitire* autem de iis, qui tenentur desiderio veri ac doctrinae alicuius studiosi sunt, habentque *aures sitientes*, vt CICERO locutus est aliquo loco; porro vocabulum *bibere* quoque de eo vsurpare, qui imbuitur alicuius doctrina, sic, vt eam percipiat ac probet; vnde formula: *imbibere doctrinam.* Atque ita hoc loco *sitire* esset: appetere verum, appetere doctrinam; et *bibere:* eam imbibere, percipere, probare; *bibere Christum*: imbibere doctrinam Christi. Igitur vsus loquendi quidem permitteret illam interpretationem. Verum idem vsus loquendi admittit etiam aliam. Neque enim hic est vnus significatus verborum: *sitire* et *bibere*; ea potius vsurpata esse constat de desiderio bonorum quorumuis, non tantum doctrinae et cognitionis, vt vidimus ad *Cap. IV*, 13. 14. et *VI*, 53. in quo vltimo loco *edere corpus* et *bibere sanguinem Christi* est: credere, mortem Christi esse causam vitae et salutis tuae, sic, vt eam transferas ad te. Igitur necesse non est, vt intelligamus hoc loco bona doctrinae et cognitionis in specie; vsus enim loquendi permittit, intelligere bona alia, siue potius bona in vniuersum.

Atque eiusmodi bona intelligenda esse hoc loco, postulat atque adeo exigit res ipsa et contexta oratio. Constat enim, ad reperiendum sensum alicuius loci, in primis tropici, vsum loquendi non semper sufficere, quoniam figurata verba plures significatus admittunt; oportere potius, in vnoquoque loco in consilium vocare rem ipsam et orationis seriem. Quam si consulimus, patet euidenter, non tantum bona doctrinae intelligenda esse, sed bona in genere. Etenim primum quod ad locum ipsum attinet, Dominus loquitur in vniuersum; non nominauit certum aliquod donum; non dixit: *ἐάν τις διψᾷ τὴν ἀλήθειαν*, siue: *τὴν δικαιοσύνην*, vt est *Matth. V*, 6. aut id genus aliud, sed in genere: *ἐάν τις διψᾷ.*

Ergo intellexit non bonum aliquod in specie, sed bona in vniuersum; atque adeo haec oportet intelligere. Neque etiam Iesus habet et confert bona doctrinae tantum, sed innumerabilia alia; non tantum est Seruator per doctrinam suam, sed aliis modis. Quodsi praedicasset se tanquam Seruatorem per doctrinam, multo minus ipsum admisissent Iudaei, ne intellexissent quidem, nec intelligere potuissent; exspectabant enim in Messia non doctorem, quam potius liberatorem et felicitatis vindicem. Quare Dominus ne potuisset quidem his verbis doctrinam tantum innuere et bona doctrinae.

Idque euidenter confirmant, quae antecedunt. In iis enim mentio fit solennitatis, quae celebrari solebat a Iudaeis die festo tabernaculorum vltimo, quaeque ansam praebuit Domino, vsurpandi verba: *ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με, καὶ πινέτω.* Ea vero solennitas instituta erat peragebaturque in memoriam non doctrinae traditae, aut legis latae per Mosen, sed boni alicuius et beneficii, maioribus exhibiti a Deo, cum nempe singulari gratia Israelitis in deserto propinaret in eorum salutem aquarum copiam. Igitur in verbis Domini quoque sermo non est, nec esse potest de bono et beneficio doctrinae, sed de bono et beneficio in vniuersum, pertinente ad salutem animorum, quemadmodum illud pertinebat ad salutem corporalem et terrenam.

Sed rem extra omnem dubitationem ponunt, quae sequuntur; ea enim continent horum verborum partim vberiorem explicationem Domini ipsius, partim vero etiam authenticam interpretationem Ioannis. Ac Dominus quidem subiecit haec: *ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος.* Haec vero, in promtu est, intelligenda esse non de bono aliquo in specie, sed de bonis in vniuersum, salutem conferentibus. Etenim nominatiuus: *ὁ πιστεύων*, vsurpatus esse videtur paulo insolentius, quod tamen neminem facile offendet, linguae graecae peritum; est

enim nominatiuus absolutus. vt loqui solent Grammatici, et reddi debet: *quod attinet ad credentem*; cuius idiotismi exempla praeter alios congessit HOOGEVENIVS *ad Viger. de idiotismis graecae dictionis p. 54. sq. edit. nuperrimae Hermanni.* Proprie dicendum fuisset hoc modo: *ἐκ τῆς κοιλίας τοῦ πιστεύοντος εἰς ἐμὲ*, siue: *ἐκ τοῦ πιστεύοντος εἰς ἐμὲ ῥεύσουσι ποταμοὶ ὕδατος ζῶντος*. Verbum autem *πιστεύειν* in hac serie orationis denotare nullo modo potest: doctrinam Christi suscipere; nam de doctrina in toto hoc loco sermo non est; significat potius: Iesum suscipere tanquam eum, qui possit explere desideria animi humani, adeoque beatum reddere; et suscipere quidem sic, vt ab eo beatitatem tuam repetas. Deinde vox *κοιλίας* explicanda est ex loquendi consuetudine Hebraeorum in verbis: בֶּטֶן, קֶרֶב et מֵעִים, sic, vt vel de animo hominis dicatur, vel vt pars posita sit pro toto, hoc est, pro homine ipso. Igitur verba: *ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ*, denotant: ex animo eius, siue: ex eo. Graece dicendum fuisset: *ἐξ αὐτοῦ*, seu: *ἐκ τοῦ πιστεύοντος*. Porro *ὕδωρ ζῶν* idem est, ac: *ζωοποιοῦν*, aqua viua, vitalis, vitam dans, saluifica; vsurpaturque in libris sacris tanquam symbolum partim felicitatis, partim bonorum, quae animum recreant ac reficiunt, beatumque reddunt, ei vitam et salutem dant; vt vidimus ad *Cap. IV*, 10. *Ποταμοὶ ὕδατος* autem sunt symbolum copiae, seu rei, quae copiose datur, adeoque significant bona longe copiosissima, bonorum copiam abundantissimam. Eiusmodi bona *ῥεύσουσι*, profluent, nimirum in alios. Plane vt in loco *Zach. XIV*, 8. vbi leguntur verba haec: *illo tempore promanabunt aquae viuae ex Hierosolymis*, id est, ex vrbe Hierosolymitana manabunt illo tempore bona et beneficia omnis generis in totam terram. Igitur sensus nostri loci est hic: ex eo, qui crediderit, promanabunt in alios copiosissima bona, is erit instar fontis, sine intermissione aquam effundentis copiosissime. Iam ex

hominem eiusmodi si promanant bona copiosissima, efficitur, eum et ipsum bonis abundare. Nam ex quo fonte profluunt aquarum flumina, eum oportet esse aquarum plenissimum. Igitur verbis: *ex eo profluent flumina aquae*, duo significauit Dominus; primum, hominem credentem et ipsum esse bonorum abundantissimum, bonis omnis generis ornatissimum; deinde, per eum eiusmodi bona conferri etiam aliis, alios quoque per eum ornatum iri bonorum omni genere. Praeterea significauit, haec bona esse primum *copiosa*, vt fons est copiosissimus; deinde *communia* omnibus hominibus, quicunque crediderint; denique *perpetua*, in hoc et futuro saeculo; vt est *Cap. VI*, 35. *οὐ μὴ πεινάσῃ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε*; et *Cap. IV*, 14. *οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα*, nullo vnquam tempore indigebit aliqua re, ad vitam beatam necessaria, habebit potius semper, quibuscunque demum ad eam opus erit, fruetur in omnem aeternitatem felicitate, omnibus numeris absoluta. Caeterum verba: *καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ*, indicare videntur, Dominum respexisse ad locum aliquem V. T. Neque tamen in toto Codice sacro V. T. reperiri potest locus, huic nostro quoad verba plane similis. Quam difficultatem variis modis tollere tentarunt interpretes. Etenim alii putarunt, hunc locum, a Domino commemoratum, excidisse ex archetypo; quemadmodum factum esse constat in quibusdam aliis. Nonnulli vero, veluti CHRYSOSTOMVS, haec verba referenda esse statuerunt ad antecedentia, hoc modo: *καὶ πινέτω ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ*, bibet credens in me, vt est in Scripturis, siue: credens secundum Scripturas, *κατὰ τὰς γραφάς*: atque ita indicaretur, qualisne deberet esse fides in Christum, nempe Scripturis accommodata. In quam interpretationem non incidissent, nisi forte eos offendisset nominatiuus: *ὁ πιστεύων*, absolute positus. Fuerunt tamen, qui locum aliquem, saltem similem, in libris sacris V. T. sibi reperisse viderentur;

nimirum vel *Zach.* *XIV*, 8. de quo modo vidimus, vel *Ies.* *LVIII*, 11. 12. vbi sunt haec: *eris vt hortus irriguus et vt fons aquarum, cuius aquae non mentiuntur*, hoc est, cui aqua nunquam deest, qui nunquam desinit, aquam emittere, quique adeo est et copiosus et perennis; quibus verbis promittitur felicitas summa et perpetua; vel denique apud eundem Iesaiam, *Cap.* *LV*, 1. qui locus continet promissionem in genere de bonis tribuendis hominibus, Deum colentibus. Ex his locis saltem patet hoc, Dominum vsum fuisse allegoria eadem, quae extat apud Prophetas. Alii denique existimarunt, Dominum in animo habuisse non locum aliquem V. T. peculiarem, sed respexisse ad vaticinia, in quibus promittitur maior copia bonorum, tempore N. T. conferendorum credentibus, sensumque verborum eius esse hunc: vti promissum extat in Scripturis. Sed quicquid sit, illud certe ex his omnibus patet euidenter, quod ostendere volebamus, scilicet Dominum in hoc nostro loco promisisse bona largissima iis, qui ipsum essent suscepturi tanquam salutis fontem et auctorem, atque adeo intellexisse, intelligique voluisse non vnius tantum generis bona, nimirum doctrinae, sed generis omnis.

Verum habemus quoque interpretationem authenticam D. Ioannis in verbis versiculi noni et tricesimi: *τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν· οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη.* Hic parum quidem refert, siue legamus: *πνεῦμα ἅγιον*, siue: *πνεῦμα* simpliciter, sine hoc additamento; itemque num τὸ: *δεδόμενον* genuinum sit, nec ne; videtur enim omnino glossatorem redolere, et additum fuisse in controuersiis Macedonianis; illud tamen est in promtu, per τὸ *πνεῦμα* intelligi dona sancti Spiritus, et quidem ea, quae accepturi erant et vere accipiebant credentes, postquam Iesus erat glorificatus, hoc est, postquam maiestas eius conspicua facta erat;

quod quidem accidisse constat tum, cum e morte in vitam reuersus, coelum adscendisset, assidens ad dextram Patris et regnans, tanquam dominus humani generis, cum Patre pari et aequali maiestate. Conf. *Cap. XII*, 16. *XVII*, 1. *Luc. XXIV*, 26. Sed haec dona sancti Spiritus non vnius generis fuerunt, immo vero multiplicis, ordinaria et extraordinaria. Ac quaeritur, quodnam genus donorum sit intelligendum hoc loco, num extraordinaria, an ordinaria, an vtriusque generis; numque haec promissio Domini de larga collatione donorum in credentes pertineat tantum ad certos quosdam credentes, an ad credentes in vniuersum omnes. In quo dissentire constat interpretes. Ac sunt profecto, quae vtramque sententiam probabilem reddere videantur.

Qui extraordinaria dona sancti Spiritus intelligenda esse censent, prouocant primum ad occasionem, habendi hunc sermonem et vsurpandi haec verborum aenigmata. Etenim non sine causa, aiunt, praemissa esse *vers.* 37. verba: *ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ κ. τ. λ.* sed vt indicaretur, Dominum fecisse haec verba eo die eodemque tempore, quo peragebatur in templo ritus libationis, quem dicunt institutum fuisse a Iudaeis eo consilio, vt esset symbolum donorum diuinorum, per Spiritum sanctum tribuendorum. Hic ritus ansam praebuit Domino, promittendi bona ea, quae ista solennitate significabantur, et verbis quidem, ab eius solennitatis ratione repetitis. Vt aqua illa effunditur; sic effundetur Spiritus Dei; sic dona largiter tribuentur in me credentibus. Vrgent deinde interpretationem Ioannis, *vers.* 39. vbi negari non potest, per *τὸ πνεῦμα* intelligi dona Spiritus sancti, post Domini glorificationem tributa Apostolis et primis Christianis, ideoque extraordinaria; nam dicuntur diserte tum nondum data fuisse, neque adeo adfuisse, et quidem propterea, quoniam Iesus nondum fuerit glorificatus, hoc est, nondum receperit

plenum vsum maiestatis diuinae, reuersus in coelum, vnde missurus erat sanctum Spiritum, per quem demum dona illa extraordinaria conferebantur primum Apostolis die pentecostali, deinde per hos etiam aliis; *Act. XIX*, 2, *sqq. Eph. VI*, 7. *sqq. Rom. XII*, 6. *sqq*. 1. *Cor. XII. et XIII*, dona ordinaria autem locum habuerunt iam dudum. Ad extremum commemorant locum parallelum, *Cap. XIV*, 12. vbi Dominus idem verbum πιστεύειν vsurpauit, eidemque πιστεύοντι promisit vim potestatemque, gerendi magnas res, atque adeo maiores, quam ipse gessisset; quae nemo non de donis inusitatis intellexerit. Ex quibus omnibus manifestum videtur esse, indicari in hoc nostro loco per τὸ πνεῦμα dona extraordinaria, quae contigerunt magna copia Apostolis, ac deinde per eorum ministerium etiam aliis, sensumque verborum Domini *vers*. 38. esse hunc: copiosissima bona contingent in me credentibus, meis discipulis, et per hos etiam aliis. Id quod res et euentus docuit. Vix enim coelum adscenderat Dominus, consessurus ad dextram Patris, cum immitteret Spiritum suum Apostolis, cumque hi, diuino numine pleni, magna fiducia inciperent, euangelicam doctrinam praedicare orbi terrarum, Spiritumque, coelitus haustum, diffundere omnium credentium animis.

Neque tamen improbabile est, intelligi dona et bona ordinaria, omnibus credentibus communia, saltem haec non esse excludenda. Etenim primum quod attinet ad ritum, diebus festis tabernaculorum vsitatum, ex eo colligi certo non potest, quod volunt interpretes, quoniam sine causa probabili statuunt, institutum eum fuisse ad significanda bona, per sanctum Spiritum aliquando tribuenda, cum potius institutus videatur esse a maioribus eo consilio, vt in memoriam reuocarent sibi et posteris beneficium diuinum, quo suppeditaret Deus Israelitis in longo per desertum itinere aquarum magnam copiam. Idque in animo videtur habuisse Do-

minus, ac propterea vsus esse sermone allegorico et verbis: *sitire*, *bibere*, *aqua viua*, *effundere*, atque voluisse auocare audientium animos ab illius ceremoniae vanitate, vicissim vero aduocare ad se, verae felicitatis fontem ac statorem. Deinde id requirere videtur orationis series. Etenim verba versiculi tricesimi septimi continent inuitationem, directam ad omnes, et promissionem, communem omnibus: quicunque miserum se sentit, et saluus esse vult, me adeat, atque liberabitur a miseria, salutemque adipiscetur. Vt vero haec referenda sunt ad omnes; ita etiam quae sequuntur. Denique vsus loquendi Scripturarum permittit, vt per τὸ πνεῦμα intelligantur dona sancti Spiritus omnis generis, non extraordinaria tantum, sed etiam ordinaria. Igitur promisit Dominus hoc loco bonorum copiam non tantum Apostolis et discipulis, sed credentibus omnino omnibus, non illorum tantum, sed omnium temporum.

Atque ex his patet luculenter, Dominum in verbis *vers.* 37. intellexisse non bonum aliquod in specie, velvti bonum doctrinae et cognitionis, sed bona omnis generis, necessaria ad salutem tenendam in hac vita atque in altera, seque professum esse horum bonorum salutisque omnis fontem auctoremque vnicum, et inuitasse omnes omnino, vt ipsum tanquam talem fide susciperent, hisque promisisse et bona salutifera, et felicitatem ipsam, eamque verissimam et copiosissimam. Similia effata Domini extant *Cap. IV*, 14. *VI*, 35. *Matth. XI*, 28. Atque in loco quidem vltimo, qui hic dicuntur sitire, appellantur οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, id est, qui habent animum deiectum miseria et tristitia, qui defatigati sunt onere, et sub eo ingemiscunt, adeoque liberari ab eo cupiunt; per onus autem intelligitur non quidem iugum legis ceremonialis, quam potius onus miseriarum spiritualium; et sub hoc onere ingemiscere, est: sentire, se esse miserum et deside-

rare, vt libereris a miseria et beatus fias. Miseria autem animi nascitur non tantum ex inscitia, sed etiam ex malis aliis; quemadmodum animi felicitas non tantum ex scientia et cognitione existit, sed ex aliis quoque bonis. A miseria illa qui liberari, his bonis qui beari cupiunt, ii sunt *οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι*, siue, *οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες.*

Iam si summam inire volueris huius loci, in primis versiculi tricesimi septimi, eam, facile intelliges, esse hanc: Iesus est is, qui beatos reddere possit vnice atque omni ex parte quoscunque; siue; Iesus est Seruator hominum optimus maximus. Etenim potest sitim humani animi extinguere, hoc est, largiri, quae animus humanus appetit atque desiderat. Appetit autem atque desiderat felicitatem et bona, quae felicitatem afferre possunt, et, si miserum se sentit, liberationem a miseria et a malis, quae miseriam efficiunt. Est enim diuinitus insitum animo humano hoc, vt trahatur incredibili cupiditate felicitatis, et quidem felicitatis eiusmodi, quae nihil mali admixtum habeat. Ac miseria quidem est in aegritudine, dolore ac tristitia, qua excruciatur et angitur animus; atque enascitur ex male factorum conscientia, metu Dei et poenarum diuinarum, carentia fidei, sanctitatis, solatii, spei, reliqua. Vicissim felicitas, quam etiam beatitatem vocant, est in tribus rebus, nempe in animi quiete, tranquillitate et voluptate. Etenim beatus est haud dubie is, primo qui habet *animum placatum;* talem autem habet, qui nullius culpae sibi conscius est, neque adeo metuit quicquam, quod saluti ipsius vere noxium esse possit, immo vero exspectat semper optima quaeque, et certo exspectare potest; deinde qui habet *animum tranquillum et sua sorte contentum;* eum vero habet, qui est talis, qualis esse potest ac debet per gratiam diuinam; denique qui habet *animum hilarem ac laetum;* et talem habet, qui laetari potest de Deo. Haec beatitas oritur

ex bonis animi. Ea vero bona profecto sunt ante omnia cognitio Dei et Christi, in primis autem cognitio consiliorum diuinorum de salute hominum per Christum, deinde vero etiam gratia apud Deum et remissio peccatorum, et sensus gratiae diuinae et remissionis peccatorum, fides, animi vitaeque sanctitas, spes futurae vitae, et quae sunt eius generis alia. Hoc appetit, desiderat, anhelat animus humanus, nimirum felicitatem et bona, felicitatem largientia. Haec est *sitis* eius.

Hanc sitim extinguere potest Iesus et vere extinguit, hoc est, largitur, quae animus tuus desiderat et quibus indiget ad consequendam felicitatem; nam *fecit omnia* ad impetrandam tibi felicitatem, venit, vt beatos redderet miseros, vixit et docuit, vt monstraret viam felicitatis tenendae, vitam posuit, vt vitam acquireret; deinde *habet omnia*, quae beatos reddere possunt; habet vitam in se, atque adeo dare potest vitam; *Cap. V*, 26. habet potestatem in homines, vt det vitam omnibus cupientibus; *Cap. XVII*, 2. habet potestatem in coelo atque in terra, vt dare possit felicitatem non tantum in terra, sed etiam in coelo; *Matth. XXVIII*, 18. habitat in eo tota summa diuinitatis, vniuersa copia bonorum, necessariorum ad beatitatem hominum omnium; *Coloss. II*, 9. denique *dat omnia*, omnibus hominibus, omni tempore, omni ex parte, quibus ad tenendam felicitatem opus est omnibus, omni tempore, omni ex parte, vt habeant non tantum ad necessitatem, verum etiam ad abundantiam, *ἵνα ζωὴν ἔχωσι καὶ περισσὸν ἔχωσιν*. *Cap. X*, 10.

Iam igitur quid tibi faciendum est, *si sitis*, si miserum te sentis et beatus fieri cupis? Scilicet *ἐρχέσθω πρός με*, veni ad Iesum, suscipe eum tanquam salutis omnis auctorem, sic, vt tuam salutem ab eo repetas, quaeras, exspectes, teque ita geras, vt certo exspectare et accipere possis; *καὶ πινέτω*, et accipies, quicquid desideraueris, tempore quocunque, modo quocunque, in

hoc saeculo, in futuro, in aeternitatem omnem. Caeterum scripsit super hoc loco NOESSELTVS *Commentat.* quae reperitur *Opp. Fasc. I. p.* 41. *sqq.*

Haec atque, vt videtur, alia eiusmodi, quae loquebatur Dominus, quanquam non satis intelligebantur, varie tamen afficiebant audientium animos. Etenim *e populo multi, qui haec audiuissent, dicebant inter se, hunc vero esse prophetam; alii vero,* magnificentius etiam de eo sentientes, *ipsum Messiam esse contendebant,* quem prophetae promisissent suis vaticiniis. De quo tamen dubitabant alii, propterea, quoniam constaret, ex Galilaea Messiam oriturum non esse; Iesum autem natum esse putabant Nazarethi, quoniam ibi educatus erat, ibidem parentes habebat, maximamque vitae, atque etiam muneris partem transegerat. Galilaeos autem vehementer despiciebant Iudaei reliqui, quod nec legis peritia praecellerent, nec vllum vnquam vatem habuissent, de quo gloriari merito possent, atque adeo eos, vt Gentilibus admixtos et vicinos, pro semigentilibus habebant. Igitur *Messias,* inquiunt, *num e Galilaea oriturus est?* conanturque refutare illorum sententiam ipsis prophetarum verbis. *Nonne,* aiunt, *Scripturae docent, Messiam nasciturum esse e gente Dauidis, eiusque vico natali, Bethlehemo?* Ignorabant igitur veros Domini natales. *Ita in populo contentio extitit de eo,* quisnam esset. *Fuerunt quidem nonnulli, qui eum comprehendi cuperent; neque tamen quisquam ausus est, manus ei iniicere. Atque etiam ministri sacerdotum et Pharisaeorum,* emissi ad Iesum capiendum, *vers.* 32. *redeunt ad eos,* re infecta, mutatisque animis; *nam interrogati ab illis, quare eum non adduxissent, respondent: hominem ita docentem, vt docet ille, audiuimus nunquam,* talem tamque illustrem doctorem, quem vt in vincula abduceremus, impetrare a nobis non potuimus. Ita hoc genus hominum, immite alias, atque ad omne facinus mer-

centurium, et Domino honestum testimonium tulit, et principum suorum vesaniam ac coecitatem immedicabilem coarguit! Quos vero principes increpant his verbis: *ergo et vos abrepti estis in errorem?* An non impostorem esse sentitis? Nonne existimatis, si verax esset, istius sermones approbaturos fuisse viros, doctrina eximios et auctoritate praestantes? *Nunc vero videtisne, fidem ei praebere ex optimatum numero quenquam, aut ex Pharisaeis*, penes quos est legis scientia exacta? *Plebs illa rudis, ignara legis, quae adhaeret ei, exsecrabilis est apud Deum* et exitio digna, siue: *decipi facile potest.* Est enim alia quoque lectio in hoc loco, quae, quamuis reperiatur non nisi in Codice vno, et e doctoribus ecclesiae tantum apud ORIGENEM, CYRILLVM et CHRYSOSTOMVM, notante GRIESBACHIO, admodum tamen probabilis visa est viris doctis; isti nempe loco: ἐπικατάρατοι, habent: ἐπάρατοι. Vid. MICHAELIS *Einleit. ins N. T. p.* 511. eiusque *exeget. Bibliothek Tom. XVII. Part.* 3. Ac vocabulum: ἐπάρατος, est quidem non admodum frequens, idemque denotat, quod: ἐπικατάρατος, exsecrabilis; sed praeterea, vt notauit SVIDAS *Tom. I. p.* 788, habet quoque significatum hunc, vt sit idem, quod: ἐπαγωγὸς, dicaturque vel actiue: inducens in errorem, vel passiue: in errorem inductus; quare sensus esse potest, vel: imperita plebs induxit vos in errorem, vel: plebs imperita facile se induci in errorem patitur.

Vere notauit ad hunc locum ERASMVS, nusquam fuisse maiorem penuriam eorum, qui christianae veritati ex animo fauerent, quam inter religionis ac doctrinae proceres. In tam frequenti consessu sacerdotum, seniorum, legis peritorum et doctorum non erat quisquam, praeter vnum Nicodemum, qui in tam sceleratis consiliis iustae causae patrocinaretur. *Etenim Nicodemus, is, qui noctu olim Iesum conuenerat, ipse collegii eorum assessor, fatus est ad reliquos hoc*

modo: num nostra lex condemnari patitur quenquam inauditum, neque eius causa cognita? Quae quidem dixisse videtur, vel ad defendendam causam Domini, vel ad excusandos eos, qui Domino fauerent, quosque illi ad stultam et indoctam plebis faecem referre non dubitassent et supplicio dignos pronunciassent, abiectissimos inter homines et Deo exsecrabiles. Moderabatur tamen sermonem sic, vt proferret non nisi ea, quae dici poterant pro accusato quoque, sed nondum conuicto. Prouocat ad legem. Lex, inquit, damnari patitur neminem, (*κρίνει τὸν ἄνθρωπον,*) nisi iudex eum ante omnia audiuerit ac de delicto eius cognouerit.

Contra hanc tam iustam et aequam, tamque humanam Nicodemi sententiam cum non haberent assessores Senatus reliqui, quod possent dicere, conuitiis petunt collegam, contemta eius auctoritate. *Etiamne tu Galilaeus es*, inquiunt, atque illius Galilaei fautor, Galilaeorumque socius? *Scrutare* temporum praeteritorum historiam, *atque comperies, nullum vnquam vatem prodiisse e Galilaea.* Quae responsio non modo impia erat, sed etiam falsa. Neque enim affirmauerat Nicodemus, Iesum esse prophetam, ne nominauerat quidem Iesum, sed statuerat tantum, quisquis esset, eum non licere condemnare, nisi causa cognita. Deinde quod contendunt, ex Galilaea vatem ortum esse nullum vnquam, in eo vehementer errabant. Nam habebant profecto prophetas, in Galilaea natos, veluti Ionam, Nahumum, itemque Eliam, Elisam, Amosum et Hoseam; de quo videri potest WITSIVS *in Miscell. Tom. I. Libr. I. Cap.* 20. §. 38. et DEYLINGIVS *in Obseruat. S. Tom. I. p.* 178. Sed idem ERASMVS notauit ad hunc locum egregie: *nullum est iudicium, vbi mentem occupauit liuor et odium.*

His vltro citroque disputatis, dimissum est concilium et *repetiit suam quisque domum.*

CAPVT VIII.

Sed de *αὐθεντίᾳ versiculi extremi* antecedentis Capitis, ac totius de femina adultera narrationis, a *versiculo primo* huius Capitis vsque ad *vndecimum*, vehementer dubitari constat inter viros eruditos, et plerisque hunc locum spurium videri, saltem suspectum.

Etenim Codicum maxima pars, quorum GRIESBACHIVS enumerauit octoginta et amplius, habet quidem hunc locum, sed cum lectionis varietate tanta, cuiusmodi non facile reperiatur in loco librorum N. T. vllo; vt ex illius editione N. T. itemque WETSTENII cognoscere quisque potest. Quare GRIESBACHIVS huius loci recensionem exhibendam curauit triplicem, nimirum textus vulgaris, deinde Codicis Cantabrigiensis, denique Codicum aliorum. In Codicibus reliquis vero, iisdemque non paucis, nec contemnendis, hic locus vel plane non reperitur, vel eius loco relictum est spatium vacuum, vel, si reperitur, aut alia manu adscriptus est, aut ad finem Euangelii Ioannei, siue etiam ad calcem Capitis *XXI. Lucae* reiectus extat, et quidem sic, vt vel astericis et obelis, tanquam dubius, notatus sit, vel adiectum habeat scholion, quo docetur, eum suspectum videri. Nec deinde habent hunc locum Versiones praecipuae, veluti Syriacae, Arabica, Coptica, Gothica, itemque Latinae, ante HIERONYMVM editae, a BLANCHINO commemoratae. Denique quod attinet ad doctores veteris ecclesiae, quorum auctoritas in his rebus non est parua, hunc locum non habent inter Graecos ne ii quidem, qui Euangelium Ioannis Commentariis perpetuis illustrarunt, veluti CHRYSOSTOMVS et THEOPHYLACTVS, neque etiam NONNVS, quem oportebat hunc locum, si habuisset, in

versione sua exprimere, nec e Latinis TERTVLLIANVS et CYPRIANVS, quorum tamen vterque saepissime egit de castitate et adulterio, eiusque commemorandi occasionem habuit, et prior quoque Psychicorum obiectionem quandam ex eo refutare potuisset. Legit quidem hunc locum AVGVSTINVS, ac pro genuino habuit, commemorauit tamen etiam causam, quare omissus fuerit a quibusdam, nempe ne fortasse scandalum praeberetur, tanquam Dominus impunitam dimisisset istam mulierem.

Ipsa quoque narratio visa est viris doctis ita comparata esse, vt facile suspectum reddere posset hunc locum. Etenim offendit eos *primum*, quod Dominus dicitur gestum scribentis imitatus esse, nec ausus fuisse, feminam eiusmodi poena dignam pronunciare; quod non satis dignum putant fuisse sapientia Domini; propter quam causam iam antiquiores nonnullos hunc locum in conuentibus publicis Christianorum legi noluisse; *deinde* quod erroris aliquid commissum esse videatur in denominando poenae genere *quinto versiculo*; nam lapidationem neque praeceptam fuisse a Mose, tanquam poenam eiusmodi criminis, neque illo tempore inter Iudaeos vsitatam et consuetudine fori receptam; *denique* quod dicendi ratio paulo elegantior sit in hoc loco, quam alias in sermone Ioannis, quem constet fuisse alienissimum ab elegantia sermonis graeci, et propemodum magis imitatum hebraicam loquendi consuetudinem, quam scriptorem sacrum vllum. Quare non sine causa statuisse videntur viri docti, hunc locum saltem suspectum esse. Eum tamen nuper probabiliter defendit STAEVDLINVS, in duabus Commentationibus eruditis, *Gottingae a.* 1806. editis, cui adstipulatus est KVINOELIVS in *Commentario* ad hunc locum.

Quodsi genuinus non videtur hic locus, quaeri potest, qui tandem in textum graecum irrepserit. Ac

res quidem ipsa videtur vere ita accidisse, vt narrata legitur hoc loco, neque tamen a Ioanne literis consignata, sed ore tradita et propagata, ab aliquo ad marginem scripta, atque inde a librario quodam textui inserta, adeoque inter glossemata referenda esse. Certe EVSEBIVS, *Hist. Eccles. L. III. Cap.* 39. narrat, *Papiam*, aeuo Apostolico proximum, virorumque Apostolicorum discipulum, quandam de muliere, propter delicta sua accusata apud Dominum, narrationem in libris suis habuisse, eamque ex Euangelio secundum Hebraeos hausisse; de quo tamen dubitauit MILLIVS, *Proleg. N.* 251. *et* 892. et SEMLERVS in *Paraphr. ad h. l.* et *Hallische Sammlungen Part. I. p.* 42. *sqq. et* 62. qui ab alio quo adiectam fuisse censet hanc narrationem, probante IO. AVG. ERNESTI, *Biblioth. Theol. Nouiss. Tom. II. p.* 151. Sed videamus locum ipsum.

Scilicet *Iesus*, imminente nocte, pernoctandi causa *concessit in montem oliferum*, villamque Gethsemane, non procul distantem a vico Bethania, grato Domini hospitio. Postridie vero *mane in templum reuersus, consedit et populum docuit, vndique ad ipsum confluentem. Ibi legum periti*, sacrarum literarum magistri *quidam, de secta Pharisaeorum adducunt mulierculam, in adulterio deprehensam, et statuunt coram illo, dicentes: magister, femina haec deprehensa est in ipso adulterii scelere. Ac tales lapidare lege nobis praecepit Moses. Tu quid censes?* Hoc igitur non satis vere dixisse videntur isti; etenim in lege Mosaica, nominatimque *Leu. XX*, 10. irrogatur adulterae non lapidatio in specie, sed poena capitis in vniuersum, non addito supplicii genere; nisi velis dicere, pronomine: τὰς τοιαύτας, indigitari certam quandam adulterarum speciem, quibus poena lapidationis destinata erat, *Deut. XXII*, 23. *sq.* de quo videri potest LAMPIVS ad hunc nostrum locum. In vniuersum autem

videtur illo tempore inter Iudaeorum magistros et legum peritos, quemadmodum in aliis causis multis, ad legem pertinentibus, ita etiam in hac, fuisse dissensus, num hoc, an alio poenarum genere afficiendi essent homines eiusmodi. Atque hanc quaestionem dubiam et controuersam Domino proponunt, sciscitanturque, quid de ea ipsi videatur, idque *eius tentandi causa, quo facilius nanciscantur occasionem, ipsum accusandi.*

At *Iesus*, perspecto istorum hominum pessimo consilio, nihil respondet, simulans, se ad illam quaestionem ne attendisse quidem, innuens autem, se missum non esse, qui causas eiusmodi dirimeret, sed humi sedens, vt solent orientales populi, *deiectis in terram oculis, digito humum inscripsit*, non quidem literis et verbis, sed figuris quibuscunque, vt solent homines meditabundi et cogitationibus mersi; qua ratione vsurpari solet verbum *γράφειν*, et formula: *γράφειν εἰς τὴν γῆν*, apud scriptores graecos quoque, et *scribere* apud latinos, vt interpretes ad hunc locum docuerunt. Quibus vero Dominus significare voluit, se probe intelligere consilium prauum istorum hominum, eorumque quaestionem dignam non esse responsione, certe non alia, quam ipsi suppeditassent, prouocantes ad legem Mosaicam.

Sed *cum instarent quaerendo*, cumque nosset Dominus, accusatores, qui videri vellent iusti et pii, multo sceleratiores esse, quam ista femina fuerit, vt percuteret eorum conscientiam, *erecto capite: quisquis vestrum, inquit, immunis est a peccato*, nimirum ex hoc, aut alio simili genere, *primus in eam coniiciat lapidem* *). *Et rursus deorsum inclinatus, humum*

*) MARKLANDVS *ad Lysiam p.* 534. verba: *πρῶτος τὸν λίθον βαλέτω*, reddenda esse existimat: primus in eam *lapidem illum* mittat, vt ὁ λίθος sit: *lapis ille*, insignior nempe, quem ex more Iudaeorum in lapidationibus iudicialibus te-

inscripsit. Quo audito singuli, condemnati male factorum conscientia, sibique metuentes, ne Iesus, cui videbant occulta quoque non incognita esse, in publicum proderet ipsorum facinora, *discedunt vnus post alterum, a senioribus vsque ad infimum, relicto Iesu solo, et muliere in medio populo adstante. Tandem Iesus suspexit, et praeter mulierem neminem* ex illis accusatoribus *conspicatus, quaerit ex ea: vbi tui accusatores sunt? num condemnauit te quisquam? Illa, nemo, inquit, Domine. Tum Iesus: nec ego te condemnabo; abi, et in posterum caue tibi a facinore eiusmodi.* Scilicet non personam publicam iudicis et magistratus ciuilis agebat Dominus in his terris, quare eam ne poterat quidem damnare, capitis nimirum, non poterat autem non vehementer improbare facinus illius; quare hortabatur eam serio, vt in posterum a peccatis abstineret.

Haec narratio si est genuina, certe nihil habet, quod indignum putari possit Domino; sequentia autem nectenda videntur esse sic, vt ablegatis delatoribus, et dimissa peccatrice, denuo populus conuenisse putetur ad audiendum Dominum, iterum in templo docentem. Sin spuria est, tum quae sequuntur, arcte cohaerent cum *vers.* 52. antecedentis Capitis, atque ad vnum eundemque sermonem pertinent, vno eodemque die habitum. In illo autem sermone Dominus locutus erat de se, tanquam humanae felicitatis auctore, hominumque Seruatore, et quemque ad se inuitauerat, quisquis saluus fieri voluerit, talemque asseuerauerat omni ex parte beatum fore. Etenim *quicunque sitit*, aiebat, *vers.* 57. *veniat ad me, et bibat;* quorum verborum

---

stes in damnatum primi mittere, vel demittere soliti fuerint; alias enim otiosum esse articulum: *τὸν*, cuius pleonasmi pauca exempla proferri possint ex libris N. T. in quibus mira sit et maior, quam putetur vulgo, circa hanc rem *ἀκρίβεια*.

sensum vidimus esse hunc: quisquis tenetur desiderio salutis, is eam quaerat apud me; atque inueniet. Iam ex hac tali serie orationis potest intelligi, quid sibi voluerit Dominus, quando ad populum vteretur *vers.* 12. verbis his: *ego sum lux mundi, me qui sectatus fuerit, non incedet in tenebris, sed fruetur luce vitae.* Continuauit nempe sermonem illum, et, quod in eo dixit, in hoc repetiit. Qualem vero se professus est in illo, talem se profitetur in hoc. Neque enim minus de se praedicare poterat hic, quam quod praedicauit ibi. Modo alia metaphora vsus est, et hic quidem similitudine, a sole desumta. Sol autem non tantum lucet, sed etiam vitam et vigorem praebet rebus creatis; ita Dominus non solum mentem collustrat, sed etiam animo vitam dat et salutem. De doctore veritatis non est sermo in toto hoc loco; nec Iudaei intellexissent, si talem se praedicasset; non doctorem veritatis exspectabant, quam potius seruatorem, auctorem felicitatis. Vnde manifeste patet, Dominum, quando se hoc loco, itemque *Cap. IX*, 5. et *XII*, 46. appellauit *lucem mundi*, se non doctorem, quam potius salutis humanae auctorem, hominum seruatorem, et quidem non vnius gentis, non Iudaeorum, sed totius generis humani, servatorem mundi, professum esse. Propriis verbis si loqui voluisset, vt ei tamen sapienti consilio non placuit, dixisset hoc modo: *ἐγὼ εἰμὶ ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου*, siue: *ἐγὼ εἰμὶ ὁ Χριστὸς, ὁ μεσσίας.* Sed ab hoc nomine consulto abstinuit Dominus, ex causis satis notis, eiusque loco alia et metaphorica, sed idem declarantia, vsurpauit. Atque hunc significatum vocabuli *φωτὸς* vsus loquendi apud optimum quemque scriptorem graecum et latinum, in primis autem apud scriptores sacros V. et N. T. non permittit tantum, sed postulat atque adeo exigit, vt demonstrasse videmur ad *Cap. I*, 4. argumentis eiusmodi, quae putaremus legitima ratione refutari non posse. Iam *sectari Christum* idem est, quod

X 2

supra *Cap. VII*, 37. 38; *venire ad Christum*, et: *credere in Christum*; hoc autem denotare vidimus: credere in Christum sic, vt eum agnoscas Seruatorem, salutemque apud eum quaeras et ab eo exspectes. Iam vocabulo σκοτίας exprimi constat in libris sacris in vniversum conditionem miserrimam, nominatim Iudaeorum atque Gentilium; omninoque omnium, qui carent disciplina religionis christianae; in specie ignorantiam, errores, ἀπιστίαν, deinde animi et morum perversitatem, inde nascentem, denique, quae eam necessario comitari solet, infelicitatem et miseriam. Quoniam vero σκοτία opponitur h. l. τῷ φωτὶ, hoc autem exprimit non tantum scientiam et sanctitatem, sed in primis salutem et beatitudinem; in promtu est, σκοτίαν significare non tantum inscitiam et morum peruersitatem, quanquam nec haec sunt excludenda, sed in primis miseriam et infelicitatem. Hinc περιπατεῖν ἐν τῇ σκοτίᾳ, est: versari in eiusmodi conditione, et: οὐ μὴ περιπατεῖν, a tali conditione liberatum esse. Vocabulum ζωῆς autem adiectum est ad exprimendam felicitatis perpetuitatem in hoc et altero saeculo. Vnde sensus loci nostri enascitur hic: ego sum Seruator humani generis; me qui amplexus fuerit, omni miseria ereptus, felicitatem consequetur huius et futurae vitae.

Hoc tam illustre, quamuis verissimum effatum Domini de se, bene intellexisse videntur nonnulli de partibus Pharisaeorum, ipsum audientes. Nam offenduntur hac tam magnifica praedicatione, noluntque ei fidem habere, nec dubitant, palam obiicere, quae in laudem suam dixisset, vera non esse et fide digna. *Tu*, inquiunt, *ipse tibi testis es. Tuum de te testimonium fidem non meretur.* Tu te salutis auctorem praedicas; nemini de se talia praedicanti credi potest: arrogantis est, non veracis, suam iactare gloriam.

Quibus Iesus ita respondit: etsi ipse de me testimonium honorificum *perhibeo, tamen verum est et fide*

dignum, (tamen hoc non impedit testimonii mei fidem et veritatem;) *ego enim, vnde venerim, et quo tendam, bene scio, vos vero, et vnde venerim, et quo tendam, nescitis.* Si sciretis, aut credere velletis, me missum esse a Patre, meaque consilia tendere ad vestram salutem, tum fidem haberetis meo de me testimonio, quamvis perquam honorifico; sed vtrumque ignoratis. *Vos iudicare soletis secundum speciem externam*, ducti humanis affectibus, opinionibusque praeconreptis occupati, quare vestrum iudicium corruptum est ac falsum; *tali modo ego non iudico quenquam*, nec testor de me. *Ego etsi de me testimonium* honorificentissimum *perhibuerim, verum tamen est et fide dignum; neque enim ego solus sum, qui* de me tester, *sed Pater quoque, qui me misit*, testatus est de me, deditque in libris sacris per prophetas documenta satis euidentia, e quibus cognoscere facile possetis, me esse salutis auctorem, qualem me professus sum. Disputauit Dominus pari modo, vt supra *Cap. V*, 37. *sqq.* qui locus est conferendus. *Atqui*, ita perrexit, *lege vestra sancitum est, duorum testimonium fide dignum esse.* Ergo et meum de me testimonium fide dignum putari debet; *quoniam non est mei solius, sed etiam Patris, qui me misit.* Neque ego quicquam aliud de me praedico, quam quod declarauit Pater. Si meum testimonium reiicitis, et Patris reiiciatis, necesse est.

In his sermonibus quoniam patrem appellauerat Dominus, ab eoque se missum esse dixerat atque ad eius testimonium prouocauerat, Iudaei, a quibus vulgo Iosephi filius putabatur esse, demirati, quomodo tandem de hoc patre tam mira praedicare posset, aut quisnam tandem alius esset eius pater, *quaerunt: iste pater tuus vbinam est? Respondit Iesus: neque me nostis, neque Patrem; si nossetis me, nossetis quoque Patrem meum.* Pater cognosci non potest, nisi per Filium, et Filius, nisi cognito Patre. Qui cognoscit Fi-

lium, cognoscit Patrem, hoc est, eius amorem erga genus humanum incredibilem, per missionem Filii sui in has terras manifestatum, decreta et consilia Patris de salute hominum per Filium suum, voluntatem eius seriam, vt suscipiant omnes Iesum tanquam Filium Dei et Seruatorem hominum, reliqua. Hoc enim est: *cognoscere Patrem*. Conf. *Cap. I*, 18. *XVII*, 3.

Eiusmodi sermones fecit Iesus, *palam docens in templo*, eiusque loco frequentissimo, parte nimirum ea, vbi pecunia sacra, vasa aurea et argentea, resque pretiosae aliae asseruabantur, *gasophy ci m dici solebat*, itemque atrium mulierum, iisque quamuis vehementer prouocasset in se animos Pharisaeorum; *nemo tamen ausus est*, *manus ei inferre*, non quod deesset illis impia voluntas, sed quod nutu diuino non esset data facultas; *nondum enim venerat tempus*, quo decreuerat pati ad salutem hominum.

Pertexit autem loqui ad eos ita: ego discedum, vos me desiderabitis, sed peribitis propter peccata vestra; quo ego discedo, eo vos venire non poteritis. Eodem aenigmate vsus erat Dominus *Cap. VII*, 34. vt vidimus ad illum locum. Innuit mortem suam, breui, sex mensibus post euenturam, simulque reditum suum in coelos ad Patrem, qui ipsum miserit. Tacite vero etiam percutere voluit Iudaeorum conscientias, denuncians ipsis perniciem, certo euenturam, nisi resipuerint ab ἀπιστίᾳ ipsorum. Haec enim in primis est hoc loco ἁμαρτία, atque sic diserte explicauit Dominus ipse *vers.* 24. et *Cap. XVI*, 8. 9. non exclusis tamen reliquis eorum peccatis. Vt vero praedixit Dominus, breui post euenit. Ipse rediit ad Patrem. Iudaei, tempore in primis calamitatum publicarum, mox insequente, desiderabant Messiam, neque tamen reperiebant. Persistebant in ἀπιστίᾳ aduersus Iesum, et propter eam peribant. Aspernabantur vitae auctorem, et mortem sibi adsciscebant. In coelum abiit ad beatam societatem

Patris, eo vero sequi eum homines ἄπιστοι, obstinato animo reiicientes salutem oblatam, nullo modo possunt, ibi eum persequi amplius non poterant.

Quem Domini sermonem pessime interpretabantur Iudaei. Id quidem intelligebant, eum de morte sua loqui, stulte autem opinabantur, num fortasse ipse sibi vim inferre vellet, ad liberandum se a molestiis persequentium, aut, vt dicebant, *Cap. VII*, 35. abire e Iudaea in regiones exteras ad docendos Gentiles. Neque tamen ausi sunt, interrogare Dominum, sed mussitabant tantum inter se, dicentes alter alteri: *quid? num sibi ipse vult mortem consciscere*, aeque ita subducere nobis, *quod minatur, abiturum se esse, quo insequi eum non possimus?*

Hunc stuporem, hanc eorum siue inscitiam, siue malitiam, arguebat Dominus his verbis: *vos de terra estis, ego de coelo, vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo.* Quibus verbis indicare voluit, quare non possent eo venire, quo esset abiturus. Scilicet isti homines mundani erant, res mundanas, diuitias, honores, imperium mundanum, felicitatem mundanam sapiebant, appetebant, exspectabant, et secundum sensus, opiniones, mores improbi illius saeculi, Iudaici in primis, loquebantur. Ipse vero non erat de mundo, de coelo venerat, coelestia spirabat, tradebat, promittebat, sensus, studia, mores coelestes postulabat. Ita enim vsurpantur τὰ κάτω et τὰ ἄνω, scilicet μέρη, vt dicantur pro terra et coelo, ac deinde de rebus, sensibus, cupiditatibus terrenis et coelestibus; itemque formulae: ἐκ τοῦ κόσμου εἶναι, et: οὐκ ἐκ τοῦ κόσμου εἶναι, vt denotent: res terrenas et res coelestes ac diuinas sapere, amare, expetere. Conf. *Cap. XV*, 19. *Col. III*, 1. 2. 1 *Io. IV*, 5. 6. in quo vltimo loco sibi opponuntur: ἐκ τοῦ κόσμου εἶναι, et: ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι. Sed rebus terrenis inhiantes quomodo possent ad coelestia peruenire! Hinc perrexit Dominus: *propterea dixi vo-*

bis, nimirum versiculo vicesimo primo, atque iterum iterumque dico, *vos perituros esse propter peccata vestra.* Vna via ad vitam est, si agnoscatis eum, qui est vitae ac salutis auctor. *Quodsi recusetis credere, me esse illum*, per quem Pater omnes vult vitam et salutem consequi, *propter haec peccata vestra certissime peribitis.* Inde intelligitur, per *τὴν ἁμαρτίαν vers.* 21, siue, vt est in hoc loco, per *τὰς ἁμαρτίας* intelligi in primis *ἀπιστίαν*, nam subiecit Dominus: *ἐὰν μὴ πιστεύσητε.* Sed haec *ἀπιστία* Iudaeorum implicita erat multis peccatis, erroribus, prauis opinionibus, et sensibus in primis terrenis, et male factis, quae adeo non sunt excludenda. Formula autem: *πιστεύειν, ὅτι ἐγώ εἰμι*, manifeste denotat hoc loco: credere, me esse eum, quem dixi; dixerat autem se in sermonibus praecedentibus salutis auctorem, qui de coelo venerit, qui moriturus sit in salutem hominum, ac deinde rediturus ad Patrem. Talem agnoscere Iesum, sic, vt tibi persuasum habeas, Iesum vere esse eum, pro quo haberi voluit, id hoc loco est: credere.

Sed Iudaei, vehementer offensi, quod Dominus ausus esset, se salutis auctorem profiteri, et palam proloqui, ipsis pereundum esse, nisi eum fide susceperint, indignabundi quaerunt: *tu quis tandem es? Is verissime*, respondit Iesus, *quem iam vobis me esse dixi.* Sane haec verba Domini habent aliquid obscuritatis, aut difficultatis; quare vario modo explicata sunt ab interpretibus. Est autem illud: *τὴν ἀρχὴν*, vel: omnino, profecto, vtique; quem significatum habet non modo ex consuetudine hebraici: אִלְּלָם, *Gen. XXVIII*, 19. *Num. XIV*, 21. sed etiam apud scriptores graecos, nominatim apud *Polybium* et *Philonem*, vt docuerunt ELSNERVS, ABRESCHIVS et RAPHELIVS *in not. Herodot.* ad hunc locum; vel subintelligendum est: *κατὰ*, vt *κατὰ τὴν ἀρχὴν* sit: quoad initium, seu idem, quod: *ἀπ' ἀρχῆς*, ab initio, ante, habeatque fere vim

aduerbii, sitque adeo sensus hic: vtique iam dixi vobis, seu: dixi dudum, qui sim. Ac profecto satis luculenter hoc dixerat in antecedentibus. Illud καὶ autem post: ὅ τι, ex vsu scriptorum optimorum redundat et in versione latina est omittendum; λαλῶ autem est pro: λελάληκα.

Sed subiecit Dominus etiam haec: *haberem multa, quae dicere vobis et exprobrare possem*: sed nunc sufficiat dixisse, *veracissimum esse eum, qui me misit, meque non nisi, quae ab eo acceperim, tradere in his terris.* Etiam in his verbis est difficultas quaedam, orta in primis ex breuiloquentia, quae partim est nota veteris simplicitatis in loquendo, partim etiam artificium orationis egregium. Mens autem Domini erat vel haec: multa se habere, de quibus dicere ad Iudaeos atque etiam conqueri possit, se tamen hoc vnum tantum commemorare velle, vera esse, quae tradat; nam se missum esse ab eo, qui sit veracissimus, et non nisi ea tradere, quae ille ipsi demandauerit; vel etiam ea non esse, quod mirentur Iudaei, aut quod eos offendat, cum dixisset, illis pereundum esse, nisi fidem ei habuerint; nam multa esse, quae commemorare et exprobrare iis possit, idque iure suo; nam se missum esse ab eo, qui sit veracissimus, seque tradere nihil, nisi quod ab eo tradendum acceperit, neque adeo iniustam esse et temerariam hanc suam improbitatis et pertinaciae ipsorum reprehensionem. Caeterum verbum κρίνειν positum est pro: κατακρίνειν, exprobrare, poena dignum declarare, damnare. Formula autem: λέγειν εἰς τὸν κόσμον explicari potest vel ex dicendi ratione Graecorum exquisita, vt sit: *dicere ad mundum*, siue: *ad homines*; Graeci enim et ipsi dicere soliti sunt: λέγειν εἰς τινά, pro: πρὸς τινὰ, *dicere ad aliquem*; vel, idque haud dubie rectius, ex more Hebraeorum, vt sit pro: λέγειν ἐν τῷ κόσμῳ, *docere in his terris*; vt *Marc. I*, 39. vbi etiam loco: εἰς τὰς συναγωγὰς, in libris qui-

busdam, editis quoque, est: ἐν ταῖς συναγωγαῖς. Denique verba: ἃ ἤκουσα παρ᾽ αὐτοῦ, commutauit Dominus in proxime sequentibus, *vers.* 28. cum his: καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατήρ μου· de quibus statim videbimus.

Sed quamuis aliquoties iam Patrem suum nominasset, a quo missus esset, ad quem iret, cuius voluntatem manifestaret et mandata exsequeretur; tamen non intelligebant, eum loqui de Patre coelesti, nec capere poterant, quid sibi his sermonibus vellet. *Nesciebant, de quonam patre cum iis loqueretur.* Etenim λέγειν τινὰ, est pro: περί τινος, vt *Cap. VII*, 71. Vnde Dominus subiecit haec: *quando sustuleritis filium hominis, tum intelligetis, quisnam ego sim, meoque me arbitrio nihil fecisse, nec quicquam aliud docuisse, nisi quod edoctus fuerim a Patre; hic, qui me misit, mihi adest, nec me derelinquet vnquam; facio enim semper, quae ei probantur.* Rursus per aenigma locutus est Dominus, sapientissimo consilio; voluit enim, cum propriis verbis loqui non posset, eiusmodi sermonibus paulo obscurioribus semina condere in animis audientium, quae fructum ferrent tum, cum euenissent. Quid autem proprie sibi voluerit, docuit euentus. Subindicabat enim, futurum esse, vt per eos in crucem tollatur, quemadmodum locutus est alias quoque, *Cap. III*, 14. *XII*, 32. testatur vero etiam spem, fore, vt Iudaei, quod nunc credere nolint, aliquando intelligant, ipsum Messiam esse, suumque opus successum habeat prosperrimum. Quod effatum breui post euentum habuit. Nam cum e morte reuocatus in vitam, coelum adscendisset, sanctum Spiritum misisset, suamque doctrinam et ecclesiam propagaret per omnem orbem terrarum, inde facile quisque intelligere poterat, intellexeruntque permulti Iudaeorum, vno die pentecostali tria millia, Iesum profecto esse missum a Deo mundi seruatorem, eiusque opus non humano more geri, sed diuina virtute, quam nulla aduersariorum vis et calliditas impe-

dire vllo modo possit, Deoque ipsi acceptissimum esse et probatissimum. Caeterum cum diceret Dominus: καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατήρ μου, ταῦτα λαλῶ, humano more locutus est, vt notauit ad hunc locum CHRYSOSTOMVS, ne quid ex dictis eius in suspicionem vocaretur ab impudentibus Iudaeis. Nam quia eam, quam par erat, de Domino opinionem nondum conceperant, frequenter prouocabat ad Patrem, vt effatis suis fidem faceret atque ostenderet, ea tam certa esse, tanquam a Patre ipso prolata sint, adeoque penitus diuina et Patri probatissima eiusque voluntati conuenientissima, τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ. Conf. vers. 38. Formulam: μετ' ἐμοῦ εἶναι, apud scriptores graecos quoque denotare: *pro me facere*, si sermo est de rebus, de personis vero: *a parte mea stare*, notauit MARKLANDVS, *ad Lysiam p.* 289. eamque referendam esse statuit inter locutiones innumerabiles, quas ab Hebraeis mutuati fuerint Graeci veteres. Conf. *Cap. XVI*, 32.

Quibus sermonibus quamuis non omnes, *multi* tamen *adducti sunt eo, vt eum pro Messia, misso a Deo, susciperent*. Hunc enim significatum verbi πιστεύειν postulat hoc loco series orationis; neque enim denotat: assensum praebere doctrinae Christi in vniuersum, eamque fide suscipere; nam totam doctrinam hominibus illis tum non tradiderat Dominus, sed tantum partem eius; scilicet professus erat, se esse lumen mundi, missum a Patre Seruatorem, siue, quod idem est, Messiam promissum; haec tradiderat, haec vera et certa habebant audientes; atque id hoc loco est πιστεύειν, nimirum: assensum praebere iis, quae modo dixerat, Iesum suscipere pro legato diuino et Messia, qualem se professus erat. Vnde quod in hoc versiculo est: πιστεύειν εἰς αὐτὸν, in sequente est: πιστεύειν αὐτῷ, quo declaratur vnum idemque.

Hos igitur, qui fidem habebant iis, quae modo docuerat, sibique persuaderi passi erant, eum esse

missum a Deo Seruatorem, *monuit eos: si permanseritis in eo, quod tradidi*, quodque creditis et verum habetis, *genuini eritis discipuli mei, cognoscetisque verum in dies magis magisque, idque verum vos reddet liberos.* Scilicet crediderant isti vtcunque, Iesum esse Seruatorem, quem se dixisset; atque hos monuit, vt in hac fide perseuerarent, neque abduci se ab ea paterentur aliorum ἀπιστίᾳ, aut incitamentis aliis. Etenim ὁ λόγος denotat hoc loco non doctrinam Christi vniuersam, sed tantum partem eius, et quidem eam, quam modo tradiderat Dominus, quamque isti fide susceperant, scilicet eum esse missum a Deo Seruatorem; nam hanc tradiderat, hanc audiuerant, non vero doctrinam vniuersam; significat igitur *doctrinam de Christo.* Hoc sensu vocabulum λόγου vsurpauit Dominus alias quoque, in primis *Cap. XVII*, 6, 14. 17. 20. vt ad haec loca videbimus. In aliis sermonibus τὰ ῥήματά μου dixit Dominus. *Cap. V*, 47. *VI*, 63. 68. *XV*, 7. Hinc formula μένειν ἐν τῷ λόγῳ, est: perseuerare in assensu, atque exercitio et vsu huius capitis doctrinae, Iesum esse Seruatorem; quod quidem fiebat, si in posterum disciplinae ipsius adhaererent constanter, nec dimoueri se ab ea paterentur aliorum peruersis iudiciis, aut impedimentis aliis. Continent igitur haec verba admonitionem ad perseuerantiam in fide, Iesum esse Seruatorem, directam ad eos, qui hanc fidem concepissent.

Iam huic admonitioni subiecit Dominus promissionem insignem, et quidem triplicis generis. Docuit enim, qui constanter perseuerauerint in hac fide, Iesum esse salutis ducem et auspicem, eos inde percepturos esse emolumentum primum hoc: ἀληθῶς μαθηταί μου ἐστέ. Id enim ante omnia requiritur a discipulo Iesu genuino, quemadmodum docuit Dominus in antecedentibus, vt agnoscat Patrem, qui misit Filium, et Filium, a Patre missum generis humani Seruatorem. Conf. *Cap. XVII*, 3. Talem qui neque Patrem agnoscit, ne-

que Iesum, non potest esse Christi discipulus genuinus; is autem est, qui Patrem et Filium tali modo agnoscit. Quis vero tandem non optauerit, discipulus genuinus esse Iesu, auctoris salutis vnici?

Alterum emolumentum indicatur verbis his: καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν. Sed per vocabulum ἀληθείας, quotiescunque vsurpauit Dominus, vsurpauit autem saepius in sermonibus suis, toties intellexit non doctrinam suam in vniuersum, sed *caput eius primarium*, nempe de se, Seruatore, omnisque salutis humanae duce et auspice, itemque de Patre, eiusque amore erga homines plane singulari, per Filium demonstrato, consiliis eius arcanis in reparanda et conferenda salute per Filium suum, et voluntate eius, vt hunc Filium tanquam Seruatorem agnoscant omnes, salutemque ab eo repetant et per eum consequantur; de quo significatu vocabuli ἀληθείας vidimus iam in superioribus ad *Cap. I*, 17. videbimusque ad loca, ibi excitata. Ac tali significatu vsurpasse Dominum hanc vocem etiam hoc loco, perspicue docet series orationis; nam de hoc capite doctrinae locutus erat in antecedentibus, non de doctrina sua in vniuersum. Iam γινώσκειν τὴν ἀλήθειαν est: intelligere, verum esse, quod Iesus dixerat, se esse salutis auctorem; et quidem intelligere cum effectu: intelligere in dies vberius, certius et euidentius. Scilicet crediderant illi quidem, Iesum esse Seruatorem, sed tantum vtcunque, nondum satis perspiciebant, quisnam et qualis Seruator esset. Maius enim est, perspicere, quis et qualis Seruator sit, quam credere, eum esse Seruatorem. Iam vero, inquit Dominus, si permanere volueritis in assensu et fide, in dies magis magisque cognoscetis vestraque ipsorum experientia edocti, intelligetis, verum esse, quod dixi, me esse Seruatorem. Prouocat igitur Dominus ad experientiam et suppeditat argumentum veritatis huius effati, se esse Seruatorem, ab experientia ductum, plane

vt *Cap. VII*, 17. fecerat; qui locus est conferendus. Est enim experientia, vt in omnibus, ita etiam in causis, ad religionem pertinentibus, magistra optima. Vt in nulla arte ac disciplina scientia sufficit, sed oportet eam discere accurate atque in ea vsurpanda exerceri multis modis et vsu diuturno, quo demum senties eius non tantum veritatem, verum etiam vtilitatem ac praestantiam; ita quoque in doctrina religionis et disciplina christiana non satis est, scire, quid et quare sit credendum et agendum, sed vere credendum est agendumque, nec postulandum, aut exspectandum, vt statim a primo momento credas et agas certo et constanter, aut praestantiam fidei et officii intelligas, accedere debet longa et multa exercitatio, per quam adsuescas ad certo constanterque credendum et agendum, ac tum demum senties eius veritatem, vtilitatem et praestantiam, atque intelliges euidenter et sine dubitatione, hanc doctrinam nullo modo esse ingenii humani, sed plane diuinam, ducentem ad felicitatem verissimam, vberrimam, constantissimam. Atque ita quoque et nominatim quisquis fide susceperit Iesum, salutis humanae ducem atque auspicem, et in hac fide perseuerauerit, sic, vt Iesum in dies magis magisque cognoscere cupiat, in Iesu salutem quaerat, a Iesu salutem appetat, exspectet, et vere consequatur, vere per Iesum saluus fiat, is profecto, et nominatim ille, qui antea dubitauerit et fidei suae non satis certus, hinc inde titubauerit in intelligendo aut iudicando, is igitur experiundo cognoscet atque intelliget, Iesum talem esse vere; nam vere saluus et beatus factus est per Iesum, fruitur in Iesu et in fide in Iesum beatitudine, hoc est, animi quiete, tranquillitate et hilaritate tali ac tanta, qualis et quanta reperitur in alia disciplina nulla, in alio bono orbis terrarum nullo.

Tertium emolumentum innuitur his verbis: *ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς.* Ac verbum *ἐλευθεροῦν* in linguis antiquis multo latius vsurpatum reperitur, quam in re-

centioribus; exprimit enim non tantum libertatem, sed etiam eius effectus; quemadmodum ipsum vocabulum *libertatis* apud Latinos non tantum denotat immunitatem ab alterius seruitute, sed etiam omnia iura et bona, quae ex iure Romano ciuibus competunt, suffragiorum ferendorum, honorum omnium petendorum, reliqua. Vid. ERNESTI *Clauis Cic.* sub hac voce. Igitur *ἐλευθεροῦν* est non tantum liberare a malis et incommodis, sed simul etiam bona et commoda conferre. Mala vero et incommoda, a quibus liberari poterant illorum temporum homines, erant non tantum peccata et peccatorum servitus, sed, atque nominatim *ἀπιστία,* inscitia de Christo et de modo salutis tenendae, imperium cupiditatum terrenarum et inde orta animi miseria; possem addere, praecepta magistrorum Iudaicorum et iugum legis ceremonialis; vicissim bona et commoda, quae accipiebant, erant scientia Christi et consiliorum diuinorum de salute, per eum tenenda, fides certa, vitae sanctitas, spes laeta atque inde nata animi tranquillitas et beatitudo. Ita a malis illis liberati, hisque bonis exornati, qui primum verbo Domini crediderant, nunc credere discebant sua ipsorum experientia edocti, scilicet verissimum esse, quod dixerat Dominus, se esse Seruatorem; nam experiebantur, per eum vere saluum fieri atque beatum iam in hac vita, qui in eum crediderit, eum vere esse ducem auctoremque salutis, doctrinam eius, de salute per eum consequenda, verissimam esse ac plane diuinam, cum sit salutifera et saluifica. Conf. *Cap. VII,* 17.

Sed eorum nonnulli, qui fidem denegabant Domino, sinistre interpretabantur, quae dixerat de libertate, mentem eius non intelligentes, eique *vers.* 33. obiiciunt haec: *nos sumus nepotes Abrahami legitimi, neque cuiusquam vnquam serui fuimus; qui tandem tu potes contendere, nos liberos fore?* Loquuntur haud dubie de se suisque temporibus, non de eorum maiori-

vt *Cap. VII*, 17. fecerat; qui locus est conferendus. Est enim experientia, vt in omnibus, ita etiam in caussis, ad religionem pertinentibus, magistra optima. Vt in nulla arte ac disciplina scientia sufficit, sed oportet eam discere accurate atque in ea vsurpanda exerceri multis modis et vsu diuturno, quo demum senties eius non tantum veritatem, verum etiam vtilitatem ac praestantiam; ita quoque in doctrina religionis et disciplina christiana non satis est, scire, quid et quare sit credendum et agendum, sed vere credendum est agendumque, nec postulandum, aut exspectandum, vt statim a primo momento credas et agas certo et constanter, aut praestantiam fidei et officii intelligas, accedere debet longa et multa exercitatio, per quam adsuescas ad certo constanterque credendum et agendum, ac tum demum senties eius veritatem, vtilitatem et praestantiam, atque intelliges euidenter et sine dubitatione, hanc doctrinam nullo modo esse ingenii humani, sed plane diuinam, ducentem ad felicitatem verissimam, vberrimam, constantissimam. Atque ita quoque et nominatim quisquis fide susceperit Iesum, salutis humanae ducem atque auspicem, et in hac fide perseuerauerit, sic, vt Iesum in dies magis magisque cognoscere cupiat, in Iesu salutem quaerat, a Iesu salutem appetat, exspectet, et vere consequatur, vere per Iesum saluus fiat, is profecto, et nominatim ille, qui antea dubitauerit et fidei suae non satis certus, hinc inde titubauerit in intelligendo aut iudicando, is igitur experiundo cognoscet atque intelliget, Iesum talem esse vere; nam vere saluus et beatus factus est per Iesum, fruitur in Iesu et in fide in Iesum beatitudine, hoc est, animi quiete, tranquillitate et hilaritate tali ac tanta, qualis et quanta reperitur in alia disciplina nulla, in alio bono orbis terrarum nullo.

Tertium emolumentum innuitur his verbis: *ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς*. Ac verbum *ἐλευθεροῦν* in linguis antiquis multo latius vsurpatum reperitur, quam in re-

centioribus; exprimit enim non tantum libertatem, sed etiam eius effectus; quemadmodum ipsum vocabulum *libertatis* apud Latinos non tantum denotat immunitatem ab alterius seruitute, sed etiam omnia iura et bona, quae ex iure Romano ciuibus competunt, suffragiorum ferendorum, honorum omnium petendorum, reliqua. Vid. ERNESTI *Clauis Cic.* sub hac voce. Igitur ἐλευθεροῦν est non tantum liberare a malis et incommodis, sed simul etiam bona et commoda conferre. Mala vero et incommoda, a quibus liberari poterant illorum temporum homines, erant non tantum peccata et peccatorum servitus, sed, atque nominatim *ἀπιστία,* inscitia de Christo et de modo salutis tenendae, imperium cupiditatum terrenarum et inde orta animi miseria; possem addere, praecepta magistrorum Iudaicorum et iugum legis ceremonialis; vicissim bona et commoda, quae accipiebant, erant scientia Christi et consiliorum diuinorum de salute, per eum tenenda, fides certa, vitae sanctitas, spes laeta atque inde nata animi tranquillitas et beatitudo. Ita a malis illis liberati, hisque bonis exornati, qui primum verbo Domini crediderant, nunc credere discebant sua ipsorum experientia edocti, scilicet verissimum esse, quod dixerat Dominus, se esse Seruatorem; nam experiebantur, per eum vere saluum fieri atque beatum iam in hac vita, qui in eum crediderit, eum vere esse ducem auctoremque salutis, doctrinam eius, de salute per eum consequenda, verissimam esse ac plane diuinam, cum sit salutifera et saluifica. Conf. *Cap. VII,* 17.

Sed eorum nonnulli, qui fidem denegabant Domino, sinistre interpretabantur, quae dixerat de libertate, mentem eius non intelligentes, eique *vers.* 33. obiiciunt haec: *nos sumus nepotes Abrahami legitimi, neque cuiusquam vnquam serui fuimus; qui tandem tu potes contendere, nos liberos fore?* Loquuntur haud dubie de se suisque temporibus, non de eorum maiori-

bus, qui olim fuere in seruitute Aegyptiaca et captiuitate Babylonica. Tempore Domini Iudaei erant dicique poterant liberi. Nam quamuis subiecti erant imperio Romanorum; tamen suos reges habebant, suisque legibus viuebant, fruebanturque libertate non tantum in rebus sacris, sed etiam ciuilibus. Hinc mirantur, quomodo ipsis promittere possit libertatem. Itaque vel non intelligebant Dominum, de libertate animi loquentem, vel peruertere tentabant eius sermonem, tanquam dixisset aliquid contra potestatem Romanorum et promisisset ab eadem liberationem, vel etiam ei insidias struere audebant et ex eo elicere aliquid, cuius eum accusare possent. Nam inuiti ferebant iugum imperii Romani, ab eoque libertatem et desiderabant, et per Messiam exspectabant.

Itaque Dominus aperte docuit, quamnam libertatem intelligeret, ostenditque, aliud esse seruitutis genus, idque longe turpius et perniciosius, ex qua neminem vindicare possit maiorum quamuis magna nobilitas, seruitus scilicet animi. Respondebat enim hoc modo: *scitote igitur, quemuis, peccato addictum, seruum esse.* Id enim denotat formula: *ποιεῖν τὴν ἁμαρτίαν*, ex lingua hebraica translata in graecam, scilicet: addictum esse deditumque peccato, exprimitque peccandi habitum; vocabulum *ἁμαρτίας* autem indicat non tantum male facta, sed etiam prauos animi sensus, cupiditates malas, etiam *ἀσωτίαν*, vniuersam male sentiendi, cogitandi, ratiocinandi, agendique rationem. Qua qui duci se patitur, is seruus est; non agit suo arbitratu, sed quo sua quemque trahit cupiditas et voluptas, tractaturque, vt seruus a domino, iubendo, terrendo, minando, molestias creando. Is demum liber est et ingenuus, qui a tam peruersa animi conditione est liberatus et in animi vitaeque sanctitatem vindicatus. Caeterum frequentissimum erat Graecis quoque et Latinis, *seruum* appel-

lare, qui cupiditatibus prauis et sceleribus indulget; de quo videri possunt interpretes et quos laudant.

Sed pergit Dominus: *seruus non perpetuo domi manet, at filius.* Rursus breuiter locutus est; fuit autem mens eius haec: serui pro tempore tantum sunt in aedibus domini, non sunt haeredes, non habent ius perpetuum, sed exiguntur domo, vt primum domino visum fuerit; sed filii non solent expelli, sunt haeredes domus ac perpetuum ius habent in domo. Vt autem serui malae frugis expelluntur domo, sic vos, si manseritis peccatorum serui, domo et familia Dei expellemini. Ex hac seruitute si vos in libertatem per me vindicari patiamini, tum demum tractabimini vt filii; pater vos non eiiciet, recipiet potius in familiam suam, omnique iure filiorum ingenuorum vos donabit; siue, vt dixit Dominus verbis sequentibus: *si filius vos liberauerit, vere liberi eritis.*

Sed subiecit etiam haec: *bene quidem scio, vos ab Abrahamo genus ducere; sed et illud, vos mihi necem machinari,* adeoque vos esse posteros Abrahami degeneres et a moribus eius alienissimos; etenim prognatum esse ex Abrahamo, et interimere conari eum, quem Abrahamus exspectauit, constare non potest. *Sed non procedit inter vos sermo meus.* Hic enim videtur esse sensus verborum, paululum difficiliorum: *ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν,* nempe: mei sermones in vobis locum et successum non habent, siue: vos meorum sermonum sensum capere non potestis, propter animi vestri stuporem et contumaciam; fere vt Dominus *vers.* 43. dixit: *τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε, οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν,* non potestis ferre, concoquere. *Ego, quae a Patre meo accepi, enuncio; vos, quae a patre vestro accepistis, facitis.* Quod Dominus hic dixit: *ἑώρακα,* id supra *vers.* 26. erat: *ἤκουσα,* et *vers.* 28. *ἐδίδαξε, trado, quae vidi, quae audiui a Patre, quae me docuit Pater,* hoc est, quae a Patre tradenda accepi,

quae Pater mihi tradenda demandauit, quae sunt diuina et verissima. Quemnam autem intellexerit per patrem Iudaeorum, sequentia docent.

At vero illi: *Abrahamus*, inquiunt, *parens noster est.* Indigne ferunt, quae dixerat Dominus, interpretanturque sic, tanquam locutus fuisset contumeliose in Abrahamum, quasi et ille fuisset talis, quales diceret posteros eius. Sed Dominus nihil quicquam durius dixit in Abrahamum, modo taxauerat Iudaeos, quod ei essent dissimillimi. Quare respondit: *si essetis Abrahami posteri veri,* digni hoc nomine, ei similes, *imitaremini eius exemplum. Iam conamini, interficere me, hominem*, vt nihil aliud sim, quam homo, innocentem tamen, *qui vobis tradidi, quae sunt verissima,* non excogitata a me, *sed accepta a Deo*, vt, quisquis diffidit mihi, idem quoque Deo diffidat, necesse sit; *Abrahamus eiusmodi quid fecisset nullo modo*, vosque non agnoscet posteros, qui molimini rem impiam, longe dissidentem a moribus eius. *Vos imitamini patris vestri opera*, sensus, studia, facta. Quodsi quis haberi solet filius eius, cuius facta aemulatur, vestra autem facta discrepant plurimum a factis Abrahami, vos alium patrem, quisquis sit, habeatis oportet, cuius ingenium et mores exprimitis.

Quibus dictis Iudaei, irritatiores facti, veluti praesagientes, quo tendat sermo Domini, et quemnam patrem iis designet, respondent: *nos ex partu illegitimo prognati non sumus*; sumus liberi legitimi; *vnum eundemque cum eo patrem habemus, Deum.* Primum dicunt, se esse Abrahami posteros genuinos, natos ex matrimonio legitimo, quod habuit cum Sara, coniuge, non posteros ancillae. Deinde regerunt, quo inprimis gloriari solebat Iudaica gens, se filios Dei esse, ei caros ac dilectos prae caeteris gentibus omnibus; hunc ipsis esse patrem cum Abrahamo *communem*, ἕνα πατέρα, (id enim denotat vocabulum: εἷς, quemadmodum *Eph.*

IV, 4. 5. 6.) hunc cum Abrahamo se colere vnice ad vnum omnes; quod qui negauerit, eum non ipsos tantum contumelia afficere, sed Iudaicam gentem vniversam.

Quam gloriationem, cum se iactarent filios Dei, et tamen conscii sibi essent scelerum grauissimorum, severe retundebat Dominus his verbis: *si Deus esset pater vester*, vosque essetis filii Dei veri et germani, *amaretis vtique me*, atque, quae trado vobis, admitteretis, *quippe a Deo profectus veni* *) *ad vos; neque enim veni ad vos meo arbitratu, sed ab illo missus.* Qui Deum amat vt patrem, idem quoque amat filios eius; qui eum colit vt Deum, suscipit eum quoque, quem misit. *Vos vero quare non agnoscitis meam vocem?* mea effata non admittitis? *Scilicet quoniam ea non potestis ferre.* Etenim verba: *οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμὸν*, fere idem denotant, quod supra, *vers.* 37. dixerat Dominus: *ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν.* Nimirum quae dixerat Dominus partim de se, Seruatore diuinitus misso, partim de Iudaeis, eos non esse Abrahami posteros genuinos, nedum Dei filios, ea profecto vix ferre et concoquere poterant, Iesum audientes, multo minus assensu probare. Cuius rei causae erant, praeter animorum malignitatem et pertinaciam, partim opiniones eorum peruersae, partim odium, aduersus Dominum conceptum. Quisquis opinionibus praeconceptis occupatus est, easque tenaciter propugnat, et odio tenetur aduersus doctorem aliquem, is assensum ei praebebit nullo modo, immo vero repudiabit eum atque contemnet. Caeterum vocabula: *λόγος* et *λαλιά*, sibi aequipollent, vt supra *Cap. IV*, 42.

---

*) Verbum *ἥκω* in tempore praesenti habere fere semper significationem temporis praeteriti, diximus ad *Cap. IV*, 47. Igitur temere taxatus est interpres Vulgatus, qui hoc verbum hoc loco reddidit: veni.

In antecedentibus Iudaei iactauerant Abrahamum suae gentis auctorem, et Deum ipsum patrem suum, se autem Abrahami et Dei ipsius filios. Sed Dominus, eos nec Abrahami, nec Dei filios esse, ostendit *versiculo quarto et quadragesimo*, immo vero diaboli. *Vos*, inquit, *prognati estis ex patre diabolo, eiusque ingenium cum voluptate imitamini; is fuit auctor mali inter homines ab initio, nec verum amat, immo alienissimus est a vero; quando mentitur, pro suo ingenio mentitur, quippe mendax est et mendacii parens.* Quo quidem profecto dicere poterat Dominus neque acerbius aliquid in Iudaeos, neque verius. Etenim formula: *ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου εἶναι*, idem denotat, quod: *τέκνον τοῦ διαβόλου εἶναι*, et: *τὸν πατέρα ἔχειν διάβολον*, nimirum: *exprimere ingenium et mores diaboli, ei similem esse quoad sentiendi agendique rationem, indolis diabolicae esse*; opponiturque formulae: *τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ εἶναι*, *vers.* 39. Abrahamo similem esse; et: *ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι*, *vers.* 47. indolis diuinae esse. Vtraque formula: *ἐκ τοῦ διαβόλου εἶναι*, et: *ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι*, legitur 1. *Io. III*, 8. *sqq.* ibique distinguuntur *τέκνα τοῦ διαβόλου* et *τέκνα τοῦ Θεοῦ*. Atque et Dominus haec ipsa: *ὑμεῖς ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ*, explicauit hoc modo: *καὶ τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν*, imitamini patris vestri sensus, studia, consilia, facta; et quidem libenter et cum voluptate; quod exprimitur per verbum: *θέλετε*, de quo verbi *θέλειν* significatu vidimus ad *Cap. VI*, 21. Igitur similes sunt praui homines diabolo, quatenus sentiunt et agunt, quemadmodum diabolus sentit et agit. Vnde peccata dicuntur *ἔργα τοῦ διαβόλου*, 1. *Io. III*, 8. quoniam sunt facta eiusmodi, cuiusmodi sunt facta mali genii.

Sed descripsit quoque Dominus ingenium et indolem diaboli, ostenditque, quatenus Iudaei similes ei essent, eiusque mores imitarentur. Ille nempe necem intentauit hominibus; Iudaei necem moliebantur Do-

mino. Ille veri osor est, amans fraudis et erroris; Iudaei verum oderunt, quod tradebat Dominus, et amabant errorem. In his duabus rebus Iudaei imitabantur exemplum mali genii. Is enim primum fuit *ἀνθρωποκτόνος*, per quod vocabulum intellexit Dominus non, vt nonnullis placuit: inimicum hominibus, qui alterum odit eique insidias struit, sed quem proprie dicimus homicidam, qui alteri mala grauissima infert, atque adeo ipsa vita eum priuare non dubitat. Plane eodem significatu atque ex hac ipsa loquendi consuetudine Domini vsurpauit hoc vocabulum Ioannes, 1. *Ep. III*, 15. in quo loco oriretur tautologia admodum frigida, si volueris accipere de homine, inimico alteri, odio eum persequente, quippe quod verbis prioribus exprimitur: *ὁ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ*, sed inimicus alteri comparatur cum homicida, diciturque non melior esse, quam homicida; ac profecto homo eiusmodi similis est homicidae, partim ratione grauitatis peccati, quae intelligitur ex pernicie, quam infert alteri, partim ex grauitate poenae. Appellauit autem Dominus malum genium *ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἀρχῆς*, ab initio rerum; quemadmodum 1. *Io. III*, 8. peccasse dicitur *ἀπ' ἀρχῆς*, videturque Dominus respexisse sine dubio ad primum primorum hominum peccatum, ad quod non improbabiliter statuitur eos sollicitasse malus genius mendacio et astutia sua, atque ita auctor extitisse vniuersae miseriae humanae, inprimisque mortis; atque is denotatur vocabulo: *ἀνθρωποκτόνος*, nimirum, auctor miseriae et mortis hominum. Saltem alia res facti, ad quam respexisse dici possit Dominus, et quare hoc nomine appellauerit malum genium, commemoratur in Scripturis nuspiam. Fuit quidem haec opinio Iudaeorum, per inuidiam diaboli peccatum venisse in mundum, vt intelligi potest vel ex loco *Sap. Sal. II*, 24. eam tamen opinionem a Iudaeis fuisse excogitatam, adeoque falsam, certe dubiam, Dominumque se ad eam tantum

accommodasse in hoc loco, dici profecto non potest, propterea, quoniam Dominus eam probauit; quod facere nec debuisset, nec potuisset, si falsa esset. Deinde vero quando subiecit haec: καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν, dixit aliquid amplius. Nempe non tantum olim peccavit malus genius, fuitque a vero alienissimus, sed ne nunc quidem est melior, inde ab eo tempore non rediit ad frugem; vt olim pessimus fuit, et veri osor, et erroris sectator, ita quoque nunc. Vsque ad hodiernum diem non stat *) in veritate, alienissimus est ab eo, quod est verum, rectum, bonum, salutare, vicissim vero occupatus omnis generis falso, malo, noxio in primis saluti humanae. Nam quando ἡ ἀλήθεια et τὸ ψεῦδος sibi opponuntur, illud exprimit omne, quod est verum, bonum, spectans in specie ad salutem hominum; hoc autem omne, quod est falsum, malum, et nominatim saluti humanae noxium. Vnde λαλεῖ τὰ ψεῦδος, est: mentitur, mentitus est olim, cum induceret homines primos in perniciem; et tum quidem ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, hoc est: pro indole sua loquitur. Nam τὰ ἴδια idem videntur significare, quam ἰδίωμα; suum cuiusque ingenium, et indolem animi; atque adeo λαλεῖν ἐκ τῶν ἰδίων, est: loqui pro ingenio suo, pro indole sua, vti conuenit ingenio cuiusque; qui versatur in errore, errores profert; qui mendax est, mentitur; qui fraude vtitur, alios per fraudem inducere tentat in perniciem. Quare subiecit Dominus haec: ψεύστης ἐστὶ, mendax est, atque adeo πατὴρ τοῦ ψεύδους, parens, dux et auctor peccati, omnisque omnino mali, atque exemplum fraudis et mendacii, hactenus nempe, quatenus mendacio suo primos homines pertraxit ad peccandum, deditque pri-

---

*) Etenim verbo: ἕστηκα, nunquam exprimitur tempus praeteritum, sed semper praesens: *sto*. Sic quoque LVTHERVS semper reddidit, v. c. *Cap. I*, 26. *Apoc. III*, 20. praeterquam in hoc vno loco.

unum exemplum, quantum quidem scimus, mendacii et fraudis; quod imitantur, cuique similes sunt, quicunque peccata, mendacia et fraudes committunt. Sunt quidem, qui putent, malum genium dici πατέρα τοῦ ψεύδους hactenus, quatenus Iudaeos, quibuscum Dominus loquebatur, incitauerit ad repudiandum Iesum, atque adeo interficiendum, aut nunc quoque pelliciat ac sollicitet ad errores et fraudes; verum id non inest in hoc loco. Iudaei isti oderunt verum, errorem sequebantur, non incitati a malo genio, sed ad exemplum eius; hactenus ei erant similes, quatenus imitabantur eius indolem et ingenium.

Ac propterea fidem habere Domino non poterant; Iesus verum tradebat, isti oderunt verum; Iesus errores confutabat, isti erroribus erant occupati, eosque tenebant adeo tenaciter, vt facilius Iesum eiusque salutem respuerent, quam errores istos eripi sibi paterentur et ex animis dimitterent. Malum genium sequebantur, non Iesum. *Ego*, inquit, *qui trado vobis, quae vera sunt, fidem apud vos non reperio.* Etenim per τὴν ἀλήθειαν intellexit rursus, vt *vers.* 32. ea, quae modo tradiderat de se, Seruatore hominum, a Patre misso in has terras; hanc enim κατ᾽ ἐξοχὴν appellare solitus est τὴν ἀλήθειαν, quoniam est veritas optima maxima.

Ac non nisi verissima esse, quae iis tradidisset, eius rei caussa prouocat ad eorum ipsorum iudicium. *Quis vestrum*, ait, *vllius me fraudis potest conuincere?* Etenim vocabulum ἁμαρτίας in hoc loco non denotare peccatum, seu male factum, sed fraudem et errorem, et contextus postulat, et vsus loquendi permittit. Nam est idem, quod *vers.* 44. dicebatur ψεῦδος, opponiturque in hoc versiculo τῇ ἀληθείᾳ, quae sunt vera et a fraude aliena; atque haec se tradidisse, dicere volebat Dominus, vicissim autem suspicionem amoliri, se fraude vti et impostura in docendo. Atque hoc significatu vocabulum ἁμαρτίας, quo denotat errorem et fraudem, occur-

rit quoque apud scriptores graecos, e quibus exempla commemorarunt RAPHELIVS in *notis Herodot.* et KYPKIVS ad hunc locum; Latini quoque et ipsi *peccata* dixerunt pro errore, et *peccare* pro: errare. Sed quoniam sibi conscius erat Dominus, ipsi impingere posse neminem fraudem, aut errorem in docendo, propterea subiecit: *si, quae vera sunt, trado vobis, quare mihi denegatis fidem? quisquis est filius Dei,* (quales iactatis vos, *vers.* 41.) indolisque diuinae, *is admittit effata Dei. Vos ea admittere non sustinetis; ergo filii Dei non estis,* sed diaboli, non diuinae indolis estis, sed diabolicae, vt dixerat Dominus *vers.* 44. Etenim ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι, idem est, ac: υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι, seu, πατέρα ἔχειν τὸν Θεὸν, *vers.* 41. cui *vers.* 44. oppositum est: ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου εἶναι. Et τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ sunt effata diuina, atque ἀκούειν τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ est: ea tanquam effata diuina admittere, probare, fidem iis habere.

Quo sermone adeo exacerbati sunt Iudaei, vt ad insana maledicta confugerent. *Tu verissime es Samaritanus,* inquiunt, *et insanis!* Erat enim conuicium acerbissimum apud Iudaeos, cum aliquem Samaritanum dicerent, itemque Gentilem, aut portitorem; formula autem: δαιμόνιον ἔχειν, denotat: insanire, insana loqui; vt vidimus ad *Cap. VII,* 20.

Hanc tam insanam impotentis irae contumeliam Dominus pro mansuetudine sua, *vers.* 49. et duobus sequentibus, ita depulit a se, vt diceret: *ego non insanio,* non insana loquor, sed vera et diuina; *veneror Patrem meum, vos vero contumeliose in me locuti estis. Ego quidem* hanc vestram contumeliam non vlciscar, *meumque honorem non vindicabo;* ne tamen putetis, vos impune contumeliis me afficere, scire debetis, *non defuturum, qui meum honorem vindicet et contumeliam vlciscatur.* Nunc dicam tantum hoc, vobisque *adsevero verissime, qui effatis meis morem gesserit, nun-*

quam esse moriturum. Breuiter haec siue locutus est Dominus, siue Ioannes narrauit. Nempe vt amoliretur Dominus insanam illam contumeliam, prouocauit ad Patrem suum. Ego, inquit, *τιμῶ τὸν πατέρα μου*, quod idem est, ac quod supra *vers.* 29. dixerat, *τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε*, facio semper non nisi, quae Pater mihi mandauit, quaeque ei grata sunt atque accepta, vt explicauerat *vers.* 38. *ἃ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρί μου, λαλῶ*, et *vers.* 40. *τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λαλῶ, ἣν ἤκουσα παρὰ τοῦ Θεοῦ*, et *vers.* 55. *τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ·* quibus omnibus docere voluit, se insana non proferre, vt calumniabantur Iudaei, sed a Patre *mandata*, eique grata et accepta, adeoque vera ac diuina. Hoc enim est; *τιμᾷν τὸν πατέρα*, talique modo Dominus venerabatur Patrem, dum et doceret et faceret, non nisi quae Patri placerent, atque ita gloriam Patris, hoc est, eius consilia sapientissima et benignissima de salute hominum illustraret. Conf. *Cap. XVII*, 4. Inde vero facile intelligere poterant Iudaei, quantopere peccassent, cum probris adeo atrocibus afficerent Dominum. Deinde ostendit, hanc eorum contumeliam non sibi, quam potius ipsis noxam allaturam esse, et, nisi resipuerint, exitium certissimum. Ego, inquit, non opus habeo, vt quaeram celebritatem nominis; est Pater meus, qui eam quaeret, qui efficiet, vt innotescat mea dignitas et auctoritas, multisque modis comprobabit, me esse Filium ipsius et ad homines legatum, qui vero etiam iudicabit dignitatem meam, hoc est, eius contemtores afficiet poenis, quemadmodum eam agnoscentes praemiis ornabit. Vtrumque enim exprimi constat vocabulo *κρίνειν*, et poenas, et praemia decernere. Denique promissionem subiecit, notatu longe dignissimam, nimirum hanc: *non peribit vnquam, immo vero beatissimus erit in omnem aeternitatem, quicunque effatis meis obtemperauerit.* Etenim per *τὸν λόγον τὸν ἐμὸν* intellexit Dominus non doctrinam suam in vniuersum, vt plerique

fuisset, si vidisset diem meum; immo vidit et laetatus est,

Quae hic de Abrahamo dixit Dominus, varie explicata esse constat omni tempore; vt videri potest apud interpretes. Maxime tamen probabilis semper nobis visa est interpretatio ea, quam modo indicauimus, quippe vsui loquendi et orationis seriei reique ipsi admodum conueniens. Ac primum quidem in promtu est, formulam: *ἰδεῖν τὴν ἡμέραν τινὸς*, in omnibus linguis denotare; tempus alicuius viuendo attingere, videre aliquem viuentem, agentem, versantem inter homines, breuiter: viuere cum aliquo. Igitur diem Christi videre, est: tempus Christi viuendo attingere, viuere eo tempore, quo Christus vixit. Hinc facile patet, verbum *ἠγαλλιάσατο* reddi non posse: laetabatur, nec sensum esse: *Abrahamus laetabatur*, quod hoc ipso tempore vixit, me vidit, me audiuit; quod per se patet; reddendum potius esse: *laetatus fuisset*; quod non offendet quenquam, linguae graecae peritum; particulam autem *ἵνα* positam esse pro: *ὅτι*, quod itidem fit saepius. Deinde probe tenendum est discrimen inter τὸ· *ἰδεῖν* et τὸ· *εἰδέναι*, quae nimirum differunt sic, vt illud dicatur de sensu externo, hoc de interno, atque adeo illud denotet: oculis aliquid cernere, hoc vero: mente et intelligentia aliquid percipere. Hoc discrimen etsi non semper seruarunt scriptores, sacri et profani, hoc loco tamen nullo modo est negligendum, quoniam multum facit ad sensum huius loci reperiundum. Etenim verborum: *ἠγαλλιάσατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν*, sensus est hic: laetatus fuisset, si ei contigisset, me viuentem in his terris oculis videre, vt tum Iudaei videbant; sequentium autem: *καὶ εἶδε*, hic sensus est: mente et animo videbat, scilicet: *τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν*, tempus vitae meae in his terris, exspectabat aduentum meum; atque vel hoc ei magnam laetitiam creauit. Nec offendere debet quenquam, quod dixit Dominus, Abra-

hamum mente percepisse dies futuros Messiae. Nam *Hebr. XI*, 13. idem Abrahamus, itemque Sara, Isaacus et Iacobus dicuntur laetati fuisse, *μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀλλὰ πόῤῥωθεν αὐτὰς ἰδόντες*, quoniam, quamvis bona promissa non accepissent, eorum tamen euentum tanquam e longinquo vidissent; viderunt e longinquo tanquam nautae, terram procul adspicientes; qua similitudine vsi sunt interpretes veteres in explicando hoc loco, nominatim CHRYSOSTOMVS. Quod igitur in hoc loco de Abrahamo et reliquis fidelibus V. T. dicitur: bona promissa non quidem acceperunt, sed viderunt e longinquo, et iam propterea gauisi sunt, id in hoc nostro loco est: *εἶδε καὶ ἐχάρη*. Deinde quod attinet ad orationem contextam, facile quisque videt, Dominum haec dixisse non sua causa, sed propter Iudaeos, ad confutandam eorum et superbiam vanamque gloriam, et *ἀπιστίαν*, et instituere voluisse comparationem inter Abrahamum et Iudaeos sui temporis, atque exemplo confirmare, quod dixerat *vers*. 39. *et* 40. non esse illos nepotes Abrahami genuinos; tales si essent, sequerentur exemplum Abrahami, essentque ei similes in fide et obedientia; immo vero eos illi esse dissimillimos; quippe qui fidem et obedientiam Deo ipsi denegarent, necem adeo intentarent ei, qui doceret, quae accepisset a Deo, atque ita facerent, quae Abrahamus facturus fuisset nullo modo. Disserebat igitur in hanc sententiam: vos sine fine iactatis Abrahamum patrem, cui tamen estis dissimillimi; vos nihili facitis, et ne agnoscitis quidem, immo contemnitis, quod viuere vobis contigit hoc tempore, quo ego versor inter vos, quo expono vobis consilia diuina de salute hominum, quo peruenire potestis ad hanc salutem; Abrahamus vero o quantopere laetatus fuisset, sibique gratulatus, si ipsi contigisset, hoc meo tempore viuere, videre, quae videtis vos, audire, quae vos auditis! Etenim iam de iis laetatus est maximopere, quae de me vidit eminus mente et cogitatione, et cognouerat

de me et euentura esse sperabat; quid facturus fuisset, si haec oculis suis vidisset et auribus audiuisset!

Caeterum interpretatio GROTII, quam innuisse iam olim videtur NONNVS, quamque secuti sunt interpretes egregii, quoad sensum non est improbabilis, cum scilicet verbum ἀγαλλιᾶσθαι explicatur sic, vt denotet: desiderare cum laetitia, siue: laetari cum exspectatione, atque adeo sensus sit hic: Abrahamus laetabundus desiderauit videre tempora mea; siue: laetatus est, exspectans, se visurum esse me in his terris, sperauit, fore, vt me videat viuentem versantemque inter homines. Sane non absonum est, statuere, Abrahamum haec optasse et desiderasse, in primis cum ipsi peculiares promissiones factae essent, ex posteris ipsius nasci debere eum, qui salutem allaturus sit omnibus gentibus terrae; *Gen. XVIII*, 18. *XXII*, 18. coll. *Gal. III*, 8. cumque Dominus diserte profiteretur, multos reges multosque prophetas olim desiderasse videre, quae viderent discipuli, et quae audirent, audire. *Matth. XIII*, 17. *Luc. X*, 24. Sed duo sunt, quae saltem dubiam reddere videantur hanc interpretationem. Primum est significatio, quae tribuitur verbo ἀγαλλιᾶσθαι, scriptoribus graecis plane insolens, apud quos nunquam denotat: optare, cupere, sed semper: exultare, laetari. Illam quidem significationem repetere solent interpretes, veluti WOLFIVS, *in Curis ad h. l.* et qui ab eo laudantur, ex consuetudine loquendi Hebraeorum, secundum quam vno verbo duplex notio exprimitur. Ac sunt verba eiusmodi, *praegnantia* dici solent a Grammaticis, quae praeter solitam significationem aliam continent, eamque maiorem, intelligendam ex oratione contexta; quorum verborum magnum numerum congesserunt, quos laudauit WOLFIVS l. c. Verum eiusmodi verba nunquam posita reperiuntur simpliciter, vti hoc loco verbum ἀγαλλιᾶσθαι, sed vel per se ita comparata sunt, vt ac-

cessionem significationis patiantur, vel semper additam habent praepositionem, aut vocem aliam, vnde notio aduenticia colligi possit. Enimuero neque verbum ἀγαλλιᾶσθαι necessario continet notionem desiderii, aut exspectationis, nam cum desiderio, aut exspectatione laetamur non necessario, neque habet hoc loco additamentum, quod indicio esse possit, ei inesse hanc notionem. Nam indicium eiusmodi et argumentum verbi alicuius omissi reperiri in particula ἵνα, quae finem declaret, ad quem mens intenta sit, vt idem WOLFIVS existimauit, id sine causa certa dicitur, cum satis constet, τὸ· ἵνα et ὅτι inter se permutari centies. In vniversum obseruatio Grammaticorum de verbis praegnantibus, emphatica quoque solent dici, magnam cautionem habet. Nam altera notio, quam eiusmodi verbis tribuendam esse putant, non in verbo ipso latet, vt loqui solent, sed accedit extrinsecus et ex orationis serie arcessenda est, aut causa eius repetenda, saltem interdum, ex loquendi vsu, nondum satis exculto. Deinde vero obstare videntur huic interpretationi verba sequentia: καὶ εἶδε καὶ ἐχάρη, quibus indicatur, Abrahamum non tantum optasse et desiderasse, videre dies Messiae, sed vere vidisse et laetatum fuisse. Nonnulli etiam permultis difficultatibus se impediuerunt, qui negarent, intelligi dies vitae Christi in hac terra, quos Abrahamus cum laetitia mente cogitationeque praeuidisset, adeoque definire tentarent, quid et quemnam diem Abrahamus vidisse dicatur, intelligentibus aliis diem excisionis Sodomae et Gomorrae, cuiusmodi profecto dici solent dies Dei, aliis natiuitatem Isaaci, aliis eiusdem immolationem, aliis ad vitam futuram referentibus, sic: vidit diem natiuitatis Christi in sedibus beatorum; quae omnia profecto admodum dubia sunt, nisi plane incerta.

Ac Iudaei quidem recte intellexerunt Dominum, eiusque verba interpretabantur non aliter, quam vt indicare vellet, se cognitum iam fuisse Abrahamo, hunc-

que ex ea cognitione insignem laetitiam cepisse; modo quod Dominus de cognitione mentis dicebat intelligique volebat, ad externum adspectum trahebant, nihil aliud suspicantes, quam Iesum esse hominem merum, nec ante fuisse, quam de Maria nasceretur. *Quid?* inquiunt, *nondum natus es annos quinquaginta et vidisti Abrahamum,* mortuum ante tot aetates? Hic non opus videtur quaerere, quare Iudaei dixerint, et dicere potuerint, Iesum nondum attigisse annum aetatis quinquagesimum, cum vix tricesimum excessisset; satis est, scire, numerum certum pro incerto positum esse.

Ad quam Iudaeorum quaestionem responsum dedit Dominus longe illustrissimum ad intelligendam eius maiestatem. Isti offenduntur sermone Domini, cum diceret, se iam Abrahamo cognitum fuisse, ἀδύνατον putantes, eum illius tempore extitisse. Sed Dominus, *sanctissime vobis confirmo*, inquit, *antequam Abrahamus esset, fuisse me.* Quibus verbis Dominus aliud quid indicare non potuit, quam hoc, se extitisse non modo tempore Abrahami, sed etiam ante eius tempora; aliter enim, nisi manifeste vim iis inferre volueris, explicari nullo modo possunt. Etenim verbum vtrumque, et γενέσθαι, et εἶναι, in promtu est, denotare: esse, existere. Itaque quod de Abrahamo dicitur, idem quoque dicitur de Domino. Vt de Abrahamo est intelligendum, ita de Domino quoque. Iam Iudaei quando quaerunt, quomodo Abrahamum videre potuerit nondum quinquagenarius, intelligere aliud quid non poterant, nisi hoc, quomodo esse potuerit tempore Abrahami. Vt vero obiiciunt illi, ita respondet Dominus. Illi negant, eum esse potuisse Abrahami tempore; Dominus affirmat; neque tantum affirmat, sed addit etiam aliquid amplius, scilicet, se fuisse non tantum tempore Abrahami, sed adeo etiam ante Abrahamum.

Quando autem verus est siue Dominus, siue Ioannes praesenti tempore: εἰμὶ, id nullam dubitationem habere potest apud virum doctum; est enim notissimum cuique, cum in aliis verbis, tum in primis etiam in verbo εἰμὶ, tempus praesens positum esse pro praeterito sexcentis in locis non tantum N. T. et apud ipsum Ioannem, veluti *Cap. I*, 19. *IX*, 8. *XIV*, 9. *XV*, 27. sed etiam in Vers. Alexandrina, vt *Ps. XC*, 2. *Prou. VIII*, 25. *Ier. I*, 5. Quamuis etiam nemo refragetur, si quis tempus praesens vrgere vellet; nam et illud sensum commodum habet, nimirum hunc: antequam Abrahamus erat, ego sum. Quare negari nullo modo potest, Dominum his verbis declarasse, se fuisse ante saecula. Neque id mirum videri potest cuiquam, qui non tantum alia loca N. T. in quibus idem dicitur de Domino, sed hoc vnum Euangelium legerit. Etenim quem Ioannes diserte docuit fuisse ante initia mundi, et apud Deum fuisse et Deum ipsum esse et creatorem vniuersi; *Cap. I*, 1. 2. qui palam professus est, se fuisse in coelo, sed de coelo descendisse, et vidisse Patrem et audiuisse, eiusque arcana consilia nosse; *Cap. III*, 13. *VI*, 46. 62. *VII*, 29. qui denique testatur in precibus ad Patrem, se habuisse apud eum gloriam ante mundum conditum; *Cap. XVII*, 5. eum dubitari nullo modo potest, fuisse non modo ante Abrahami tempora, sed etiam ante initia mundi.

Fuisse tamen constat interpretes inde a *Sam. Crellio*, et esse cum maxime, qui hoc Domini effatum in sensum alienum detorquere tentarent. Is enim cum statueret, Iesum non fuisse, antequam nasceretur ex Maria, eiusque diuinam naturam negaret, admittere illam interpretationem nullo modo poterat, immo vero omni modo egit hoc, vt ostenderet, Dominum ipsum hoc effato nullo modo intellexisse, intelligique voluisse existentiam suam, vt dicunt, quoad naturam, sed tan-

tum quoad destinationem diuinam, atque adeo dixisse nihil aliud, nisi hoc: antequam Abrahamus fuit, fui ego, scilicet Messias, ex consilio et decreto diuino. Quae quidem interpretatio quoad sensum nihil habet, vero contrarium. Nam vt aeterna sunt decreta Dei omnia, ita et hoc, vt Iesus esset Messias, vt nasceretur ex Maria, vt viueret in his terris et mortem subiret, vtque adeo esset decreto diuino humani generis seruator ab aeterno. Sed quaeritur, num hoc insit in effato Domini, numque hanc interpretationem admittant verba ipsa orationisque series et natura rei; quod interpres eruditus et ingenuus nullo modo concesserit. Etenim primum qui sequuntur hanc interpretationem, addunt aliquid verbis Domini: ἐγώ εἰμι, scilicet: ὁ Χριστὸς, seu: ὁ ἐρχόμενος Χριστός. Sed num iure addunt, an pro arbitrio suo? Si volueris addere verbis alicuius aliquid, causa esse debet vel in serie orationis, vel in natura rei. Enimuero hoc loco neque in serie orationis, neque in natura rei est aliquid, quod permittat, subintelligere nomen: *Χριστὸς*, Messias; neque enim hic sermo est de dignitate Iesu Messiana, sed de eius existentia ante Abrahamum; immo potius inest in hoc loco, quod exigat, vt verba Domini interpreteris sic: ego fui, antequam esset Abrahamus. Nam praecedit obiectio: tua aetas non patitur, vt Abrahamum videris; negabant igitur, Iesum fuisse tempore Abrahami. Iam sequitur responsio: *fui, antequam Abrahamus esset.* Quod est in obiectione, idem quoque est et esse debet in responsione. Prouocant quidem, et nominatim *Sam. Crellius, ad vers.* 24. vbi verba: ἐγώ εἰμι, pari modo intelligenda et explicanda sint, nimirum sic: ego sum, quem dixi, Messias. Verissime! Sed hanc explicationem horum verborum patitur in illo loco, atque adeo postulat series orationis; etenim ibi Dominus loquitur non de existentia sua, vt hoc verbo vtar, sed de missione sua diuina, vultque fidem haberi iis, quae

dixerat, se esse eum, quem professus esset. Verum in hoc nostro loco non de missione et opere Domini, sed de eius natura sermo est, non de Iesu Messia, sed de Iesu, qui tempore Abrahami vixerit, immo vero secundum naturam suam extiterit diu ante Abrahamum. Commemorant etiam alia loca, ex quibus probari posse putant, verba: ἐγώ εἰμι, habere significationem hanc: ego fui Messias; nimirum *Cap. IV*, 26. *VI*, 20. *IX*, 9. 10. *XIII*, 3. 19. *XVIII*, 5. sed in his locis pari modo se res habet, vt in illo. Afferunt denique locum *Cap. XVII*, 5. eumque interpretantur sic: tribue mihi gloriam, quam habui ante mundum conditum apud te, *in mente tua, tua destinatione, tuo decreto.* Sed haec rursus adduntur pro mero arbitrio; certe in serie orationis est causa nulla, quare necesse sit, eiusmodi quid subintelligere, et de euentu futuro interpretari, quod de re praeterita dicitur; nec verba ipsa permittunt, vt sumi possit, quod quis habuisse dicatur, et quidem ante mundum conditum, ei tantum esse destinatum.

Profecto nunquam incidissent in eiusmodi interpretationes, adeo contortas, nisi eas studiose quaesiuissent, et effata Scripturarum conciliare voluissent cum sua opinione, Iesum esse hominem merum. Sed hoc ipsum admonere eos debuisset sui erroris. Dominus diserte dicit, se fuisse ante Abrahamum, gloriam habuisse ante mundum conditum; dicit hoc verbis adeo perspicuis, quae aliam interpretationem nullo modo admittant. Quae autem dixit de se, dicere quoque potuit. Nec dixit hic aliquid, quod non arctissime cohaereret cum reliquis eius effatis, et Ioannis testimoniis de maiestate Iesu, in hoc Euangelio commemoratis, iisque adeo luculentis, vt caput doctrinae de natura Iesu diuina exstirpari ex hoc libro nullo vnquam modo possit. Aut quid tandem esset, quod sibi voluisset Dominus, si nihil

Z 2

aliud dixisset, quam hoc, se destinatum esse ad munus Messiae ante tempora Abrahami, immo ante rerum initia? Quis tandem de eo dubitaret vnquam? Quis demum diceret, Ieremiam fuisse, antequam nasceretur, cum dicitur selectus esse et destinatus ad munus propheticum iam ante natiuitatem suam? Aut quis nostrum diceret, se fuisse ante Abrahamum, ante Adamum, ante saecula, quoniam dicimur selecti esse a Deo ad vitam aeternam ante mundum conditum? Cur denique audito hoc effato Domini ira Iudaeorum adeo exarsit, vt lapides in eum coniicere tentarent? Scilicet quoniam illud aliter non intelligebant, nec intelligere poterant, quam Dominum profiteri, se fuisse ante Abrahamum, sibique adeo vindicare aeternitatem, soli Deo propriam; quod insanum atque adeo blasphemum videbatur crassae illi multitudini, quae haberet Dominum pro mero homine mortali.

Etenim Iudaei, cum haec audiuissent, *sublatis lapidibus eum obruere aggressi sunt. Iesus autem*, non quod illorum violentiam metueret, sed quoniam vim adhibere nollet, siue potius tutelae diuinae sibi conscius esset, *clanculum e templo discessit*, nemine inimicorum animaduertente, et noxam ei inferente, circumcingente eum multitudine, ei amica. Verba, quae sequuntur: διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν καὶ παρῆγεν οὕτως, *per medios illos transiens*, se subduxit eorum furori, glossatorem redolere visa sunt viris, rei criticae peritis, et translata in hunc locum ex *Luc. IV*, 30. et initio Capitis sequentis, addita autem explicandi causa, neminem ausum fuisse, damnum inferre Domino.

Sed hos sermones, habitos in loco publico cum magistris Iudaeorum et viris principibus, in quibus palam et verbis disertis declarauerat, se esse totius generis hu-

mani Seruatorem, *φῶς τοῦ κόσμου*, qui fuerit ante saecula, a Patre autem missus sit in hanc terram, cui qui fidem habuerit, non periturum in aeternum, sed vitam perpetuam consecuturum, hos igitur sermones illustrissimos literis consignauit Ioannes non alio consilio, quam vt intelligeret quisque ex ipso ore Iesu, quisnam sit, quemnam se professus fuerit ipse et haberi voluerit, nempe quem in praefamine huius libri esse docuerat, Filium Dei et salutis humanae instauratorem verissimum.

CAPVT IX.

Neque alio consilio commemorauit D. Ioannes in hoc et sequente Capite opus illustrissimum, a Domino illo ipso tempore editum, disputationemque et controuersiam, inter ipsos Iudaeos super hoc opere ortam, in primis autem sermones Domini, per hanc occasionem habitos.

Etenim templo egressus in vrbem redire volebat. *Inter eundum incidit in hominem, inde a natalibus coecum,* sedentem ad viam et, vt patet ex *versu octauo,* mendicantem. Neque enim sine causa inde a natiuitate coecus fuisse dicitur iste, sed vt intelligatur eo magis vis et potentia Domini in eo sanando, quoniam humana ope insanabile solet esse eiusmodi vitium. *Discipuli,* illum conspicati, *quaerunt magistrum, quisnam peccando commiserit, vt coecus nasceretur, hicne, an parentes eius?* Dum ita quaerunt discipuli, eos patet occupatos fuisse opinione, inter Iudaeos dominante, nimirum omne corporis vitium ex animi vitio nasci, omninoque grauia delicta puniri a Deo in his terris malis grauioribus, immo poenas quoque delictorum, a parentibus commissorum, in liberos transferri et ab iis repeti, atque adeo eiusmodi mala et calamitates insigniores esse poenas diuinas, immissas propter peccata grauiora vel ab iis ipsis, vel a parentibus commissa; nam eiusmodi peccatum exprimitur h. l. verbo *ἁμαρτάνειν.* Fuerunt interpretes, ex recentioribus in primis HEVMANNVS, et BRVCKERVS *in Opere bibl. Britann.* qui existimarent, in hac quaestione discipulorum respiciendum esse ad *μετεμψύχωσιν* Pythagoreorum, existimantium, animas mortuorum hominum transmigrare in corpus aliud, et, si quod scelus commisissent

in corpore priori, id puniri in corpore altero; hanc opinionem autem Iudaeos quoque probasse, atque adeo etiam discipulos in animo habuisse, cum quaererent, num hic graue aliquod delictum commiserit, antequam nasceretur. Sed plane incertum est, hanc opinionem Iudaeis cognitam fuisse et probatam, vt ex instituto demonstrauit FRID. GVIL. SARTORIVS in *Commentat. crit. de Metempsychosi Pythagorica a discipulis Christi et Iudaeis non credita, Lubbenae* 1760. Nec necesse est, anxie quaerere, quomodo dicere potuerint discipuli, peccata illius hominis causam fuisse, vt nasceretur coecus; sufficit scire, eos putasse, illius hominis caecitatem natam esse ex scelere aliquo, aut animi vitio. Neque aliud quid cogitandum est in responsione Domini, cum diceret, *neque huius, neque parentum eius culpa ei malum illud accidisse*, sed voluntate Dei sapiente et benigna, in omnibus operibus eius conspicua. Etenim vltima verba: ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ, *vt manifesta fierent in eo opera Dei*, non referenda videntur esse ad hominem coecum in specie, cui voluit Dominus opem ferre et videndi facultatem tribuere; tanquam dicere voluisset, istius hominis coecitatem sibi occasionem praebere, opus aliquod diuinum edendi, seu demonstrandi, Deum eiusmodi quoque homines miseros ope sua non destituere, beneficiisque suis exhilarare; videntur potius continere sententiam generalem, nil accidere hominibus, nisi nutu diuino, atque adeo coecitatem illius esse opus Dei. Etenim opera Dei manifesta fiunt, quando agnoscuntur tanquam opera Dei, et sapientia ac benignitas, in iis conspicua, intelligitur. Ita quoque manifesta fiunt opera Dei in homine, inde a natiuitate coeco, si agnoscimus in eo Deum eiusque gubernationem sapientem et benignam. Quare Domini responsio ad quaestionem discipulorum est haec: non existimandum est, mala eiusmodi, veluti hoc, quando aliquis coecus nascitur,

CAPVT IX.

Neque alio consilio commemorauit D. Ioannes in hoc et sequente Capite opus illustrissimum, a Domino illo ipso tempore editum, disputationemque et controuersiam, inter ipsos Iudaeos super hoc opere ortam, in primis autem sermones Domini, per hanc occasionem habitos.

Etenim templo egressus in vrbem redire volebat. *Inter eundum incidit in hominem, inde a natalibus coecum*, sedentem ad viam et, vt patet *ex versu octauo*, mendicantem. Neque enim sine causa inde a natiuitate coecus fuisse dicitur iste, sed vt intelligatur eo magis vis et potentia Domini in eo sanando, quoniam humana ope insanabile solet esse eiusmodi vitium. *Discipuli*, illum conspicati, *quaerunt magistrum, quisnam peccando commiserit, vt coecus nasceretur, hicne, an parentes eius?* Dum ita quaerunt discipuli, eos patet occupatos fuisse opinione, inter Iudaeos dominante, nimirum omne corporis vitium ex animi vitio nasci, omninoque grauia delicta puniri a Deo in his terris malis grauioribus, immo poenas quoque delictorum, a parentibus commissorum, in liberos transferri et ab iis repeti, atque adeo eiusmodi mala et calamitates insigniores esse poenas diuinas, immissas propter peccata grauiora vel ab iis ipsis, vel a parentibus commissa; nam eiusmodi peccatum exprimitur h. l. verbo *ἁμαρτάνειν*. Fuerunt interpretes, ex recentioribus in primis HEVMANNVS, et BRVCKERVS *in Opere bibl. Britann.* qui existimarent, in hac quaestione discipulorum respiciendum esse ad *μετεμψύχωσιν* Pythagoreorum, existimantium, animas mortuorum hominum transmigrare in corpus aliud, et, si quod scelus commisissent

in corpore priori, id puniri in corpore altero; hanc opinionem autem Iudaeos quoque probasse, atque adeo etiam discipulos in animo habuisse, cum quaererent, num hic graue aliquod delictum commiserit, antequam nasceretur. Sed plane incertum est, hanc opinionem Iudaeis cognitam fuisse et probatam, vt ex instituto demonstrauit FRID. GVIL. SARTORIVS in *Commentat. crit. de Metempsychosi Pythagorica a discipulis Christi et Iudaeis non credita*, *Lubbenae* 1760. Nec necesse est, anxie quaerere, quomodo dicere potuerint discipuli, peccata illius hominis causam fuisse, vt nasceretur coecus; sufficit scire, eos putasse, illius hominis caecitatem natam esse ex scelere aliquo, aut animi vitio. Neque aliud quid cogitandum est in responsione Domini, cum diceret, *neque huius, neque parentum eius culpa ei malum illud accidisse*, sed voluntate Dei sapiente et benigna, in omnibus operibus eius conspicua. Etenim vltima verba: ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ, *vt manifesta fierent in eo opera Dei*, non referenda videntur esse ad hominem coecum in specie, cui voluit Dominus opem ferre et videndi facultatem tribuere; tanquam dicere voluisset, istius hominis coecitatem sibi occasionem praebere, opus aliquod diuinum edendi, seu demonstrandi, Deum eiusmodi quoque homines miseros ope sua non destituere, beneficiisque suis exhilarare; videntur potius continere sententiam generalem, nil accidere hominibus, nisi nutu diuino, atque adeo coecitatem illius esse opus Dei. Etenim opera Dei manifestà fiunt, quando agnoscuntur tanquam opera Dei, et sapientia ac benignitas, in iis conspicua, intelligitur. Ita quoque manifesta fiunt opera Dei in homine, inde a natiuitate coeco, si agnoscimus in eo Deum eiusque gubernationem sapientem et benignam. Quare Domini responsio ad quaestionem discipulorum est haec: non existimandum est, mala eiusmodi, veluti hoc, quando aliquis coecus nascitur,

accidere vitio alicuius, aut poenae loco, sed in omnibus eiusmodi malis agnoscere oportet Deum, eiusque sapientiam, benignitatem et potentiam, aeque magnam et illustrem in malis, atque in bonis.

Subiecit deinde haec: *me oportet facere opera me mittentis, quam diu dies est; ingrui nox, qua nemo operari poterit. Quam diu in mundo sum, lux mundi sum.* Sunt autem ἔργα τοῦ πέμψαντός με vel opera, ipsi mandata a mittente, vel opera eiusmodi, cuiusmodi facit mittens ipse, opera nempe potentiae et benignitatis, quale facturus erat Dominus in homine coeco. Eiusmodi opera perficere oportebat Dominum, quam diu dies decurrebat, hoc est, quam diu tempus opportunum suppetebat eiusmodi operibus perficiendis, siue, quam diu viuere ipsi in his terris licebat, perpetuo et sine intermissione; quare idem fere diceret Dominus, quod in loco, *Cap. V*, 17. *vt pater meus operatur perpetuo, ita ego*, atque ita testaretur studium indefessum, benefaciendi hominibus, eorumque vtilitatibus inseruiendi, operibus potentiae, sapientiae et benignitatis. Subiecit quoque: *instat nox, qua operari non licet;* quod videtur fuisse tritum, inter Iudaeos vsitatum, quo indicare volebant ac docere, carpendum esse diem, occasionem bene faciendi quamcunque cupide esse arripiendam, quoque die, quaque hora bene faciendum esse; cras fortasse tempus tibi non suppetere ei negotio perficiendo, instare tempora, rebus gerendis non opportuna. Atque hinc patet, quid sibi voluerit Dominus, cum se appellaret τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Scilicet vnice se occupatum esse, ait, opera Patris perficere; haec vero fuerunt opera potentiae et benignitatis, hominibus salutaria, eratque tum, cum faceret haec verba, cum maxime occupatus in eo, vt opus eiusmodi perficeret in homine coeco. Igitur se appellauit τὸ φῶς, quoniam salutifer erat, et quidem non docendo, sed operibus diuinis perficiendis; nam sermo hic est de Do-

mino, non quatenus docebat, sed quatenus operabatur ad salutem aliorum, et operari volebat ad salutem coeci hominis. Erat porro τὸ φῶς τοῦ κόσμου, quatenus salus, quam afferre volebat, non ad certam aliquam gentem, aut aetatem pertinebat, sed ad vniuersum genus humanum. Denique erat τὸ φῶς τοῦ κόσμου, quam diu erat ἐν τῷ κόσμῳ, quoniam omnia, quaecunque in his terris non tantum docebat, verum etiam atque in primis faciebat et patiebatur, spectabant ad salutem humani generis. Igitur quando se appellauit τὸ φῶς τοῦ κόσμου, descripsit se atque annunciauit tanquam eum, qui salutem praestet humano generi, siue, tanquam salutis humanae auctorem, Seruatorem mundi; vt iam vidimus ad *Cap. I*, 4. *et VIII*, 12.

Quae cum dixisset, accessit ad coecum hominem, *spuit humi, fecitque ex sputo lutum, eoque obleuit oculos coeci, iussitque eum abire lotum in balneo, Siloam dicto, quod, si interpreteris, denotat missum. Abiit igitur, abluit* lutum ab oculis, *et videns domum rediit.* Quibus ambagibus quare vsus fuerit Dominus, et non potius, vt fecit alias, vno verbo visum restituerit coeco, quaerere solent interpretes; neque tamen facile indagari posse videtur causa satis probabilis, cum non indicata legatur esse a Ioanne. Et sane melius videtur esse, abstinere ab eiusmodi quaestionibus, quam ingenio indulgere. Sufficit, scire, sapientiae Domini ita visum fuisse. Caeterum τὴν κολυμβήθραν balneum denotare, diximus ad *Cap. V*, 2. nec vrgenda videtur esse interpretatio etymologica vocis Σιλωάμ, tanquam denotet aquam missam, id est, quae ex piscina deriuata et per fistulas, aut tubos ducta est in vrbem, seu aquae ductum; constat enim ex permultis locis Scripturarum, eiusmodi interpretationes tum fuisse vel maxime vsitatas.

Iam vicini, et qui eum viderant mendicari, quaerunt: nonne hic est ille, qui sedebat ante templum

iuxta viam, *et stipem petebat?* Videtur enim lectio: προσαίτης, alteri: τυφλὸς, omnino esse praeferenda, nisi vtraque sit glossema. *Nonnulli quidem eundem esse dicebant, alii,* qui sibi persuadere non poterant, fieri posse, vt, qui a natalibus fuisset coecus, visum acciperet, alium esse, *illi similem, ipse vero, eundem se esse, aiebat. Quaerentibus igitur, quomodo visum recepisset, respondet: quidam, qui appellatur Iesus, lutum fecit, et oculis meis illeuit, meque iussit ire ad balneum Siloam, ibique lauare oculos. Iui, laui et dispexi. Interrogantibus porro, vbi ille esset, nescire se dixit.*

Iste, nuper coecus, ducitur, iussu publico, vt videtur, *ad Senatum summum;* hic enim intelligitur per τοὺς φαρισαίους. *Fuerat autem dies sabbaticus, quo Iesus lutum fecerat, illique visum reddiderat. Atque et ibi percunctantur hominem, quomodo visum recepisset.* Quibus ille: *lutum,* inquit, saliua temperatum, *inunxit oculis meis, oculos lauabam, et dispiciebam. Tum ex illis alii declarabant, illum non esse legatum diuinum, quoniam sacros dies non seruaret; viciasim alii: si esset,* inquiunt, *homo nefarius,* ἁμαρτωλὸς, *quomodo posset edere eiusmodi miracula? Atque ita ne ipsi quidem consentiebant inter se. Sciscitabantur deinde ex coeco, quid sentiret de eo, qui ipsi reddidisset visum? Puto,* inquit, *vatem esse. Sed persuadere sibi non poterant summi Senatus assessores,* (ἰουδαῖοι, qui in antecedentibus dicebantur φαρισαῖοι, etenim in Synedrio acta sunt, quae hic et in sequentibus narrata leguntur,) *eundem esse, qui coecus fuisset et nunc videret, donec arcesserent parentes eius,* ex his rem accuratius exploraturi.

Igitur vocati sunt parentes, quos *interrogabant ita: estne hic filius vester? Potestisne dicere, eum coecum fuisse a natiuitate? Et qui accidit, vt cernat nunc? Responderunt parentes hunc in modum: scimus, hunc*

esse nostrum filium, eundemque in lucem editum fuisse coecum; sed quomodo visum acceperit, ignoramus, et, quis ei videndi facultatem dederit, nescimus. Ipse adultus est, ipsum interrogate, ipse de se profiteatur. Ita vero responderunt parentes, non, quod nescivissent, quid acciderit filio, sed *quoniam metuebant Iudaeorum principes, quippe qui* de communi consilio *iam decreuerant*, legemque tulerant, *vt, qui eum profiteri auderet Messiam, excommunicaretur.* Haec excommunicatio ducebatur apud Iudaeos magni probri loco, in primis genus grauius, quod erat in eo, vt aliquis non conuenientibus sacris, quam potius omni consuetudine et familiaritate cum Iudaeis excluderetur et a reliquorum consortio semoueretur, haberetur que non amplius pro membro populi et reipublicae Iudaicae, sed instar pagani et portitoris. Conf. *Cap. XII*, 42. *XVI*, 2. Erat igitur poena infamiae, quae adspergebatur iis, qui in crimen aliquod insigne prolapsi fuerant, in primis contra religionem et disciplinam ecclesiasticam, quasi essent execrabiles et pestilentes. Id quod metuebant parentes, ac propterea: *adultus est*, inquiunt, *ex ipso sciscitemini.* Sed legem eiusmodi quoniam promulgaverant principes, hinc non improbabiliter colligi posse videtur, permultos fuisse, qui Iesum Messiam agnoscerent, principes vero omni modo egisse hoc, vt hanc praeclaram de Iesu opinionem imminuerent, quantum possent. Iam nouum miraculum ediderat Dominus, idque praeter modum magnum et admirandum; quod non poterat non manifestum fieri omnibus; neque enim in angulo actum erat. Homo coecus notus erat cuique, cum esset mendicus, stipem petens in viis publicis a praetereuntibus. In via eiusmodi offendit eum Dominus, iubetque eum abire ad aquas, nullo miraculo nobiles. Eo abire non poterat sine vno itemque altero duce et comite, rei gestae testibus oculatis, qui vel a Iesu ipso, vel ab homine coeco audiuerant, cuiusnam

iussu et quonam consilio eo abiret. Vbi ventum est ad aquas, coecus abluit lutum ab oculis et visum recuperat, reditque domum, apertis oculis clare videns. Vicini non tantum, sed quicunque hominem nouerant, vix suis ipsorum oculis fidem habent, videre cernentem, quem vidissent coecum, sciscitanturque ex eo, qui accidisset, vt ipsi prius clausi, nunc aperti sint oculi. Hic palam narrat omnibus, ipsum interrogantibus, id sibi contigisse Iesu beneficio. Res defertur ad Senatum summum eiusque assessores, qui nunc multo magis verebantur, ne permulti, commoti nouo illo et illustrissimo Domini miraculo, non impediente interdicto, nuper promulgato, Iesum tanquam Messiam agnoscerent. Quod vt impedirent, in suspicionem adducere tentant partim Iesum ipsum, nam non sine causa *versu* 14. Ioannes meminit, hoc miraculum editum fuisse die aliquo sabbatico, quod, vt etiam alias, *Cap. V*, 16. criminandi occasionem iis praebuit; partim vero etiam veritatem miraculi. Neque enim illud tantum eos offendit, eorumque animos contra Dominum concitauit, quod opus illud fecisset die sacro, sed in primis quoniam facile praeuidere poterant, hoc opus Domini ipsi conciliaturum esse sectatores multo plures. Igitur quaestionem diligenter instituunt de re ipsa. Arcessere iubent non modo hominem, a Iesu sanatum, sed etiam parentes eius. Percunctantur diligenter, num coecus fuerit, num visum acceperit, et quo demum modo. Illud adeo manifestum erat partim testimonio coeci et parentum, partim ipsa re, vt dissimulari aut negari nullo modo posset. Neque tamen fidem habent principes, nec habere volunt, fraudis aliquid suspicati, siue potius Domino intentantes.

Quare cum e parentibus coeci nihil elicere possent, quod eius narrationem suspectam reddidisset, *reuocare iubent hominem, qui coecus fuerat*, sperantes, fore, vt ex re aliter narrata decerpant aliquid, quod eam

suspectam faciat, voluntque iure iurando adigere ad verum fatendum. *Adiuramus te,* inquiunt, *per Deum, vt verum haud diffitearis; nobis quidem compertum est, hominem illum esse scelestum,* impostorem. At ille: *num scelestus sit, equidem nescio; hoc vnum scio,* testarique possum, *me coecum fuisse, nunc vero videre.* In hac responsione cum nihil reperirent, quod taxare possent, reuoluuntur ad superiores percunctationes, vndique venantes ansam, Dominum calumniandi. *Dic,* inquiunt, *quid tandem fecit tibi? Aut quibus modis visum tibi restituit?* Tentant igitur omni ratione, elicere aliquid ex homine illo, quo tandem constet, coecitatem eius esse fictitiam, intelligaturque, Iesum esse impostorem. *Ille respondet: hoc vero vobis dixi iam, nonne satis audiuistis? Cur vultis denuo audire? Num decreuistis et vos, partes eius sequi* ac disciplinam amplecti? Haec dixit paulo audacius, neque tamen inique erga principes, quos credere aliter non poterat, quam bono animo agere, cum ipsum tam diligenter percunctarentur, ac fortasse sentire coepisse de Iesu paulo melius, quam lege illa prodidissent.

Haec tanta audacia, siue potius confidentia mendici vehementer irritauit animos principum. Non responsum reddunt, sed *conuicia in eum congerunt, dicuntque: tu facile sis eius sectator;* agis eius fautorem, et in gratiam eius loqueris; scelestus es scelesti magistri discipulus. Nos talem magistrum abominamur; *Mosis discipuli sumus,* quocum ille non est comparandus. *Per Mosen Deum locutum esse,* Mosen missum fuisse a Deo, eiusque doctrinam veram esse ac diuinam, plane scimus; *hic autem vnde profectus sit,* num a Deo missus sit et legatus Dei, penitus *ignoramus.* Cur eum audiamus, eiusque disciplinam sectemur? Verba: *τοῦτον δὲ οὐκ οἴδαμεν, πόθεν ἐστὶν,* ex elegante graecismo dicta sunt pro: *οὗτος δὲ πόθεν ἐστὶν, οὐκ οἴδαμεν.*

Per hunc audacem et contumeliosum in Dominum

sermonem principum, eorumque siue malitiam, siue inscitiam, creuit fiducia mendici, sic, vt, contemtis omnibus periculis, causam Domini agere tentaret, atque ex miraculo redditi visus oculorum ostenderet, non obscurum esse posse vllo modo, vnde profectus esset Iesus, eumque legatum diuinum esse, non impostorem. *Miror*, inquit, cur dicatis, *vos nescire, vnde ille sit profectus*, vosque eum dicere posse impostorem et scelestum, *cum*, quod negari non potest, *visum mihi concesserit*, qui coecus natus eram? *Atqui inter omnes constat, Deum non adiuuare impostores, adiuuare autem, qui eum religiose colit, eiusque mandata exsequitur.* Multa memorantur inde a mundo condito miraculose facta, quae Deus edidit per legatos suos, viros sanctos et pios. *Sed post hominum memoriam non auditum est, fuisse aliquem, qui cuiquam, coeco nato, visum dederit. Hic nisi esset a Deo profectus* et missus, *nihil vnquam eiusmodi quid potuisset efficere.* Statuit igitur, statuendumque esse existimauit, rem ita esse comparatam, vt intelligere facile quisque posset et fateri cogeretur, eam repetendam esse nullo modo a vi humana, multo minus ab arte impostoris, sed potius a vi diuina et a viro, diuinitus misso; ac talem esse Iesum. Etenim ἁμαρτωλοὶ per totum hunc locum non sunt peccatores in vniuersum, sed homines scelesti et nominatim impostores. Hinc θεοσεβὴς denotat hoc loco non cultorem Dei quemuis, sed ministrum Dei sanctum et pium, qui non suo ausu, sed diuino iussu loquitur et agit inter homines. Quare etiam τὸ θέλημα non significat praecepta diuina, sed mandata, a Deo accepta, et formula: ποιεῖν τὸ θέλημα αὐτοῦ, est: mandata diuina exsequi. Verbum ἀκούειν autem accipiendum est de effectu, sic: facere, quae scimus aliquem fieri velle et expetere; et quoniam sermo est de miraculis eorumque patrandorum vi et efficacia, denotat: largiri vim ad miracula edenda, adiuuare aliquem, sustentare vi

et efficacia diuina. Sensus igitur est hic: Deus vim suam potestatemque, miracula edendi, non largitur impostoribus, ad fidem faciendam ipsorum fraudibus et mendaciis, sed eam tribuit non nisi iis, quibus mandata dedit ad homines, et qui haec mandata pie et religiose exsequuntur. Iam viri sancti, a Deo missi, vi diuina ediderunt miracula multa et ingentia, sed miraculum eiusmodi, quo videndi facultas data sit cuidam, a natiuitate coeco, post hominum memoriam, si repetamus ab orbe condito, *ἐκ τοῦ αἰῶνος*, nullo vnquam tempore editum est a quoquam. Ac profecto erat hoc miraculum supra alia omnia admirandum. Messiam autem coecis oculos aperturum esse, non improbabiliter praedictum esse putatur a prophetis, nominatim *Ies. XXXV*, 5. *sq. XLII*, 7. saltem docuerunt magistri Iudaici, vt demonstrauit SCHOETTGENIVS *in Hor. Hebr. et Talmud. Tom. I. p.* 110. *et Tom. II. p.* 172. itemque in libro: *Iesus der wahre Messias.* Vnde mendicus colligebat verissime, Iesum, qui tale, tam inauditum miraculum patrauerit, non posse non esse legatum Dei. Caeterum formulam: *ἀνοίγειν τοὺς ὀφθαλμούς τινος*, quae alias quoque in libris sacris N. T. et in hoc nostro loco *vers.* 10. 14. 17. 21. 26. 30. 32. occurrit, repetitam esse constat ex vsu loquendi hebraico, ex quo denotat: *homini coeco videndi facultatem dare;* quo sensu scriptoribus graecis plane inaudita est; apud hos enim denotat: cilia alicuius diducere.

Diutius ferre istum hominem non patiuntur principes. Spe deiecti, fore, vt vel corruptus fraudis conuinci possit, vel nutu territus a Iesu praedicando desistat, exacerbati animis et pudore suffusi, ab homine paupere et idiota sibi, magistris et principibus, obturatum esse os, criminantur hominem natum et factum improbum, exprobrant ei coecitatem pristinam, quasi ob commissa scelera poenae loco diuinitus ipsi inflictam, obiurgant audaciam eius, hominis, omnium rerum

ignari, qui audeat, principes et magistros populi edocere: *tu*, inquiunt, *homo longe pessimus, quantus quantus es, nos docere conaris? Et iusserunt eum eiici foras*. Talem enim hominem designant verba: ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος, nempe insigniter improbum inde ab ineunte aetate, et hoc loco inprimis, ob scelera a Deo coecitate innata notatum, ex quo omnes pessimam eius naturam possint agnoscere. Eiiciendum autem curarunt foras, hoc est, ex consessu Synedrii, siue, vt aliis placet, ex Synagoga, velut impii magistri discipulum impium et republica Iudaica indignum.

Sed quem iniustitia hominum eiecit, Dominus recipit inter suos. Etenim populi rumore spargebatur, quid illi accidisset in Synedrio. *Iesus vero, vt audiuit, hominem eiectum fuisse foras, vtque nactus est eum obuium, alloquitur sic: credisne in Filium Dei? Ille, Domine, inquit, quisnam est, vt credere in illum possim*, fidemque meam ei probare? *Respondet Iesus: is est, quem vides et qui loquitur tecum Tum ille*, nihil cunctatus, procidit ad genua Domini, et: *credo*, ait, *Domine; eumque deueneratus est.* Quaeri posset, cur illum tali modo allocutus fuerit Dominus. Scilicet de facie Iesum nondum nouerat; nam cum primum colloqueretur cum eo Dominus, visum nondum acceperat; nouerat vero Iesum non tantum de nomine, vt ex *vers.* 11. patet, quod audiuerat haud dubie ab aliis, sed, quod erat summum, quoad vim eius diuinam, quam erat expertus, fidemque conceperat in eum, etiam non conspectum, et, vt dubitari non potest, desiderio flagrabat, his suis oculis conspiciendi auctorem tanti beneficii, cui oculorum vsum acceptum referebat; nam verba eius: τίς ἐστι, κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν, non sunt diffidentis, sed ardentis, videre tanti beneficii auctorem, et desiderantis, fidem suam testatam facere. Cui desiderio laudabili vt satisfaceret Dominus, fidemque illius confirmaret, propterea hunc sermonem cum

eo instituit. In quo quoniam Dominus se appellasse dicitur τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, quaeritur, quonam sensu hoc nomen vsurpauerit. Existimare enim constat plerosque fere omnes, hoc nomen aequipollere nomini Messiae, ac talem se intellexisse Dominum in illa quaestione, eaque voluisse adducere hominem illum, vt crederet, Iesum esse Messiam. Sed vehementer errant, qui ita statuunt. Vidimus enim iam aliquoties, in primis ad *Cap. I*, 14. *et* 18. nomen: υἱὸς τοῦ Θεοῦ, in sermonibus Christi et Apostolorum nunquam esse nomen muneris, sed naturae diuinae. Idque et hoc loco contexta oratio suadet atque adeo postulat. Scilicet in tota hac disquisitione, in Synedrio a principibus instituta, non quaerebatur, num Iesus esset Messias, sed vtrum esset vir diuinus, a Deo profectus, auctoritate diuina pollens, an vero impostor. In qua quaestione definienda principes quidem dubii haerebant, vt ex *vers.* 16. patet, non vero qui coecus fuerat; hic enim eum profitebatur palam non Messiam, sed προφήτην, *vers.* 17. colligebatque verissime ex miraculo, ab ipso edito, ad personae eius dignitatem et excellentiam, atque eum, qui possit praestare tale quid, non posse non profectum esse a Deo; idque demonstrauit adeo euidenter, vt ipsi principes nihil dicere possent contra. Id quoniam Dominum fugere non poterat, fidemque hominis, olim coeci, perspectam habebat, vt factum quoque constat esse alias, propterea vsus est appellatione Filii Dei, quemadmodum in vniuersum data opera et sapientissimo consilio abstinuisse videtur ab vsurpando nomine Messiae, a Iudaeis male intellecto. Illius autem appellationis Filii Dei veram et plenam vim etsi non ceperit homo coecus, tamen tali modo confirmari poterat in fide sua, Iesum esse virum diuinum; quare quoque in terram procumbens eum adorasse dicitur; quae apud eum, qui talem opinionem de Iesu conceperat, profecto non poterat esse mera honoris externi testificatio.

Sed per hanc occasionem Dominus, vt hoc exemplo coeci hominis eo magis accenderet animos eorum, qui adessent, subiecit haec: *ex quo in mundum veni, hoc Dei consilium elucet: coeci vident, oculati occoecantur.* Etenim τὸ κρίμα, ad consuetudinem vocabuli מִשְׁפָּט, denotat consilium, decretum, rationem, oeconomiam diuinam in regendis et gubernandis rebus humanis, distribuendisque bonis ac beneficiis; veluti *Rom. XI*, 33. vbi τὰ κρίματα τοῦ Θεοῦ, et: αἱ ὁδοὶ τοῦ Θεοῦ, idem denotant; quemadmodum κρίσις τοῦ Θεοῦ rationem denotat, qua Deus vtitur in gubernanda hac rerum vniuersitate. *Sap. XVII*, 1. *Ps. LXXII*, 1. Sensus autem huius nostri loci est hic: accidit, cum venissem in hunc mundum, vt coeci videant, videntes coeci appareant. Nam τὸ εἰς et ἵνα, exprimunt euentum. Coeci autem sunt homines imperiti, indocti; hi vident, conspectis miraculis Christi, auditis sermonibus eius, eum amplectuntur, eiusque effata diuina esse intelligunt et admittunt; videntes vero sunt homines docti et sapientes, saltem qui sibi sapientes videntur; hi coeci apparent, diuinam doctrinam non intelligunt, nec admittunt; coecus ille pauperculus, humilis et idiota, multo facilius agnoscebat Iesum, et multo rectius de auctoritate eius diuina iudicabat, quam magistri Iudaici et principes; hi, qui sibi sapientes videbantur, multo difficilius agnoscebant Iesum, multoque turpius coccutiebant, quam quiuis e media plebe. Ita res et experientia docuit, vt constat ex multis locis, nominatim *Cap. VII*, 48. *sq.* et Paulus Apostolus, 1. *Cor. I*, 26. *sqq.* in eo conspicuam esse demonstrauit singularem sapientiam diuinam, fereque idem ibi dixit, quod hoc loco Dominus.

Atque ita capiebant quoque de principibus nonnulli hoc effatum, beneque intelligebant, Dominum eo notare voluisse ipsorum mores. *Id enim cum audiuissent Pharisaeorum nonnulli, qui tum cum ipso erant,*

interrogant: num et nos coeci sumus? Ad quam quaestionem, arrogantem et stultam, Dominus respondit ita, vt non modo libere profiteretur, eos coecos esse, sed etiam ostenderet, eos coecutire periculosius et insanabilius, quam de populo quique. *Vos,* inquit, *si coeci essetis, excusari possetis; sed cum putetis, vos videre, excusari non potestis.* Nimirum si fuissent homines imperiti rerum diuinarum, si nihil vnquam in libris sacris legissent, aut fando cognouissent de Messia, si Iesum neque docentem audiuissent, neque agentem vidissent, excusari potuissent, et peccati culpam non habuissent, saltem veniam eius potuissent accipere, quod Iesum repudiarent, modo didicissent, sero demum sapere. Nunc vero cum essent homines docti, rerumque diuinarum periti, doctores, principes populi; cum haberent, legerent, explicarent Scripturas sacras, de Messia exponentes; cum audirent Iesum, eiusque opera, praeter modum magna, suis oculis viderent, et tamen fidem ei denegarent, non erat, quo excusari possent, poena huius ipsorum ἀπιστίας in iis recumbebat, quippe perseuerabant in hac ἀπιστίᾳ, (ea enim hoc loco est ἡ ἁμαρτία,) nec ab ea liberari se vllo modo patiebantur.

CAPVT X.

Qui initio huius Capitis a *vers.* 1 — 19. literis consignatus legitur, sermo Domini longe pulcherrimus et ad intelligendam maiestatem eius diuinam illustrissimus, atque adeo consilio Diui Ioannis accommodatissimus, arctissime cohaeret cum Capite antecedente, rebusque gestis, in eo commemoratis; idque primum inde patet, quoniam ei praemissa non est praefatiuncula aliqua, vt ex more Ioannis alias factum esse constat, sed incipit per formulam: ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, quae in principio sermonis non facile solet vsurpari; deinde probabile fit ex *vers.* 21. huius Capitis, vbi prouocasse leguntur nonnulli ad sanationem coeci hominis, de qua modo exposuerat Ioannes; denique consilium quoque et argumentum huius sermonis euidenter docet. Etenim senatus summus eo audaciae progressus erat, vt Iesum diceret ἁμαρτωλὸν, impostorem, pseudoprophetam. *Cap.* IX, 24. Quod cum non posset non in notitiam venisse Domini, cumque adessent in templo, vt est *vers.* 40. eiusdem Capitis, ex senatus summi assessoribus nonnulli, horum et reliqui populi causa demonstrauit, se talem nullo modo esse; impostorem captare sua ipsius commoda, se autem quaerere non nisi vtilitatem populi, sic, vt adeo etiam vitam profundere in eius salutem non dubitet, seque adeo esse ducem non ad perniciem, sed ad felicitatem. Id vero docuit per similitudinem.

In vniuersum notabile est, Dominum in describenda sua maiestate, operis sui indole, beneficiorumque praestantia vsum fuisse verbis magis impropriis, quam propriis; neque enim verbis, quam potius rebus et factis demonstrare volebat, quis et qualis esset. In primis vero in Euangelio Ioanneo maximam partem in hac re

vsus esse legitur oratione figurata, nunc se appellans *aquam viuam*, vnde qui biberet, conciperet in sese fontem aquae salientis in vitam aeternam, nunc *panem coelestem*, vnde qui ederet, viueret in aeternum, nunc *lucem mundi*, quam qui sequeretur, visurus esset lucem vitae, nunc vero etiam *pastorem bonum*; quibus omnibus designare volebat ducem auctoremque felicitatis. Sane non facile capiebant mentem Domini, qui primum haec audirent; etenim et hic, cum finem dicendi fecisset Dominus, dicuntur alii discessisse in sententias diuersas, *vers.* 19. alii vero ab eo postulasse, vt, quisnam esset, diceret diserte et sine ambiguitate et circuitione; *vers.* 24. interea tamen excitabantur ad discendi inuestigandique studium, vt ex his ipsis locis patet; temporum vero sequentium homines ex euentu intelligere poterant sensum eiusmodi sermonum, possuntque nunc omnes. Sed etiam in aliis causis Dominum constat vsum fuisse oratione figurata, veluti cum adumbrare vellet indolem regni sui eiusque fata futura et incognita, de lento doctrinae suae progressu, et ex altera parte de numerosissimá sectatorum suorum multitudine; neque enim verbis propriis loqui de his rebus poterat, propter audientium vel inscitiam, vel imbecillitatem, qui rebus eiusmodi intelligendis ac percipiendis non essent pares, et veritatem apertam audituri fuissent aut cum nullo fructu, aut suo etiam detrimento. Ne tamen plane inscii manerent, loquebatur per inuolucra parabolarum, quibus olim in memoriam reuocatis, qui ex audientibus postea in eum essent credituri, intelligerent euidentius, et confidentius crederent, quae dixisset paulo obscurius.

Sic igitur etiam hoc loco Dominus descripsit se sub imagine *boni pastoris*, tanquam *ducem auctoremque salutis populi*. Ac primo quidem proposuit exemplum pastoris eiusmodi, a *primo versiculo* vsque ad *quintum*: deinde vero, a *versu sexto* vsque ad *duodeuicesi-*

mum, haec transtulit ad se, docuitque, non modo se vere esse ducem salutis, sed etiam, qualis et quantus esset. Interpretes quidem antiquiores plerosque fere omnes, et ex recentioribus quoque nonnullos, qui in Iesu ad summum agnoscendum putant esse doctorem veritatis, hunc sermonem Domini explicare constat de muneribus ecclesiasticis, iusto modo appetendis, et de doctoribus veris et falsis, atque statuere, Dominum disputasse contra Pharisaeos, ac docere voluisse, eos prorsus indignos esse nomine doctorum, immo potius comparandos esse cum furibus et latronibus, quatenus Dominum criminati fuissent doctorem falsum et impostorem, et populum omni modo ab eo auocare tentassent; eos demum dignos esse nomine doctorum, qui ab ipso instituti, diuinam doctrinam traderent, se autem esse doctorem verissimum et optimum maximum. Sed aliam interpretationem postulat et vsus loquendi et orationis series, vt videbimus.

Etenim *profecto*, inquit, *quisquis non per ianuam ingreditur ouile, sed irrepit aliunde*, transscensis septis, perrupto pariete, *furis loco habetur*, qui fraude subripiat aliquid, *vel adeo latronis*, qui perdat; *pastor per ianuam ingreditur; huic fores aperit ianitor, huius vocem agnoscunt sequunturque oues; hic oues suas suo quamque nomine nouit*, curatque singulas, *et pastum educit; eductasque praecedit*, ducit, tuetur, *eique parent oues, vocem eius agnoscentes; alienum non sequuntur, immo refugiunt; ignoti vocem non agnoscunt.* Hoc igitur est exemplum, ex vita communi petitum; in quo necesse non est, quaerere de sensu eius mystico, quem non habet, nec argutari, quid intelligendum sit per ouile, per gregem, per fures et latrones, itemque per ianitorem. Haec omnia pertinent ad exemplum ipsum, suntque proprie intelligenda. Sufficit scire, per τὴν αὐλὴν intelligi ouile, non tale, cuiusmodi apud nos esse solet, muris cinctum et obtectum, quam potius

septo e cratibus ligneis circumdatum, cuiusmodi fere apud nos esse solent in campis, (Schafhorden;) porro τὸν θυρωρὸν esse ministrum, seruum τοῦ ποιμένος, domini gregis; deinde formulam: *oues suo quamque nomine vocare*, exprimere accuratissimam earum notitiam et curam singularem; nouit coetum, nouit, quibus rebus illi opus sit, quomodo curanda sit eius salus; verba autem, *vocem pastoris audire*, denotare non aliud, quam: ei morem gerere; denique *gregem praecedere*, esse: eam ducere, regere, tueri, eiusque salutis curam gerere plane singularem. Hoc et nihil aliud est in hoc exemplo. Igitur quando quaerunt interpretes, quisnam sit ὁ μὴ εἰςερχόμενος διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν, ἀλλὰ ἀναβαίνων ἀλλαχόθεν, quisnam ὁ εἰςερχόμενος διὰ τῆς θύρας, quisnam ὁ θυρωρὸς, quisnam ἀλλότριος, ea plane aliena sunt ab hoc loco. Traditur in eo non nisi exemplum.

Vnde *vers.* 6. appellatur παροιμία, quod idem est, ac παραβολὴ, exemplum; nam vtrumque vocabulum inter se permutari solet. *Matth. XV*, 15. *Io. XVI*, 25. 29. Igitur *hoc exemplum proponebat iis Iesus; illi tamen, quid eo sibi vellet, non capiebant.* Ac profecto assequi vix poterant huius similitudinis et exempli vim ac sensum. Eo tamen vsus est Dominus, vt alias fecit, caussis sapientissimis, vt scilicet attentos redderet audientes, vtque altius insideret animis eorum, quod per similitudinem esset infixum. Explicauit tamen etiam parabolam; quod alias fecit non nisi discipulis interioris admissionis. Sequitur enim inde a *vers.* 7. non repetitio exempli propositi, vt nonnullis interpretibus placuit, sed eiusdem *explicatio*, seu *applicatio*.

Nam pergebat sic: credite mihi, me esse ianuam, per quam ouibus est intrandum. Neque enim θύρα τῶν προβάτων est ianua, per quam itur ad oues, sed per quam oues ingredi et egredi oportet, si velint incolumes esse. Vocem θύρας autem, vt Hebraeorum פתח et Latinorum *fores*, denotare constat vel aditum ad ali-

quam rem, occasionem, opportunitatem, facultatemque alicuius rei perficiendae, veluti in N. T. *Act. XIV*, 27. 1 *Cor. XVI*, 9. *Col. IV*, 13. vel eum, qui dat aditum et facultatem ad aliquam rem. Iam Dominus cum se appellaret ianuam, per quam sit eundum, non alium profecto significauit, nisi eum, per quem ad salutem sit perueniendum, ducem auctoremque salutis, eundemque verissimum et vnum. Quosnam vero τὰ πρόβατα, et quare dixerit, intelligetur ex sequentibus.

Atque se quidem esse ducem auctoremque salutis verissimum et vnum, significare voluit *vers. octauo* verbis his: *omnes, quotquot veniunt meo nomine,* tanquam ducis ad salutem, *fures sunt et latrones; sed eos non sequentur oues.* Ita enim putamus hunc versiculum esse intelligendum et explicandum. Etenim verba: πρὸ ἐμοῦ, etsi dubia videri possent, neque tamen reiicienda sunt, cum etiam series orationis ea necessario requirere videatur; docent enim, quinam sint, quos Dominus fures et latrones appellauit. Per fures autem et latrones intellexit non doctores et magistros Iudaeorum, Pharisaeos, iuris diuini peritos, principes populi suorum temporum; inter quos etsi fuerint illo in primis tempore homines pessimi ac Domino eiusque causae inimicissimi, neque tamen propterea dici facile possent fures ac latrones; intellexit potius, quos alias dixit ψευδοπροφήτας et ψευδοχρίστους, *Matth. XXIV*, 24. qui scilicet sibi arrogabant dignitatem Messiae, seque iacta-t[illegible]uli liberatores et vindices; cuiusmodi statim p[illegible]pora Domini extitisse permultos, satis constat non tantum ex IOSEPHO, vt ad locum *Matthaei* docuerunt interpretes, nominatim GROTIVS, sed etiam ex ipsis Epistolis Apostolorum, in primis Ioannis. Hic enim eosdem homines appellauit ἀντιχρίστους, 1. *Ep. Cap. II*, 18. nam plane sibi aequipollent vocabula ψευδόχριστος et ἀντίχριστος, denotantque eum, qui se parem facit Messiae, se iactat Messiam, quod ratione vocabuli

ἀντίχριστος vsus linguae graecae in verbis ex ἀντὶ compositis permittit, fertque natura rei; nam quisquis est ψευδόχριστος, idem quoque est ἀντίχριστος, qui Christo se opponit. Hic ἀντίχριστος *vers.* 22. appellatur ψεύστης, ὁ ἀρνούμενος, ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ὁ Χριστός. Et 2. *Ep. v.* 7. dicuntur πλάνοι, οἱ μὴ ὁμολογοῦντες Ἰησοῦν Χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκὶ, negantes, Messiam venisse et Iesum esse Messiam, se vero tales venditantes. Ac in hoc quidem nostro loco Dominus videtur locutus esse de temporibus antegressis, dum vsus est verbis his: ὅσοι ἦλθον πρὸ ἐμοῦ, qui venerunt ante me; ita enim reddi solent haec verba. Ac profecto etiam ante eius tempora fuisse, qui dici haberique vellent Messias, vnius Iudae Galilaei, qui vixit annis extremis Augusti Caesaris, adeoque paulo ante Iesu tempora, aliorumque exemplis constat, quae collecta reperiuntur in CAPELLI *Historia Iudaica p.* 170. Posses tamen etiam praepositionem πρὸ accipere sic, vt idem sit, quod: ὑπὲρ, *prae, loco*; quae quidem significatio huius praepositionis non adeo frequens est, neque tamen etiam aliena ab vsu loquendi, scriptorum et sacrorum et profanorum; atque in libris sacris N. T. satis constat, praepositiones saepissime permutari inter se; ex scriptoribus graecis autem exempla si quis desiderauerit, adeat ZEVNIVM *ad Vigerum.* p. 658. *edit. Hermanni.* Hinc sensus existit hic: quicunque meo nomine veniunt, (ita enim posses vertere τὸ ἦλθον, vt intelligantur et qui venissent, et qui venturi essent,) iactantes personam Messiae, *fures sunt et latrones*, hoc est, impostores, suam vtilitatem quaerentes, sequaces vero ad perniciem ducentes. Eiusmodi igitur homines, neque alios, in mente habuit Dominus in his verbis; his se opposuit, docuitque, se esse salutis ducem auctoremque vnum. Et quando subiecit haec: ἀλλ' οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα, praedixit istorum hominum fata, eos scilicet reperturos esse asseclas non adeo multos et perpetuos, saltem non effecturos, vt

coetum aliquem peculiarem colligere ac stabilire possint; id quod euentus docuit.

Iam quae dixerat Dominus, *vers. 7. ego sum ianua*, per quam eundum est ad salutem, ea repetiit non tantum, sed etiam explicauit *versiculo nono*, his verbis: *quisquis intrauerit per me, seruabitur, atque ingredietur et egredietur, et pastum reperiet.* Igitur *ianua* est Dominus, quatenus per eum est intrandum, ad salutem perueniendum; etenim qui per eum intrat, σωθήσεται, intrat hoc consilio et fine, vt salutem consequatur. Quod vero hic proprie dixit, idem repetiit verbis impropriis: εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται καὶ νομὴν εὑρήσει. Prior formula: *ingredietur et egredietur*, est plane hebraica, diciturque de rebus gerendis in hac vita, earumque successu prosperrimo; veluti *Num. XXVII*, 17. 2 *Chron. I*, 10. 1 *Sam. XXIX*, 6. 2 *Sam. III*, 25. *Deut. XXVIII*, 6. *Ps. CXXI*, 8. *Act. I*, 21. reliqua. Vnde sensus enascitur hic: quicquid agit, nempe in causa salutis suae, de ea enim Dominus loquitur, prospere succedet; agit omnia duce Christo, et auspice Christo; incrementa capiet cognitionis, fidei, sanctitatis, spei ac felicitatis in dies maiora et laetiora. Altera formula exprimit causam, quare ei, qui per Christum tendit ad salutem, omnia prospere succedant, scilicet apud Iesum *pabulum reperiet.* Pabulum autem, de animo vsurpatum, in omnibus linguis denotat id, quod delectat animum, eique vim, robur, vitam, felicitatem dare potest; supra, *Cap. IV*, 34. et *VI*, 27. dixerat Dominus βρῶμα et βρῶσιν. Igitur his verbis dicere voluit Dominus hoc: reperiet apud me quisque, quocunque tandem opus habet ad animum illuminandum, emendandum, confirmandum, exhilarandum, tranquillandum atque adeo beandum. Promittit itaque bona omnia, quibus teneri potest vera animi salus.

Idem profitetur *versiculo decimo: fures non nisi ideo subrepunt, vt furentur, interficiant, perdant.*

Intellexit nempe rursus impostores, qui se Messiam iactarent, quorumque consilium non posset esse aliud, quam vt in perniciem summam coniicerent sequaces suos omnes. *Ego vero veni, vt,* quicunque me ianuam esse crediderint et per me ad salutem adspirauerint, *vitam haberent et abundantiam.* Iam vocabulum ζωῆς, de hominibus vsurpatum, denotare, in promtu est, vitam, eandemque beatam in hoc et in altero saeculo; τὸ περισσὸν autem huius beatitudinis copiam, et abundantiam, quae existit partim ex bonorum, quorum vsus beatitudinem affert, multitudine et affluentia, partim vero ex eorundem suauitate et iucunditate. Promisit igitur Dominus hic iis, quicunque per eum salutem quaerere voluerint, non modo vitam, sed etiam vitae beatitudinem, eandemque summam et absolutissimam, hoc est talem, vbi habemus non tantum, quae necessaria sunt ad beatitudinem nostram, sed eorundem quoque affluentiam et abundantiam. Profecto excellentius aliquid de se profiteri Dominus non poterat! Profitetur enim, se esse ducem et auctorem beatitudinis humanae verissimae et abundantissimae.

Idque repetiit confirmauitque *versiculo vndecimo* his verbis; *ego sum pastor bonus; pastor bonus habetur is, qui vitam adeo impendit pro ouibus.* Hic ante omnia quaeritur de significatu vocabuli: ποιμὴν, et qualemne se Dominus intellexerit, quando se appellaret ποιμένα. Ac plerique fere omnes interpretantur *doctorem;* profecto parum accommodate et vsui loquendi et seriei orationis; nam doctorem denotat nunquam, neque in lingua hebraica, neque graeca; denotat potius eum, qui praeest alicui coetui, aut populo, eumque regit, tuetur, custodit, defendit a vi et iniuriis, eiusque salutem omni modo curat, adeoque *ducem, custodem, defensorem, principem, regem.* Haec significatio huius vocabuli et antiquissima est et frequentissima non modo Hebraeis, verum etiam Graecis. Ac

Hebraei quidem nomine רֹעֶה insignire soliti sunt duces, principes, reges populi, atque adeo Deum ipsum. Et enim *Ier*, *XXIII*, 1. *sqq*. queritur Deus de malis pastoribus populi sui, qui, vt contextus euidenter docet, non alii sunt, quam reges Iudaeorum pessimi, qui non nisi suam ipsorum vtilitatem spectabant, gregem vero, hoc est, populum negligebant, vexabant, premebant, diripiebant, dissipabant. Iam vero, inquit Deus, ego ipse curam populi suscipiam, pastores illos puniam, gregem meum colligam, eique praeficiam pastores, qui eum studiose pascent, in primisque ex familia Dauidica excitabo sobolem genuinam et praestantissimam, regem iustissimum et sapientissimum. Hic itaque euidenter per pastores intelliguntur *reges et principes*, atque adeo vocabula רֹעֶה et מֶלֶךְ posita reperiuntur tanquam idem declarantia. Conf. quoque *Cap. II*, 8. *III*, 15. *X*, 21. reliqua. Pari modo *Esech. XXXIV*, 1. *sqq*. Deus conquestus esse legitur de malis pastoribus, oues diripientibus et deuorantibus, et promisisse, se erepturum esse populum suum ex eorum faucibus, eique daturum pastorem, nempe Dauidem, qui eorum sit princeps, *vers*. 23. 24. Hic igitur τῷ רֹעֶה synonymum positum est vocabulum נָשִׂיא, quemadmodum *Cap. XXXVII*, 24. מֶלֶךְ. Deus autem quando appellatur a Dauide pastor, *Ps. XXIII*, 1. itemque pastor Israelitarum, qui ducit, vt gregem, Iosephi posteros et sedet super Cherubinis, *Ps. LXXX*, 2. in promtu est, intelligendum esse non alium, quam *regem*. Sed hic modus loquendi vsitatissimus quoque fuit scriptoribus graecis, iisdemque antiquissimis et elegantissimis, veluti HOMERO, a quo Agamemnonem aliquoties constat appellatum fuisse *ποιμένα λαῶν*, quod a *Scholiaste Homeri* explicatur sic: *βασιλέα ὄχλων*. Quare apud HESYCHIVM *ποιμὴν* explicatur: *βασιλεύς*. Loca HOMERI, XENOPHONTIS, aliorumque, PHILONIS quoque, excitarunt interpretes.

In libris N. T. ποιμένες appellantur *curatores ecclesiae*, qui praeerant cuidam coetui, eiusque disciplinam externam regebant, qui alias dici soliti sunt ἐπίσκοποι, veluti *Eph. IV*, 11. vbi ποιμένες diserte distinguuntur ab Apostolis, Euangelistis aliisque ecclesiae doctoribus. Neque aliter intelligendum est hoc vocabulum, quando Dominus 1 *Petr. II*, 25. appellatur ποιμὴν καὶ ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν ὑμῶν· nam per vocabulum proprium: ἐπίσκοπος, explicatur improprium: ποιμήν. Iam ἐπίσκοπος denotat eum, qui alicui est praefectus, eiusque curam habet et inspectionem; velut *Iud. IX*, 28. 2 *Chron. XXXIV*, 12. 17. *Neh. XI*, 9. 14. Nominatim vero ita appellabantur duces et imperatores exercitus, ἐπίσκοποι τῆς δυνάμεως, *Num. XXXI*, 14. quo interpretes graeci expresserunt hebraicum: פְּקוּדֵי הֶחָיִל. Et quando Paulus Dominum appellauit τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν, *Hebr. XIII*, 20. intellexit sine omni dubitatione ducem gregis summum; nam statim subiecit explicationem hanc: τὸν κύριον ἡμῶν, docuitque, quatenus talis sit, nimirum, ἐν τῷ αἵματι διαθήκης αἰωνίου, quatenus κρείττονος διαθήκης ἔγγυος γέγονεν, vt est *Hebr. VII*, 22. siue, vt *Cap. VIII*, 6. μεσίτης κρείττονος διαθήκης, sponsor, sequester melioris oeconomiae, hoc est, praestantiorum institutorum diuinorum de salute obtinenda; ita enim explicatur diserte *Cap. IX*, 15. scilicet hoc modo: est vero interpres nouae oeconomiae hactenus, quatenus per mortem suam, factam ad expianda peccata, etiam sub vetere oeconomia commissa, effecit, vt felicitate aeterna potirentur, quibuscunque erat promissa. Ad extremum in illo loco subiecit Apostolus haec: ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, quo et ipso innuitur, τὸν ποιμένα esse talem, cui summa maiestas competit et accepta referenda sunt beneficia praeter modum magna. Ac talem intellexit Dominus, talemque intelligi voluit, quando se ipse nomine ποιμένος insigniret, nempe, ducem, principem, dominum hu-

mani generis; talem quoque se descripsit disertis verbis in hoc sermone, nempe, qui est dominus ouium, non mercenarius, qui adeo vitam ponit pro ouibus, earumque curam gerit plane singularem, sic, vt quamque de nomine noscat, eas amet, regat, defendat, tueatur, errantes reducat, omnium ac singularum saluti prospiciat, vt inueniant, quicunque eum sequantur, quicquid ad salutem sit necesse. De plena notione huius nominis ad *vers.* 17. *et* 18. videbimus.

Eodem modo vsurpatur quoque verbum *ποιμαίνειν* in libris sacris V. et N. T. diciturque de ducibus et principibus populi, aut coetus alicuius, et denotat: gubernare, regere, saluti aliorum omni modo prospicere; veluti 2 *Sam. V*, 2. qui locus notabilis est propterea, quoniam verba: *tu pasces populum meum Israeliticum*, explicantur per proxime sequentia: *tu eris populi mei Israelitici dux et princeps. Cap. VII*, 7. 1 *Chron. XI*, 2. *XVII*, 16. *Mich. V*, 3. *Ps. LXXVIII*, 71. *sq.* vbi verbum רָעָה explicatum est per: נָחָה. Quare Dominus, quando iussit Petrum *Io. XXI*, 16. *ποιμαίνειν τὰ πρόβατα*, siue, quod idem est, *vers.* 15. et 17. *βόσκειν τὰ ἀρνία*, nihil aliud voluit, quam vt curam in se susciperet futurorum discipulorum. Idem postulauit Petrus, 1 *Ep. V*, 2. a Presbyteris, nempe *ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον τοῦ Θεοῦ*, idque explicauit per verbum: *ἐπισκοπεῖν*. Vnde et Paulus, *Act. XX*, 28. monuit Episcopos Ephesinos, *ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ*, idque explicauit per formulam antecedentem: *προσέχειν παντὶ τῷ ποιμνίῳ*. *Apoc. VII*, 17. *τὸ ποιμαίνειν* explicatur per sequens: *ὁδηγεῖν ἐπὶ ζώσας πηγὰς ὑδάτων*.

Idem quoque non obscure docet exemplum, quo vsus est Dominus in hoc versiculo: *ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων*. Etenim formula: *τίθεσθαι τὴν ψυχὴν*, plane respondet Latinorum: *animam deponere*, hoc est, vitam profundere. Et *τίθεσθαι τὴν ψυχὴν ὑπέρ τινος*, est: vitam profundere pro

alio, eius a periculo et exitio seruandi causa. Iam quando pastor dicitur τὴν ψυχὴν τιθέναι ὑπὲρ τῶν προβάτων, significatur, eum vitam adeo profundere pro ouibus, earumque loco, vt ne pereant, vt potius seruentur, exprimiturque cura pro ouibus talis, quae adeo coniuncta est cum periculo vitae. Atque id Dominus *vers.* 15. transfert ad se, vt deinde videbimus.

Perrexit autem *versiculo duodecimo* et sequente hoc modo: *pastor, mercede conductus, qui non est dominus, neque oues habet, sibi proprias*, adeoque non sibi perituras, vix eminus *conspecto lupo, desertis ouibus, aufugere solet, gregemque prodit lupo dilaniandum ac dissipandum; fugit scilicet, quia est pastor conductitius, nec curat ouium salutem.* Haec subiecit Dominus, vel exempli causa, cuius partes non sunt vrgendae, vel in animo habuit homines, quos supra diximus, eos nimirum, qui se duces populi ac liberatores iactabant, sed ingruente periculo vitae suae fuga consulebant, gregemque suum dabant exitio.

Ego vero bonus pastor sum; meos diligo, diligor vero etiam a meis, vt Pater me diligit et ego Patrem; vitam adeo impendo pro ouibus. His docere voluit Dominus, qualisne pastor esset, qualisne salutis dux, nempe, qui suos amaret tantopere, quantopere ipse Patrem et Pater ipsum amet, adeo, vt eorum causa etiam mortem oppeteret, suamque vitam impenderet eorum saluti. Exprimere igitur voluit magnitudinem sui amoris erga homines, qui scilicet esset *talis*, qualis esset amor mutuus inter se et Patrem, et *tantus*, vt adeo vitam deponeret pro eorum salute. Etenim τὸ γινώσκειν, in promtu est, ex consuetudine dicendi hebraica denotare: *diligere*; *vers.* 17. explicatur per verbum: ἀγαπᾷν. Deinde quod supra, *vers.* 11. per exemplum dixerat, bonum pastorem vitam adeo profundere pro ouibus, quamuis in rerum natura raro, aut nunquam acciderit, transtulit ad se, ac declarauit palam,

se vitam daturum esse pro hominibus. Etenim formula: τίθεσθαι ψυχὴν ὑπέρ τινος, cum denotet: vitam deponere pro aliquo, eius seruandi causa a periculo et exitio, vt ad vers. 11. vidimus; patet euidenter, Dominum verbis his: καὶ τὴν ψυχὴν τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων, indicare voluisse ac docere, se daturum esse vitam suam in mortem, hominum causa, ad eos seruandos; plane vt Paulus, Apostolus, *Rom. V*, 6. *sqq.* dixit: Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε, illustrauitque exemplo amici, vitam deponentis pro euergeta, eius seruandi causa. Iam mors Domini quomodo salutaris futura esset hominibus, atque effectura, vt ne pereant, vt potius seruentur, diserte quidem in his locis neque Dominus docuit, neque Paulus; intelligi tamen potest ex serie orationis in vtroque loco; nam Dominus oues, pro quibus bonus pastor vitam ponat, descripsit tanquam versantes in periculo exitii extremo; *vers.* 10. *et* 12. Paulus autem eos, pro quibus Christus mortuus est, appellauit ἀσθενεῖς, ἀσεβεῖς, ἁμαρτωλοὺς, seruandos tamen ἀπὸ τῆς ὀργῆς, a poenis. Comparandus vero etiam est locus similis, *Matth. XX*, 28. vbi Dominus dixit, filium hominis venisse, δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν· sed τὸ λύτρον, vt sciunt omnes, denotat: *pretium redemtionis*, hoc est, vel pecuniam, vel sacrificium, quo redimebatur aliquis a periculo et poena; idque pretium dabatur *primum* pro altero, eiusque loco et vice; *deinde*, vt alter liberaretur a poena; *denique*, vt sufficeret, nec opus esset pretio alio; quemadmodum apud *Iesaiam Cap. LIII*, 10. dicitur vitam daturus esse tanquam אָשָׁם, id est, *sacrificium pro peccatis.* Inde vero patet euidenter, quodnam fuerit consilium mortis Christi, quibusque de causis vitam posuerit. Mortuus enim est *primum*, loco hominum, eorumque vice; *deinde* eo fine, vt liberationem hominibus impetraret a poenis peccatorum, siue, veniam peccatorum; *denique* sic, vt mors eius plane sufficeret ad impetrandam consequendamque

peccatorum veniam. Quare sine dubio non recte sentiunt, qui praecipere solent, Christum mortuum esse non nisi ad confirmandam vel doctrinae suae veritatem, vel certitudinem promissionis de gratia Dei et venia peccatorum. Neutrius causa opus fuisset morte Christi; vtriusque enim veritas et certitudo aliunde constat et constare debet; nec Dominus dixit, se vitam ponere *pro doctrina sua*, sed *pro ouibus*. Hinc et illud potest euidenter intelligi, Dominum se appellasse ποιμένα, non *quatenus esset doctor et religionis magister optimus*; nullo modo; sed longe excellentiori sensu, *quatenus nempe sua morte veniam peccatorum salutemque omnem hominibus impetrauit.* Atque in hoc criterio boni pastoris, qui etiam mortem non declinet pro ouibus, Dominus posuit maximam gloriam, voluitque ex eo potissimum agnosci *bonus pastor*. Denique τὰ πρόβατα dicuntur, *qui curae alicuius singulari sunt commissi*. Vnde cultores Dei, nominatim inter populum Israëliticum, Deo sacrum, appellantur λαὸς αὐτοῦ καὶ πρόβατα τῆς νομῆς αὐτοῦ, *Ps. C*, 3. itemque λαὸς νομῆς αὐτοῦ καὶ πρόβατα χειρὸς αὐτοῦ. *Ps. XCV*, 7. *Ezech. XXXIV*, 12. 15. *Zach. XIII*, 7. coll. *Matth. XXVI*, 31. Dominus autem ita appellauit partim homines in vniuersum, quatenus omnes curae ipsius peculiari a Deo Patre sunt commissi, quos liberaret a pernicie, adduceretque ad salutem aeternam, vt explicauit *Io. XVII*, 2. hoc sensu dixit, se vitam impendere pro ouibus; partim vero atque in specie eos, qui se tradiderunt ipsius disciplinae, eumque ducem sequuntur; sic in hoc nostro Capite, *vers.* 26. 27. et *Cap. XXI*, 16. 17.

Hoc vltimo sensu dicuntur quoque in verbis sequentibus: *sed habeo quoque oues alias, non quidem ex hoc stabulo, quas et ipsas me oportet adducere, quaeque me sequentur; atque ita fiet vnus grex, et pastor vnus.* Etenim per τὴν αὐλὴν ταύτην intellexit populum Iudaicum; inter hunc vixerat hactenus et do-

se vitam daturum esse pro hominibus. Etenim formula: *τίθεσθαι ψυχὴν ὑπέρ τινος*, cum denotet: vitam deponere pro aliquo, eius seruandi causa a periculo et exitio, vt ad *vers.* 11. vidimus; patet euidenter, Dominum verbis his: *καὶ τὴν ψυχήν τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων*, indicare voluisse ac docere, se daturum esse vitam suam in mortem, hominum causa, ad eos seruandos; plane vt Paulus, Apostolus, *Rom.* *V*, 6. *sqq.* dixit: *Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε*, illustrauitque exemplo amici, vitam deponentis pro euergeta, eius seruandi causa. Iam mors Domini quomodo salutaris futura esset hominibus, atque effectura, vt ne pereant, vt potius seruentur, diserte quidem in his locis neque Dominus docuit, neque Paulus; intelligi tamen potest ex serie orationis in vtroque loco; nam Dominus oues, pro quibus bonus pastor vitam ponat, descripsit tanquam versantes in periculo exitii extremo; *vers.* 10. *et* 12. Paulus autem eos, pro quibus Christus mortuus est, appellauit *ἀσθενεῖς, ἀσεβεῖς, ἁμαρτωλούς*, seruandos tamen *ἀπὸ τῆς ὀργῆς*, a poenis. Comparandus vero etiam est locus similis, *Matth.* *XX*, 28. vbi Dominus dixit, filium hominis venisse, *δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν*· sed *τὸ λύτρον*, vt sciunt omnes, denotat: *pretium redemtionis*, hoc est, vel pecuniam, vel sacrificium, quo redimebatur aliquis a periculo et poena; idque pretium dabatur *primum* pro altero, eiusque loco et vice; *deinde*, vt alter liberaretur a poena; *denique*, vt sufficeret, nec opus esset pretio alio; quemadmodum apud *Iesaiam Cap.* *LIII*, 10. dicitur vitam daturus esse tanquam אָשָׁם, id est, *sacrificium pro peccatis*. Inde vero patet euidenter, quodnam fuerit consilium mortis Christi, quibusque de causis vitam posuerit. Mortuus enim est *primum*, loco hominum, eorumque vice; *deinde* eo fine, vt liberationem hominibus impetraret a poenis peccatorum, siue, veniam peccatorum; *denique* sic, vt mors eius plane sufficeret ad impetrandam consequendamque

peccatorum veniam. Quare sine dubio non recte sentiunt, qui praecipere solent, Christum mortuum esse non nisi ad confirmandam vel doctrinae suae veritatem, vel certitudinem promissionis de gratia Dei et venia peccatorum. Neutrius causa opus fuisset morte Christi; vtriusque enim veritas et certitudo aliunde constat et constare debet; nec Dominus dixit, se vitam ponere *pro doctrina sua*, sed *pro ouibus*. Hinc et illud potest euidenter intelligi, Dominum se appellasse ποιμένα, non *quatenus esset doctor et religionis magister optimus*; nullo modo; sed longe excellentiori sensu, *quatenus nempe sua morte veniam peccatorum salutemque omnem hominibus impetrauit.* Atque in hoc criterio boni pastoris, qui etiam mortem non declinet pro ouibus, Dominus posuit maximam gloriam, voluitque ex eo potissimum agnosci *bonus pastor*. Denique τὰ πρόβατα dicuntur, *qui curae alicuius singulari sunt commissi.* Vnde cultores Dei, nominatim inter populum Israëliticum, Deo sacrum, appellantur λαὸς αὐτοῦ καὶ πρόβατα τῆς νομῆς αὐτοῦ, *Ps. C*, 3. itemque λαὸς νομῆς αὐτοῦ καὶ πρόβατα χειρὸς αὐτοῦ. *Ps. XCV*, 7. *Ezech. XXXIV*, 12. 15. *Zach. XIII*, 7. coll. *Matth. XXVI*, 31. Dominus autem ita appellauit partim homines in vniuersum, quatenus omnes curae ipsius peculiari a Deo Patre sunt commissi, quos liberaret a pernicie, adduceretque ad salutem aeternam, vt explicauit *Io. XVII*, 2. hoc sensu dixit, se vitam impendere pro ouibus; partim vero atque in specie eos, qui se tradiderunt ipsius disciplinae, eumque ducem sequuntur; sic in hoc nostro Capite, *vers*. 26. 27. et *Cap. XXI*, 16. 17.

Hoc vltimo sensu dicuntur quoque in verbis sequentibus: *sed habeo quoque oues alias, non quidem ex hoc stabulo, quas et ipsas me oportet adducere, quaeque me sequentur; atque ita fiet vnus grex, et pastor vnus.* Etenim per τὴν αὐλὴν ταύτην intellexit populum Iudaicum; inter hunc vixerat hactenus et do-

cuerat; ex hoc voluerat sibi ante omnia colligere sectatores; igitur per *ἄλλα πρόβατα, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης*, innuit eos, qui non erant ex gente Iudaica, adeoque ex Gentilibus. Hos quoque, inquit, me oportet adducere; quod factum esse constat per Apostolos; atque et hi me ducem auctoremque salutis amplectentur et sequentur, *τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι*. Etenim formula: *ἀκούειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ* non denotat: amplecti doctrinam et religionem christianam, sed: *amplecti Iesum ipsum*, et quidem tanquam talem, qualem se hoc loco descripsit, scilicet vt ducem auctoremque salutis. Atque ita e Iudaeis et Gentilibus coalescet vnus vnius pastoris grex, vnus vnius domini coetus. Praedixit igitur Dominus in his verbis futuram adductionem Gentilium ad coetum christianum, eorumque et Iudaeorum coniunctionem ad communionem bonorum, ab ipso partorum, sub vno eodemque capite et domino; simul vero etiam innuere voluit, se ducem esse salutisque auctorem non vnius gentis, sed gentium omnium, hominum omnium. Etenim *ποίμνη*, seu *ποίμνιον* dici soliti sunt ii, *qui alicuius curae sunt commissi et sub imperio eius coniuncti;* vnde populus Israeliticus ita appellatus esse legitur, quatenus coniunctus erat ad vnam societatem eorum, qui verum Deum agnoscebant et colebant, ab eo peculiari modo regebantur, beneficiisque singularibus ornabantur; veluti *Ezech. XXXIV*, 31. vbi iidem dicuntur et grex Dei, et populus Dei, quorum Ioua est Deus. *Ier. XIII*, 17. et *Zach. X*, 3. Vnde in N. T. ita appellabantur Christiani, quatenus coniuncti sunt sub vno Domino, quem sequuntur, cuiusque cura ac tutela fruuntur, coetus Christianorum, ecclesia Christi. Nam *Act. XX*, 28. quod primum dicitur *ποίμνιον*, in proxime sequentibus appellatur *ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ*, et quidem, *ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος*, vt intelligatur, qualisne pastor gregis, suorum Dominus sit, nempe talis, qui eos suo sibi sanguine ac-

quisiuit; commemoranturque ibi λύκοι βαρεῖς, μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου, hostes violenti, principes crudeles, coetus Christianorum hostiliter inuadentes et deuastantes. Et 1. *Petr. V*, 2. 3. qui dicuntur ποίμνιον, iidem appellantur: κλῆροι, peculium Dei, λαὸς περιούσιος. Atque hoc sensu vsurpauit Dominus vocabulum ποίμνη, et quando dixit: fiet vnus grex, vnus pastor, innuere voluit hoc: ex Gentilibus et Iudaeis coalescet societas eorum, qui me Dominum suum salutisque auctorem profitebuntur. Dicitur autem μία ποίμνη, non quoad coniunctionem externam; fuerunt enim suntque cum maxime societates Christianorum multae, eaeque admodum diuersae; sed quoniam omnibus est vnus idemque dominus et dux salutis, quem colunt omnes, amplectuntur omnes vt talem, a quo omnes salutem exspectant et accipiunt; in quo conueniunt et conuenire debent societates Christianorum omnes, vt nempe Iesum tanquam auctorem salutis humanae suscipiant, ab eoque salutem omnem repetant; quamuis in aliis et doctrinae capitibus, et ritibus externis, inter se discrepent.

Denique Dominus subiecit haec: *propter hanc ipsam causam me amat Pater, quoniam adeo vitam impendo, ita tamen, vt recipiam. Neque enim quisquam eripere eam potest mihi inuito; volens et vltro depono eam; quippe potestatem habeo, vitam et deponendi et recipiendi; hoc est mandatum, quod a Patre accepi.* In his verbis, notatu longe dignissimis, loquitur Dominus de morte sua, proxime futura, atque illustrat, quid sibi voluerit, cum diceret, se vitam ponere pro ouibus. Ac primum quidem docet, mortem et vitam suam pendere a voluntate ipsius liberrima, se vtriusque potestatem habere, et animam emittendi ex hoc corpore, et eandem in hoc corpus reuocandi. Inter homines omnes quis tandem hoc de se dicere possit? Et quis tandem non possit non agnoscere virtutem

Iesu plane diuinam? Deinde dicit, mortem se suscipere vltro et sua sponte, nemine ipsum inuitum cogente; esse, qui insidientur vitae ipsius, eorum malitiam nihil in ipsum posse, nisi decretum esset, vt pro salute suorum mortem oppeteret; ipsi inuito nullam vim hominum auferre posse vitam, liberrimo consilio eam se impendere saluti gregis; et si ipsum interfecerint, interfecturos esse non nisi volentem. Asserit porro, se vitam ponere hac lege, vt eam recipiat; neque adeo mortem suam adscribendam esse communi legi, qua omnes moriuntur, vt in sepulchris detenti mutentur in cineres, sed esse plane singularem, dum post paucos dies in vitam e sepulchro sit rediturus; alii moriuntur, nec mortui reuiuiscunt, nisi in fine rerum humanarum; ipse mortuus est ad tempus tantum, breui post vitam recuperauit. Deinde affirmat, mortem suam accidere non fato aliquo, aut necessitate aliqua, sed ex definito consilio Patris; est ἐντολὴ τοῦ πατρὸς, inquit, id est, non tam praeceptum et iussum, sed mandatum Patris, nimirum, moriendi pro aliis; Pater ita voluit, ita decreuit, ita ei placuit; alias, *Cap. XIV*, 31. mortem suam appellauit τὸ ἔργον, ἑαυτῷ διδόμενον παρὰ τοῦ πατρὸς, negotium, sibi a Patre demandatum; vnde et illud patet, consilium mortis Christi fuisse praeter modum magnum, sapientissimum, hominibusque longe saluberrimum; fuit enim Patris consilium et decretum beneuolum. Denique innuit, mortem suam Patri fore acceptissimam et probatissimam; διὰ τοῦτο ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ, inquit, nimirum propterea, quoniam morti se obiiciat ex voluntate Patris, idque faciat lubens, non nisi amore ductus erga eum et erga homines. Quod autem fit ex voluntate Patris et in eum hominesque amore tali, id ei non potest non esse longe gratissimum.

Iam ex his omnibus patet, qualemne Dominus se intellexerit, intelligique voluerit, quando se appellaret

pastorem, eandemque *bonum*, et quaenam sit plena notio huius nominis. Scilicet descripsit se, vt vidimus, tanquam eum, per quem via hominibus pateat ad salutem, τὴν θύραν τῶν προβάτων, *vers.* 7. per quem, quisquis hanc viam ingredi voluerit, consequi possit et salutem, et quocunque demum ad eam tenendam opus fuerit; *vers.* 9. qui venerit non nisi eo consilio, vt largiatur suis vitam, omnibus bonis affluentissimam; *vers.* 10. qui adeo etiam vitam profundat, ad eos liberandos et seruandos; *vers.* 11. *et* 15. idque e consilio Patris sapientissimo et benignissimo; *vers.* 17. 18. qui suos amet singularem in modum, peculiari cura complectatur, defendat, tueatur in periculis et calamitatibus, omni bonorum genere ornet; *vers.* 10. 12. qui ex omnibus gentibus omnium temporum et locorum adducat, quotquot voluerint, ad se, communionemque bonorum, ab ipso partorum; *vers.* 16. idque vt facere possit, redeat breui e morte in vitam; *vers.* 17. 18. qui denique, vt est *vers.* 28. largitur suis vitam aeternam, vt nec perire, nec vlla vi manibus ipsius eripi possint. Igitur sub imagine *pastoris boni* descripsit se Dominus tanquam auctorem, ducem, statorem optimum maximum, *καλὸν*, salutis humanae vniuersae, eiusdemque verissimae, absolutissimae, perpetuae, in aeternum duraturae; et quidem talem, qui hanc salutem primum impetrauit morte sua, deinde vero etiam impertit, sua cura ac prouidentia; in nostra linguae diceremus: *Führer zur Seligkeit, Erwerber und Geber der Seligkeit, Herr seiner Gemeinde, König seines Volks, Seligmacher*; saltem cum his et eiusmodi aliis nominibus commutandum videtur esse in hac re nomen pastoris, quoniam apud nos vsu receptum non est, duces ac principes appellare pastores, vt apud Hebraeos, apud quos in magno honore erat pastoris nomen.

Hinc quem Dominus pastorem dixit, idem est, quem Apostoli appellarunt *caput ecclesiae*, *dominum*,

regem; haec enim nomina illi plane aequipollent, suntque cum illo conferenda ad intelligendam veram et plenam illius notionem. Scilicet Paulus, *Eph. I*, 20. *sqq.* docet, omnia in toto orbe terrarum subiecta esse ei, tanquam domino, qui regat omnia pro arbitrio, a quo pendeant omnia, eumque habere vnum idemque imperium cum Patre in totum hoc vniuersum, πᾶσαν ἐξουσίαν ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, vt beatos reddere possit *non tantum in his terris, verum etiam in coelis*; *Matth. XXVIII*, 18. deinde vero atque in primis imperium in homines omnes, ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, *Io. XVII*, 2. et nominatim in ecclesiam, coetumque eorum, quos sibi collegit ex vniuersa multitudine hominum; quae in hoc nostro loco *vers.* 16. Dominus appellauit τὰ πρόβατα; huius ecclesiae eum constitutum esse κεφαλὴν, caput, principem, dominum, κύριον, vt appellatur *vers.* 17. eum igitur πληροῦν τὰ πάντα ἐν πᾶσι, implere omnia in omnibus, id est, bona omnis generis omni tempore omnibus suppeditare largiter; quemadmodum Deus dicitur *implere coelum et terram*, hoc est, bona tribuere vbique copiosissime; quare ecclesiam esse τὸ σῶμα Χριστοῦ, hoc est, coetum, qui a Christo regitur, vt corpus a capite, eiusque imperio subiectus est, quem cura singulari complectitur, tuetur omnique bonorum genere ornat; hinc eandem ecclesiam esse τὸ πλήρωμα αὐτοῦ, quatenus ab eo ornatur bonis omnibus, quibus demum opus est ad salutem; ita enim placuisse Deo, vt est *Col. I*, 19. *totam summam bonorum diuinorum habitatum collocare in eo*, id est, Deum ita voluisse et constituisse, vt in Christo esset vniuersa summa bonorum, quibus homines omnes temporibus omnibus opus haberent ad salutem, vt suppeditaret haec bona omnibus, omnes vero bona omnia ab eo expeterent sibi, exspectarent, acciperent. Sed in alio loco, *Eph. V*, 25. *sq.* docet idem Apostolus, *Christum adeo adamasse ecclesiam, vt pro ea se ipsum traderet, eamque suam sibi faceret et*

sacraret. Vnde intelligitur, Iesum esse ecclesiae caput, dominum, non docendo et praecipiendo, quam potius primum salutem acquirendo, morte sua, deinde vero etiam salutem dando, et quidem, non tantum per doctrinam, sed etiam per vim suam et omnipotentiam. Ex quibus omnibus patet euidenter, qualem intellexerit Dominus, intelligique voluerit, cum se diceret *pastorem.*

Verum *ob hos sermones oriebatur rursus*, vt *Cap. IX*, 16. *disceptatio inter Iudaeos*, quisnam tandem esset Iesus, quidnam de eo esset statuendum; aliis, iisque *multis dicentibus, furere eum et insana loqui, neque adeo amplius audiendum esse; aliis vero existimantibus, hos non esse sermones hominis insanientis; talem non posse coecis visum dare.* Hi, qui bene sentiebant de Domino, audiuerant quidem, quae tum non poterant satis assequi; viderant tamen etiam miraculum, excedens omnem vim humanam, editum nuper in homine coeco, *Cap. IX*, 6. *sqq.* colligebantque ex virtute diuina, in eo conspicua, sermones eius insanos esse non posse, immo vero sanos esse et verissimos. Etenim δαιμόνιον ἔχειν, itemque δαιμονίζεσθαι et μαίνεσθαι vsurpari tanquam verba idem declarantia, et denotare: insana dicere et agere, vidimus ad *Cap. VII*, 20. et *VIII*, 48. Sed ad hanc controuersiam nihil respondit Dominus.

Post haec vero die aliquo festo noua congrediendi occasio suppeditabatur. *Agebantur* enim *tum Hierosolymis solennia*, memoriae instaurati templi sacra, *quae encaenia vocabant, tempestate valde aduersa.* Id enim hoc loco videtur denotare χειμὼν, tempestatem pluuiosam, nubilam et procellosam, vt etiam alias in N. T. veluti *Matth. XVI*, 3. *Act. XXVII*, 20. additumque fuisse, vt intelligeretur, quare Dominus egerit non sub dio, sed in porticu templi. Sed τὰ ἐγκαίνια in vniuersum denotant: solennia inaugurationis domus, vel tem-

pli instaurati, et hoc loco nominatim intelligenda esse haud dubie videntur solennia annua, instituta a Iuda Maccabaeo, in memoriam templi Hierosolymitani, a sordibus Antiochi Epiphanis repurgati, per octo dies celebrata inde a die XXV. mensis Cisleu, qui incidit in nostrum Decembrem, eiusque diem octauum et decimum. Res narratur 1 *Macc. IV*, 52. 58. *sq.* 2 *Macc. X*, 5. *sqq.* itemque a IOSEPHO, *in Antiquit. XII*, 7. 7.

His igitur diebus *cum Iesus obambularet in porticu, quae templo adhaerebat, et Salomonea appellabatur, circumsistunt eum Iudaei, quaerentes: Quousque tandem suspensos detines animos nostros? Si tu es Messias, dic nobis aperte.* Constat enim, ad templum exstructas fuisse porticus plures, in quibus homines ambulare et magistri docere possent, tutique essent ab aëre et imbre. In porticu eiusmodi inambulabat Dominus, nominatimque ea, quae Salomonea dicebatur, non tanquam fuisset ea ipsa, a Salomone olim exstructa; dudum enim vastatum erat templum eius; sed quoniam instaurata erat eodem in loco, in quo Salomo suam aedificauerat; nisi volueris dicere, hanc porticum in deuastatione templi Salomonei illaesam mansisse, saltem rudera eius adhuc adfuisse, ex quibus instaurata fuerit haec porticus, retinueritque adeo nomen Salomonis. Locus insignis de hac re extat apud IOSEPHUM, *Antiqu. XX*, 9. 7. Fit eius porticus mentio alias quoque in libris sacris N. T. nominatim *Act. III*, 11. *V*, 12. Hic igitur Dominum cingunt Iudaei, his verbis eum adorti: *ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις*; Ac formula: *τὴν ψυχήν τινος αἴρειν*, plane inusitata est scriptoribus graecis eo significatu, quo dicitur hoc loco, vbi, vt oratio contexta docet, denotare videtur: aliquem dubium tenere dictis ambiguis. Etenim Dominus saepe multumque de se locutus erat ad Iudaeos, ac declarauerat, quisnam esset; sed, quod negari non potest, verbis maximam partem tropicis et figuratis, idque consilio

sapientissimo; veluti cum nuperrime se diceret *pastorem bonum*; abstinuit autem consulto nomine Messiae, cui tribuerent Iudaei vim plane perversam. Queruntur itaque, Dominum sermonibus eiusmodi obscurioribus ipsos relinquere dubios et incertos, quisnam tandem sit, voluntque, vt nunc quidem loquatur sine imaginibus, dicatque verbis claris et perspicuis, num sit Messias, atque ita certos eos reddat. Non multum abhorret interpretatio aliorum, qui isti formulae tribuendam putant significationem hanc: facere spem inanem, adeoque decipere, ludificare; atque ita dicere voluissent Iudaei et postulare a Domino, nolit eos amplius vana spe lactare; quam huius formulae significationem repetunt in primis ex vsu loquendi Hebraeorum in verbo: נָשָׂא seu potius הִשִּׁיא. Videri potest KREBSIVS in *Obseruatt. e Iosepho ad h. l.* et LOESNERVS in *Obseruatt. e Philone ad h. l.*

Dominus etsi non ignoraret, hanc quaestionem, vt sequentia innuere videntur, ex animo subdolo profectam esse; tamen mansuete respondit, magis erudire cupiens, quam irritare. *Dixi vobis*, qui sim, inquit. Ac profecto saepius dixerat, quinam esset. Abstinuerat quidem in sermonibus ad populum nomine Messiae, quod peruerse intelligerent; vsus quoque fuerat imaginibus, veluti *lucis mundi*, *panis vitalis*, *pastoris boni*, reliqua; sed subiecit quoque eorum interpretationem, cum diceret, se esse eum, qui liberare possit a pernicie aeterna et vitam dare felicitatemque perpetuam, qui vitam ponat pro hominibus ad eos liberandos et beandos, per quem, quicunque ipsum amplexus fuerit, consequi possit salutem omnimodam; et quae sunt eius generis multa alia. Hoc quid erat aliud, quam, se profiteri Messiam, hoc est, felicitatis humanae auctorem promissum? Igitur verissime respondit Dominus: dixi iam, me esse Messiam. Sed aeque vere subiicere poterat: *vos dictis meis fidem non habetis*. Id enim de-

notat hoc loco verbum *πιστεύειν*, nempe verbis Domini, quando se profiteretur Messiam, assensum non praebere. Sed addidit etiam aliquid amplius, scilicet, ne verbis quidem opus esse; etsi non dixerit verbis, quinam esset, eos tamen non ignorare posse, quid ex ipso scire cupiant; nullum certius testimonium esse, quam ex factis petitum; viderant vero opera eius maxime insignia et plane diuina, quae, vt professus olim erat Nicodemus, *Cap. III*, 1. patrare nemo possit, nisi habuerit Deum praesentem et opitulantem; *haec opera*, ait, *auctoritate Patris mei a me patrata, testantur de me*, argumentum praebent luculentissimum, me diuinitus esse missum et Patri coniunctissimum. Loquitur Dominus euidenter de miraculis suis, eaque dicit se edidisse *ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου*, iussu, auctoritate, vi Patris, tanquam socius attributorum diuinorum et operum, qui eadem habeat eademque faciat, quae Pater, vt diserte dixerat supra, *Cap. V*, 17. *sqq.* et tanquam legatus, ab eo missus, eiusque vi instructus; hisque miraculis tribuit hanc vim, vt, quisquis ea viderit, aut vere facta esse cognouerit, inde colligere possit certo et euidenter, eum, qui talia patrauerit, agere vi diuina, adeoque esse diuinitus missum, cuius dictis fidem habere quisque possit ac debeat. Conf. *Io. II*, 23. *V*, 36.

At vero vos, ita perrexit Dominus, *mihi non creditis*, meisque neque verbis, cum me Seruatorem profiterer, neque operibus, cum me talem factis demonstrarem, fidem praebetis; *nam, vt dixi, de grege meo non estis*, vos adduci ad gregem meum non patiemini, nunquam fietis disciplinae meae alumni, imperiique ciues. Verbis vltimis: *καθὼς εἶπον ὑμῖν*, si quidem genuina sunt, de quo tamen nonnulli dubitant, respexisse videtur Dominus ad superiorem sermonem de pastore bono, vt patet quoque ex verbis sequentibus.

Oues meae meam vocem attendunt; sicut ego eas amo, meque ducem sequuntur; atque ego adducam eas

ad vitam aeternam, nullo vnquam tempore peribunt; *ego meae potestati eas eripi non sinam.* Hic igitur rursus, vt *vers.* 15. appellauit Dominus τὰ πρόβατα vel homines in vniuersum omnes, quatenus curae ipsius traditi sunt a Patre, vel in specie eos, qui se adduci patiuntur ad coetum disciplinae suae alumnorum imperiique ciuium. Hi *vocem eius audiunt*, hoc est, effatis Domini, quando se diceret demonstraretque missum a Deo ducem auctoremque salutis humanae, fidem habent, eumque vt talem fide suscipiunt. Ipse vero *eos agnoscit* tanquam suos, amat vt suos, sic, vt eorum peculiarem curam gerat, eorum saluti omni modo prospiciat, eos a miseriis liberet, defendat a malis, tueatur in periculis, atque ab omni pernicie tutos praestet; quae notiones omnes insunt in vno verbo γινώσκειν, ex hebraica dicendi consuetudine, satis nota. Hi vero etiam *eum sequuntur* fide et obedientia, id est, profitentur eum salutis auctorem, in eo spem salutis ponunt, ab eoque salutem expetunt et exspectant, at vero etiam praeceptis eius obtemperant et exemplum imitantur. His *dat vitam aeternam*, pro ea potestate, quam ipsi tradidit Pater, tribuendi omnibus, qui modo voluerint, vitam, eandemque omnibus numeris beatam, in hoc et in altero saeculo. *Cap. XVII*, 2. Hi *in aeternum non peribunt*, nullo vnquam tempore, neque in hac vita, neque in morte, neque post mortem, in omnem aeternitatem, accidet iis quicquam, quod infelices eos reddere, salutemque iis eripere, aut perturbare possit. Sunt enim toti traditi ac commissi curae ac tutelae Christi, Domini, cuius potentia est tanta, amor tantus, vt eius regimini eos eripere nihil omnino, neque vita, neque mors, neque angeli, neque principes, neque praesentia, neque futura, neque coelum, neque terra, neque vlla alia res, vnquam possit. Igitur promisit Dominus iis, qui ipsum tanquam salutis humanae principem fide suscipiunt, animumque ac vitam totam ad

normam ipsius disciplinae atque exempli componunt; curam pro eorum salute plane singularem, eandemque certissimam, perpetuam, in aeternum duraturam, atque adeo felicitatem omnimodam et perpetuam.

Cuius promissionis confirmandae causa subiecit haec: *Pater meus, qui eas mihi tradidit, est longe potentissimus, eiusque potestati nulla vnquam vis eas eripere poterit; ego et Pater sumus vnum.* Primum dicit: *Pater eas mihi tradidit;* nempe vt eas redimerem, seruarem e pernicie, ad salutem adducerem; plane vt *Cap. XVII,* 2. vbi his verbis vsus est: *tu ei potestatem dedisti in homines omnes, quos vitae aeternae participes redderet.* Igitur opus Christi salutare est opus Patris, quod suscepit et peragit volente et mandante Patre. Deinde addit: *Pater maior est omnibus,* id est, longe potentissimus est. Et quid inde? Scilicet nulla vis et potentia mundana Patris imperio subtrahere potest quicquam. Voluit igitur Dominus dicere: oues meas meae potestati et curae nulla vis eripere potest non magis, quam potentiae et curae Patris, qui est potentissimus. Ad extremum vsus est verbis his, notatu longe dignissimis: ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. Haec permulti interpretes explicarunt olim explicantque cum maxime nunc de consensu voluntatis et consiliorum, hoc sensu: ego et Pater consentimus inuicem, habemus vnam eandemque voluntatem, vnum idemque consilium. Ac sane vsus loquendi permittit hanc interpretationem; nam formula: ἓν εἶναι, in vniuersum exprimit coniunctionem plurium. Sed haec coniunctio potest esse multiplicis generis. Quare in vnoquoque loco diligenter videndum est, quatenus quidam dicantur coniuncti esse; id vero iudicandum ex oratione contexta. Haec autem illam interpretationem in hoc loco nullo modo patitur. Etenim sermo hic non est de consensu voluntatis et consilii, sed operis et potestatis. Nam primum Dominus dixit de se: meis ego largior vitam

aeternam, nec quicquid potest eos potestati meae subtrahere. Mox idem praedicauit de Patre: Patris potestati nihil quicquam eos potest eripere. Ergo idem sibi tribuit Dominus, quod Patri, et quidem non voluntatem eandem, sed opus idem, nominatimque opus potentiae, adeoque potentiam eandem. Deinde indicauit caussam, quare Patris potestati eripi nihil posset, scilicet quoniam esset potentissimus, neque vlla via totius mundi tanta, quae posset ei resistere; igitur rursus sermo est de potentia, eaque summa. Denique addidit etiam argumentum, quare ipsi non magis aliquid eripi posset, quam Patri, nimirum hoc: *ego et pater vnum sumus*. Et in quonam? Scilicet in opere potentiae, quo suos tuetur, nec sibi eripi patitur. Qualis est Pater, talis est Filius. Quale opus est Patris, idem est Filii. Vt Pater est potentissimus, ita et Filius. Vt Patri nihil potest resistere, ita nec Filio. Quod Pater habet, Filius habet. Quod efficere potest Pater, efficit quoque Filius. Pater est in Filio et Filius in Patre, vt dixit *vers.* 38. Inde vero colligere quoque possumus, vbi est vna eademque vis et potentia diuina, ibi etiam est vna eademque natura diuina. Haec igitur series orationis interpretationem eam postulat atque adeo exigit, quam diximus. Plane egregie hunc locum interpretatus est EVTHYMIVS ZIGABENVS. Verba eius sunt haec: *ἓν κατὰ τὴν δύναμιν, ἤγουν, ταυτοδύναμοι. Εἰ δὲ ἓν κατὰ τὴν δύναμιν, ἓν ἄρα καὶ κατὰ τὴν θεότητα καὶ οὐσίαν καὶ φύσιν. Διὰ μὲν οὖν τοῦ εἰπεῖν· ἐγὼ καὶ πατὴρ, τὴν δυάδα ἐδήλωσε τῶν προσώπων, τὸ διάφορον τῶν ὑποστάσεων: διὰ δὲ τοῦ· ἓν ἐσμεν, τὴν μονάδα τῆς θεότητος, τὸ ταὐτὸν τῆς οὐσίας καὶ φύσεως καὶ δυνάμεως. Vnum potentia, siue eiusdem potentiae. Quodsi vnum potentia, vnum sane et diuinitate et essentia et natura. Dicens itaque: ego et pater, significauit dualitatem personarum, diuersitatem hypostaseon; subiiciens autem: vnum sumus, diuinitatis vnitatem, identitatem essen-*

tiae, naturae et potentiae. Accedit, Iudaeos, Iesum audientes, mentem eius pari modo intellexisse et explicasse. Etenim *vers.* 33. dicuntur in blasphemiam vertisse Domino, quod ausus fuisset dicere, se et Patrem esse vnum, atque ita se fecisset parem Deo. Quodsi Dominus locutus esset de consensu voluntatis inter se et Patrem, atque hoc tali sensu Iudaei verba eius intellexissent, quomodo tandem ipsi crimen blasphemiae intentare potuissent? Consentire cum Deo ratione voluntatis, sic, vt idem velint, idem nolint, omnes omnino homines et possunt et debent, multoque magis legatus diuinus. Sed quoniam dixit, inter se et Patrem esse consortium potestatis absolutissimum, seque adeo parem esse Patri, id vero offendebat Iudaeorum animos, propter hanc causam blaspheme eum locutum esse censebant, atque ita dignum poena lapidationis. Sed qua ratione Iudaei intellexerunt interpretatique sunt verba Domini, eadem et nos oportet ea intelligere et interpretari.

Etenim his verbis adeo irritati sunt Iudaeorum animi, vt rursus, quemadmodum fecerant olim, *Cap. VIII*, 59. *lapides tollerent ad eum obruendum.* Eos tamen coniicere in ipsum, ausus est nemo. Quem illorum furorem placidis verbis corrigere tentauit Dominus, dicens: *ego vero exhibui vobis ex voluntate Patris mei beneficia multa et illustrissima; quodnam tandem eorum mouet vos, vt lapidibus me petere tentetis?* Etenim τὸ λιθάζετε, voluntatem exprimit, non effectum; qua ratione loqui soliti sunt graeci quoque scriptores; vt docuit MARKLANDVS *ad Lysiam p.* 534. *edit. Reisk.* In memoriam reuocauit Dominus Iudaeis multa et magna praeclare facta, per triennium fere inter eos edita, beneficia innumerabilia et longe saluberrima, ex Patris sui voluntate ipsis exhibita: πολλὰ καλὰ ἔργα ἔδειξα ὑμῖν ἐκ τοῦ πατρός μου· docuerat rerum diuinarum ignaros, errantes in rectam viam deduxerat, peccatores

vocauerat ad poenitentiam, consolatus erat afflictos, esurientes saturauit, mancos restituit, leprosos mundauit, aegrotos sanauit, daemoniacos liberauit, paralyticos erexit, febres depulit, mortuos in vitam reuocauit, omne morborum ac malorum genus profligauit, totam potestatem suam ac vim iuuandis miseris impendit. Haec erant *καλὰ ἔργα*, opera salutaria, beneficia egregia; haec *demonstrauit*, id est, exhibuit Iudaeis, *ἐκ τοῦ πατρὸς*, nomine et auctoritate Patris, ita volente et decernente Patre, pro immenso ipsius in homines amore; erant igitur beneficia exhibita a Patre et pro beneuolentia Patris. Iam, inquit, inter tot ac tanta opera num est vel vnum, quod dignum vos censere possitis lapidatione?

Tum illi: *propter praeclare facta*, *inquiunt*, *te saxis petimus nullo modo, sed propter impium in Deum sermonem, quoniam, homo cum sis, te Deum venditas.* Verissime igitur et intellexerunt, et interpretati sunt verba Domini, cum Deum appellaret Patrem seque adeo Filium Dei, *vers.* 29. diceretque: *ego et Pater vnum sumus*; *vers.* 30. probe perspicientes, eum sibi tribuere absolutissimum potestatis, atque adeo etiam naturae diuinae consortium, seque parem facere Deo; pessime autem inde argumentabantur, impie locutum esse Dominum aduersus Deum, merum hominem illum arbitrati, dignum, qui lapidibus obruatur; quae poena lege destinata erat impie loquentibus. *Lev. XXIV*, 14.

Quod crimen blasphemiae, ipsi intentatum, vt a se depelleret Dominus, intimam suam cum Patre coniunctionem ratione potentiae et naturae vberius quidem neque demonstrauit, neque hominibus, praeconceptis opinionibus occupatis, rerumque diuinarum omnium ignaris, demonstrare potuit; nec magis explicare voluit, quare Deum appellauerit Patrem, se autem Filium Dei, ne magis irritaret animos eorum concitatos; vt tamen dignitatem suam vindicaret, vsus est exemplo,

ex libris Iudaeorum sacris petito, quo ostenderet, se iure appellari posse Dei Filium, etsi ob alias et proprias causas, certe propter hanc, quoniam sit a Deo in hanc terram missus. Respondit enim in hunc modum: *nonne in vestris libris sacris extat hoc: ego vos appellaui deos. Enimuero si deos appellauit, quibus mandata dederat, Scripturae autem constare debet sua veritas, qui tandem me, quem Pater mittendum destinauit in has terras, impie locutum esse potestis contendere, quod Dei Filium me appellauerim?* Prouocavit nimirum Dominus ad locum *Psalmi LXXXII*, 6. *coll. v.* 1. vbi iudices et magistratus *dii* appellati esse leguntur, et *filii Dei altissimi*, et quidem propterea, quoniam ipsis mandata dederat, quae nominatim commemorantur *vers.* 3. *et* 4. in loco Psalmi, nimirum, causam agere tenuium et pupillorum, pauperes absolvere, liberare tennes eosque ab impiorum iniuriis defendere, in vniuersum, iustum iudicium exercere, ius dicere inter homines, eos regere, tueri, salutique eorum omni modo prospicere; hoc enim sibi volunt verba Domini: πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐγένετο. Neque tamen frustra Deum tribuisse magistratibus nominis sui dignitatem, docet inde, ὅτι οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή, Scriptura non potest solui, non tolli, non irrita reddi, non auctoritate sua priuari, nihil tradi in ea, quod sit falsum, aut falsum pronunciari, quod in ea traditum extet; verissimum igitur est, magistratus deos appellari, et dici posse, non laesa vnius Dei maiestate, Deus ipse hoc declarauit. Quod si ita est, nonne, inquit Dominus, multo maiori iure appellare possum me Filium Dei, qui sum principibus et magistratibus longe maior, quippe quem Pater sanctificauit, selegit sibi ministrum, destinauit inde a mundo condito mittendum in has terras, perficiendoque operi saluberrimo consecrauit? (Conf. *Ier. I*, 5. *Gal. I*, 15. *et Io. XVII*, 17. *sqq.*) Quod illis competit, competit et mihi. Quod mihi vindico,

vindicat Scriptura ipsa etiam aliis. Male igitur agitis, quod mihi intendere audetis crimen blasphemiae. Sed haec disputauit Dominus non ea mente, eoque consilio, quemadmodum ex hoc loco colligi posse nonnulli putarunt perperam, tanquam voluisset docere, se non alio sensu esse, dicique velle Deum et Filium Dei, quam quo in V. T. appellati fuisse reperiuntur magistratus, nimirum propter muneris rationem; multo minus tanquam amolitus esset a se opinionem, se esse Deum et Filium Dei, eodem sensu, quo Pater; nullo modo; quomodo enim? cum in proxime antecedentibus professus esset diserte, se tueri coetum suum, vt tueatur Pater, se adeo idem efficere posse, quod efficiat Pater, se vnum esse cum Patre, ratione operis potentiae, seque adeo Patri esse parem; sed vsus est Dominus argumentatione ab exemplo, quam instantiam appellare solent Philosophi, disputauitque ex concessis: magistratus dicuntur dii et filii Dei, sine iniuria in Deum, immo vero Deus ipse eos ita appellauit, quoniam iis singularia mandata dedit; nonne pari modo parique iure ego ita appellari possem, quem Deus ablegauit in hunc mundum, cuique dedit mandata, humano generi longe saluberrima? Id quod sequentia quoque perspicue docent.

Neque enim ex verbis tantum indicari voluit Dominus, sed ex factis. Subiecit nimirum *vers.* 37. *et* 38. haec: *nisi opera fecissem eadem, quae Pater facit, possetis denegare fidem meis verbis; eiusmodi vero cum fecerim, iis saltem, nisi verbis meis credere volueritis, fidem habere deberetis, atque ita intelligeretis, planeque vobis persuaderetis, Patrem in me esse, me in Patre.* Quibus verbis manifeste declarauit Dominus, se esse Filium Dei non eo sensu, quo magistratus Iudaeorum appellati fuerint, sed longe excellentiori, non ob muneris, sed naturae rationem, quoniam eadem faciat, quae Pater. Haec enim sunt τὰ ἔργα τοῦ πατρὸς

μου, nimirum: opera, cuiusmodi facit Pater. Dixerat nempe in proxime antecedentibus, se et Patrem vnum esse; quibus verbis, vt series orationis euidenter docet, consortium vnius eiusdemque potentiae exprimere voluit. Iam ex his verbis satis perspicue intelligebant quidem Iudaei, Dominum sibi vindicasse et tribuisse, quae sunt Dei, seque adeo parem fecisse Deo, siue, quod idem est, se appellasse Deum; sed haec verba Domini, cum fidem iis habere debuissent, in sensum deteriorem detorquent et crimen impietatis ei impingunt. Iam Dominus, facile, ait, id vobis condonauerim, cum his meis verbis fidem denegetis, nisi oculis vestris videretis, me vere facere opera eadem, quae Pater facit; ex his saltem vobis persuadere et possetis et deberetis, intimam intercedere inter me et Patrem potentiae eiusdem coniunctionem, meque verissime et iure meo Deum appellasse Patrem meum, me vero Dei Filium. Nam verba Domini: *Pater est in me et ego in Patre*, exprimunt quidem in vniuersum coniunctionem intimam, denotantque: *sumus coniunctissimi*; sed qualis coniunctio sit intelligenda, et quonam sensu Dominus dixerit, Patrem sibi et Patri se esse coniunctissimum, ex serie orationis est demonstrandum. Enimuero Dominus in proxime antecedentibus dixerat: facio opera Patris. Ergo intelligenda est coniunctio vnius eiusdemque *ἐνεργείας*, et Pater erat in Filio, Filius in Patre, quatenus Filius eadem habebat, quae Pater, et eadem, quae Pater, facere poterat et faciebat; plane vt supra *Cap. V*, 17. locutus erat: *vt Pater meus operatur, ita ego operor.* Conf. *vers.* 30. et *Cap. XIV*, 10. 11. *XVII*, 21.

Atque hanc fuisse mentem Domini in his verbis, bene percipiebant Iudaei, intelligebantque verissime, ipsum locutum esse de consortio vnius eiusdemque potestatis cum Deo, seque adeo Deo fecisse parem, vt dixerant *vers.* 33. Sed tantum abfuit, vt verbis et factis

Domini fidem haberent, vt potius putarent, hanc esse repetitam blasphemiam in Deum, ac propterea eo magis ira incensi, *conarentur manus ei iniicere*, perfecturi, quod modo (*vers.* 31.) tentauerant. *Sed elapsus ex manibus eorum, traiecto Iordane, rediit in eum locum, vbi Ioannes primum baptizare coeperat*, (Bethabara dictum, *Cap. I*, 28. postea Ioannes secessit in locum obscuriorem, cui nomen erat Aenon, vt est *Cap. III*, 23.) *ibique commoratus est aliquamdiu*, nimirum per quatuor fere menses, vsque ad pascha eius vltimum.

Huc quoque multi confluxerunt ad eum e locis finitimis, excitati fama Domini, eiusque sermonibus auditis, conspectisque miraculis. Nouerant autem Ioannem Baptistam, maximique faciebant etiamnum. Recordabantur, eum, etsi miracula nulla edidisset, tamen sibi conciliasse apud multitudinem auctoritatem tantam, vt adeo pro Messia haberetur, Iesum vicissim tot ac tantis miraculis declarasse potentiam, humanis viribus maiorem. *Ioannes*, inquiunt, *miraculum patrauit nullum*, et tamen fidem ei habuimus; huic igitur multo magis fides habenda est, qui tot prodigiis admirandis fidem conciliat suis effatis. In memoriam sibi reuocabant, quam magnifice testatus fuerit Ioannes de Iesu; cuius testimonio, existimabant, etsi antehac parum creditum fuisset, tamen nunc rem ipsam declarare, *verissima fuisse, quae de eo dixisset*, cum plura praestet, quam de illo esset pollicitus. *Multi igitur eo in loco*, commoti hoc Ioannis de Iesu testimonio illustrissimo, eoque, vt euentus docebat euidenter, verissimo, et sermonibus Domini, diuinae sapientiae plenis, factis denique, diuinam virtutem testantibus, *fidem ei habuerunt*, amplectebanturque tanquam Messiam promissum. Itaque ibi transegit menses quatuor, eosque vitae suae vltimos, docendo et miraculis patrandis.

CAPVT XI.

Aggreditur nunc D. Ioannes, exponere res Domini nostri vltimas. Etenim quae narrauit in Capite antecedente inde a *versiculo vicesimo secundo*, ea acta sunt quatuor fere menses ante pascha Christi vltimum; quae vero in hoc Capite tradidit, acciderunt paucos dies ante hoc pascha, adeoque ante mortem Domini. Fuit nimirum resuscitatio Lazari e morte opus illud Christi praeter modum magnum et inter omnia, quae hucusque fecerat, haud dubie summum et prae caeteris admirandum, atque, iudicante Domino ipso, *vers.* 4. 15. 40. et 45. ad intelligendam maiestatem eius longe illustrissimum, et propter hanc causam a Ioanne data opera et consilio ipsius conuenienter literis consignatum. Ac SPINOZA quidem, auctore BAYLIO, *in Lex. hist. crit. voce Spinoza n. R.* confessus est, si sibi, non ad opinionem solum, sed ad veritatem, plane persuaderi posset, Lazarum e morte in vitam fuisse reuocatum, se totum systema suum esse destructurum, doctrinamque christianam amplexurum. Tantam vim ipsi aduersarii infensissimi huic miraculo inesse arbitrati sunt! Quae tamen contra illud protulerunt quidam, nominatim WOOLSTONVS et id genus alii, dudum refutata sunt a LARDNERO, STACKHVSIO aliisque, in libris satis notis. Recentissimorum quorundam interpretum dubitationes, non nouas, sed maximam partem ab illis petitas, et quae viri docti disputauerint contra, si quis cognoscere voluerit, adire potest KVINOELII *Commentarium in Libros N. T. ad hunc locum.* Nos quidem putaremus, hanc narrationem sua se simplicitate et pulchritudine ita commendare animo legentis cuiusuis, vt, siue spectes rem ipsam, siue modum, quo

acta est, siue denique euentum, de eius veritate a viro erudito et pio et sacrarum literarum amante dubitari vix vllo modo possit.

Scilicet Dominus dum commoratur in regionibus, trans Iordanem sitis, in quas, vt est ad finem Capitis antecedentis, se receperat ante menses fere quatuor, accidit, *vt morbo decumberet Lazarus quidam in oppidulo Bethania, vico patrio sororum eius, Mariae et Marthae; Mariae nimirum eiusdem, quae* paulo post *vnxit Dominum* in conuiuio accumbentem *vnguento pretioso, eiusque pedes capillis detersit; huius igitur frater Lazarus aegrotabat.* De hac vnctione sermo demum est Capite sequente; quare Ioannes locutus est per prolepsin, quam dicunt Grammatici, et verbum *ἀλείψασα*, vnxit, de tempore futuro est intelligendum. Quando autem Bethania dicitur *ἡ κώμη μαρίας καὶ μάρθας*, non intelligendus est vicus, quem possidebant, qui ipsis erat proprius, vt volunt nonnulli, sed in quo habitabant. Nam vnaquaeque vrbs, vnusquisque ager, in quo aliquis natus est, aut habitat, dicitur illius vrbs, aut ager. Nec quenquam offendere debet interiecta praepositio *ἐκ*. Ita enim supra quoque locutus erat Ioannes, *Cap. I*, 45. *ἀπὸ βηθσαϊδὰ ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου*. Caeterum quae de Lazaro tradita reperiuntur apud EPIPHANIVM et alios, eum nempe postea vixisse triginta amplius annos, et Episcopum fuisse in insula Cypro, aut, vt alii volunt, Episcopum Massileensem, ea plane sunt incerta.

Igitur Lazarus cum graui morbo periclitaretur, *sorores illius ad Iesum mittunt, qui nunciet haec: Domine, is, quem amas, aegrotat.* Nihil amplius addunt, nihil precantur; satis esse putant, nunciasse amanti morbum amici, non dubitantes, quin pro mirifica sua in omnes humanitate, et pro familiaritate singulari, quae cum eo ipsis intercedebat, paratus sit, succurrere amico periclitanti quauis ratione.

Quo audito, respondet Iesus nuncio, iubetque renunciari sororibus, *morbum hunc non esse mortiferum*, sed permissum diuinitus, *vt* per eius occasionem *gloria Dei illustretur, et Filius Dei glorificetur*. Hanc igitur responsionem dedit Dominus haud dubie nuncio, vt notarunt CHRYSOSTOMVS et THEOPHYLACTVS, quam referret sororibus in earum solatium. Morbum autem dixit non esse πρὸς θάνατον, periculosum, fatalem, capitalem, mortem certo afferentem. Iam morbus Lazari cum vere talis fuerit, qui mortem ipsi afferret, Dominum, patet, locutum esse subobscurius, vt facere in eiusmodi causis solebat, atque intellexisse mortem talem, qualis vulgo solet esse, quam nulla vis humana impedire, neque ex ea liberare potest, simulque spem facere voluisse, fore, vt, etsi eam obiret, tamen suscitetur in vitam, adeoque mors eius pro nulla habenda sit. Dixit porro, morbum istum non accidisse casu, sed dirigente peculiari prouidentia diuina, hoc quidem fine, vt per eum illustretur gloria et maiestas Patris aeque ac Filii. Et gloria Patris quidem illustrabatur, dum hunc morbum permisit, sed pro sua sapientia ac benignitate in salutem Lazari et multorum aliorum vertit; Filii autem, dum sua vi atque omnipotentia Lazarum e morte in vitam reuocauit. Vnde et illud patet, Dominum iam tum certo cognitum habuisse, Lazarum ipsius beneficio vitae restitutum iri. Denique se appellauit Filium Dei, coniunxitque gloriam Patris et gloriam suam. Vbi glorificatur Filius, glorificatur quoque Pater.

Iesus autem insigni fauore complectebatur Martham eiusque sororem et Lazarum. Hoc non sine causa subiecit Ioannes, sed vt intelligeretur, primum, singulari prouidentia diuina factum esse, vt etiam is, quem maximopere diligeret Dominus, in morbum incideret atque etiam in mortem, eumque amantes calamitatibus affligerentur in ipsorum aliorumque salutem; deinde

Mariam et Martham non temere prouocasse ad amorem Domini erga Lazarum; denique sua sponte Dominum promtum fuisse ac paratum ad auxilium ipsi ferendum.

Posteaquam igitur ei renunciatum est de morbo Lazari, remansit per biduum eodem in loco, vbi tum erat; non negligens amici periculum, sed exspectans copiosius argumentum, edendi miraculi, quo discipulorum imbecillium animi ad spem fidemque erigantur, et gloria Patris suaque ipsius maiestas illustretur euidentius. Etenim vix defendi posse videretur haec tarditas Domini, qua, allato nuncio de morbo amici periculoso, non statim proficiscebatur, sed cunctabatur per biduum, neque conciliari cum ipsius humanitate, sexcentis exemplis cognita et demonstrata, eiusque promtitudine, auxilii ferendi afflictis omnibus, nisi in promtu esset, eum hoc fecisse consulto et causis sapientissimis, eumque certo praeuidisse et scivisse, quid esset euenturum.

Postea vero, elapso biduo, *admonuit discipulos his verbis: eamus in Iudaeam*, vbi nempe sita erat Bethania non procul ab Hierosolymis. Sed discipuli, audito nomine Iudaeae, memores, quam atrox in eum esset Pharisaeorum odium, quoties lapides in eum sustulissent, quoties conati fuissent, manus ei iniicere, mirari satis non possunt, Dominum redire velle ad homines, ipsi infensos, ingratos, eiusque beniuolentia plane indignos, metuunt quoque non tantum Domino, verum etiam sibimet ipsis, vt *vers.* 16. clare docet. Dehortantur itaque Dominum a repetenda Iudaea his verbis: *magister, nuperrime ausi sunt Iudaei, te lapidare, et rursus eo proficisci sustines*, teque obiicere periculo manifesto?

Hanc discipulorum formidinem Dominus mitigare voluit *vers.* 9. *et* 10. hoc aenigmate: *nonne dies habet horas duodecim? Interdiu qui iter facit, non impingit, quia solis luce fruitur; noctu autem iter faciens, impinget, quia solis luce caret.* Ac quare dixerit Domi-

tantum soporem grauem, quam syncopen appellare solent artis medicae periti. Sed melius est, opiniones eiusmodi, siue potius figmenta manifesta silentio praeteriisse, quam commemorasse. Dominus loquitur clare et perspicue, sine omni ambiguitate, et, quod antea dixerat subobscurius, quodque discipuli recte non intelligebant, explicat nunc disertis verbis: *Lazarus mortuus est.* Loquitur cum certitudine, sic, vt profecto dubitari non possit, ipsi plane persuasum fuisse de morte Lazari. Vnde vero ei haec tam certa cognitio rei, alio in loco gestae? Alium nuncium ei missum esse a Maria et Martha, vt nuper dixit aliquis, profecto est figmentum merum; etenim de nouo nuncio extat in toto hoc loco vestigium ne levissimum quidem; immo vero omnia docent, satis habuisse Mariam et Martham, Iesum nosse periculum amici. Quare fateri omnino oportet, per omniscientiam suam Dominum cognitam habuisse mortem Lazari. Sane hic quidem non dicebat, se Bethaniam proficisci eo consilio, vt e morte in vitam suscitet Lazarum; hoc dixerat iam antea, *vers.* 11. maluitque praestare, quam promittere; sed indicabat simile quid, nimirum se laetari, quod illic non adfuerit, dum Lazarus aegrotaret ac moreretur, idque discipulorum causa, vt fiducia eorum imbecillis adhuc confirmetur euidentiori miraculo. Etenim si ipso praesente conualuisset aegrotus, dici potuisset, factum id esse casu quodam; aut si ipsum excitasset, recens defunctum, calumniari poterat aliquis, soporem fuisse, non mortem. Nunc vero cum iam mortuus esset, et quidem iam ante dies aliquot, vt de certitudine mortis dubitari posset nullo modo, miraculum erat eo illustrius, et ad firmandam fidem discipulorum efficacius. Eo enim significatu vsurpatum est hoc loco verbum πιστεύειν, nimirum de confirmatione fidei, quo et alias reperitur, veluti *Cap. II*, 11. et verba iungenda sunt hoc modo: καὶ χαίρω, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, δι' ὑμᾶς, ἵνα

πιστεύσητε. Atque ita excitauit discipulos, vt ipsum comitarentur in hoc itinere.

Discipuli solliciti quidem et moesti propter metum Iudaeorum et periculum praesentissimum, neque tamen audent detrectare Domini iussum; immo vero eorum aliquis, *Thomas* nimirum, *cognomine Didymus*, *condiscipulos ita alloquitur: agite, comitemur ipsum, etiamsi cum illo nobis sit moriendum.* Etenim nomen *Δίδυμος* addidit Ioannes, non vt explicaret nomen Θωμᾶς, sed vt indicaret, eundem Thomam appellari quoque solitum fuisse Didymum, quod docent verba: ὁ λεγόμενος, quae semper exprimunt cognomen, veluti: σίμων, ὁ λεγόμενος πέτρος. Conf. *Cap. XX*, 24. Deinde pronomen: αὐτοῦ referendum non est ad Lazarum, sed ad Christum, Dominum. Etenim formula: ἀποθνήσκειν μετά τινος, innuit societatem mortis, quae ratione Lazari locum non habebat, cum iam exspirasset, et quidem morte placida, Thomas autem intelligeret mortem violentam. Nam eripi sibi nullo modo patiebatur, Dominum se suosque adducere in manifestum vitae periculum, dum proficisceretur in Iudaeam; neque tamen aequum existimabat, eum deserere in periculis, immo vero significabat animum promtum, vna cum Christo se non modo periculis obiiciendi, sed adeo etiam morti. Idem animus erat discipulorum reliquorum. Igitur vna cum Iesu profecti sunt in Iudaeam.

Iam vbi venisset Iesus cum discipulis, *reperit Lazarum iam quartum diem in sepulchro agentem.* Venisse dicitur Dominus, nimirum εἰς βηθανίαν, quod additum extat in Codicibus quibusdam, haud dubie ex interpretamento; et venit quidem ad agrum Bethaniensem; neque enim vicum ipsum iam ingressus erat, vt docet *vers.* 30. Dum igitur appropinquat vicum, comperit, Lazarum quatriduo iam sepultum esse.

Erat autem Bethania Hierosolymae vicina, distans

ab ea stadiis fere quindecim, *) quae efficiunt vnius horae spatium. Hinc formido discipulorum. Hinc vero etiam, vt miraculum haberet plures spectatores et testes. *Nam complures Iudaei* ex vrbe Hierosolymitana conuenerant *Martham et Mariam,* **) officii et honoris gratia, *vt eas consolarentur de obitu fratris.*

Iam Martha, vbi rescisset, aduentare Iesum, ei obuiam prodit, Maria interim in aedibus considente, atque his verbis eum alloquitur: o si adfuisses, Domine, mortuus non esset meus frater! Sed nunc quoque mihi persuasum est, Deum daturum esse tuis precibus, quicquid ab eo petieris. His vltimis verbis Martham nonnulli putant testatam fecisse spem suam, fieri posse, vt Dominus, si modo voluerit, fratrem, etiam mortuum et sepultum, in vitam reducat; sed obstare omnino videtur *vers.* 24. ex quo patet, Martham, etsi Dominus confirmaret, fratrem in vitam rediturum, tamen nihil amplius sperasse, quam resurrectionem, die

---

*) Paulo rarior est vsus praepositionis *ἀπὸ*, vbi praefigitur nominibus internallorum; formula ipsa autem est elliptica, subintelligendumque verbum *γίνεσθαι*. Plene dicendum fuisset: *ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε γινομένη*. Vid. KYPKIVS ad hunc locum.

**) *Αἱ περὶ μάρθαν καὶ μαρίαν* sunt Martha et Maria ipsae. Etenim scriptores Graeci elegantissimi nomini proprio iungunt articulum pluralem cum praepositione *περὶ* et *ἀμφὶ*, vel pro nomine proprio simpliciter, vel pro comitibus, sociis, familiaribus alicuius. Sic v. c. dicunt: *οἱ περὶ πλάτωνα*, id est, Plato; porro: *οἱ ἀμφὶ ἀριστοτέλην*, id est, Aristoteles; deinde vero etiam: *οἱ περὶ τὸν παῦλον*, vt est *Act. XIII*, 13. Paulus eiusque comites. Hoc loco priori modo est accipiendum. De hoc idiotismo linguae graecae exquisitiori praeter interpretes, in primis RAPHELIVM, WETSTENIVM, KREBSIVM, LOESNERVM, alios, videri potest GRAEVIVS *in Lect. Hesiod. Cap. IX.* et ERNESTI *ad Xenoph. Mem. Socr. I,* 1. 18. itemque VALCKENARIVS *in Selectis e scholis in libros quosdam N. T. Tom. I. p.* 499. *sq.*

nouissimo futuram. Significauit igitur spem hanc, primum, potuisse Dominum, si fratre viuente adfuisset, morbum eius vel dicto depellere, atque auertere ab iis tantum dolorem; deinde vero, eum etiamnunc posse sua pietate, cura ac beniuolentia facile praestare, quae ad leniendum earum dolorem, omninoque in solatium et commodum facere possint.

Respondit Iesus: in vitam redibit tuus frater. Illa vero: eum, inquit, et ipsa scio, rediturum esse in vitam in resurrectione communi *die extremo. Tum Iesus: ego, ait, resurrectio sum et vita; quisquis credit in me, quantumuis mortuus fuerit, viuet; et quisquis in me credens viuit, non denuo morietur in omnem aeternitatem. Credisne, quae dixi?* His verbis Dominus, dum se auctorem resurrectionis mortuorum profitetur, explicauit, quid sibi voluerit, dum diceret ad Martham: tuus frater in vitam redibit, et declarauit, se esse eum, qui aliquando suscitaturus sit mortuos omnes, seque adeo potestatem habere, Lazarum in vitam reuocandi, eumque se reuocaturum esse, atque ita spem excitauit in animo Marthae, eum, qui haberet potestatem, aliquando mortuos ad vnum omnes in vitam reuocandi, posse etiam multo magis fratrem ipsius e morte suscitare. In vniuersum autem hoc effatum Christi continet capita doctrinae longe grauissima et solatii plenissima. Primum enim dixit: ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις. Haec habere sensum hunc: *ego sum auctor resurrectionis*, dubitari potest a nemine. Sed quatenus est resurrectionis auctor? Profecto non hactenus tantum, quatenus olim, dum in his terris viueret, ad vitam reuocauit mortuos, vt ex veteris ecclesiae doctoribus placuit nonnullis; nam quae sequuntur, euidenter pertinent ad resurrectionem in genere; sed propter causam duplicem, primum, quatenus a Patre accepit potestatem, mortuos omnes in fine rerum humanarum suscitandi, atque adeo aliquando suscitatorem aget; vt ipse diserte docuit su-

ab ea stadiis fere quindecim, *) quae efficiunt vnius horae spatium. Hinc formido discipulorum. Hinc vero etiam, vt miraculum haberet plures spectatores et testes, *Nam complures Iudaei* ex vrbe Hierosolymitana conuenerant *Martham et Mariam*, **) officii et honoris gratia, *vt eas consolarentur de obitu fratris.*

Iam Martha, vbi rescisset, aduentare Iesum, ei obuiam prodit, Maria interim in aedibus considente, atque his verbis eum alloquitur: o si adfuisses, Domine, mortuus non esset meus frater! Sed nunc quoque mihi persuasum est, Deum daturum esse tuis precibus, quicquid ab eo petieris. His vltimis verbis Martham nonnulli putant testatam fecisse spem suam, fieri posse, vt Dominus, si modo voluerit, fratrem, etiam mortuum et sepultum, in vitam reducat; sed obstare omnino videtur *vers.* 24. ex quo patet, Martham, etsi Dominus confirmaret, fratrem in vitam rediturum, tamen nihil amplius sperasse, quam resurrectionem, die

---

*) Paulo rarior est vsus praepositionis *ἀπὸ*, vbi praefigitur nominibus interuallorum; formula ipsa autem est elliptica, subintelligendumque verbum *γίνεσθαι*. Plene dicendum fuisset: *ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε γινομένη*. Vid. KYPKIVS ad hunc locum.

**) *Αἱ περὶ μάρθαν καὶ μαρίαν* sunt Martha et Maria ipsae. Etenim scriptores Graeci elegantissimi nomini proprio iungunt articulum pluralem cum praepositione *περὶ* et *ἀμφὶ*, vel pro nomine proprio simpliciter, vel pro comitibus, sociis, familiaribus alicuius. Sic v. c. dicunt: *οἱ περὶ πλάτωνα*, id est, Plato; porro: *οἱ ἀμφὶ ἀριστοτέλην*, id est, Aristoteles; deinde vero etiam: *οἱ περὶ τὸν παῦλον*, vt est *Act. XIII*, 13. Paulus eiusque comites. Hoc loco priori modo est accipiendum. De hoc idiotismo linguae graecae exquisitiori praeter interpretes, in primis RAPHELIVM, WETSTENIVM, KREBSIVM, LOESNERVM, alios, videri potest GRAEVIVS *in Lect. Hesiod. Cap. IX.* et ERNESTI *ad Xenoph. Mem. Socr. I*, 1. 18. itemque VALCKENARIVS *in Selectis e scholis in libros quosdam N. T. Tom. I. p.* 499. *sq.*

nouissimo futuram. Significauit igitur spem hanc, primum, potuisse Dominum, si fratre viuente adfuisset, morbum eius vel dicto depellere, atque auertere ab iis tantum dolorem; deinde vero, eum etiamnunc posse sua pietate, cura ac beniuolentia facile praestare, quae ad leniendum earum dolorem, omninoque in solatium et commodum facere possint.

Respondit Iesus: in vitam redibit tuus frater. Illa vero: eum, inquit, et ipsa scio, rediturum esse in vitam in resurrectione communi *die extremo. Tum Iesus: ego, ait, resurrectio sum et vita; quisquis credit in me, quantumuis mortuus fuerit, viuet; et quisquis in me credens viuit, non denuo morietur in omnem aeternitatem. Credisne, quae dixi?* His verbis Dominus, dum se auctorem resurrectionis mortuorum profitetur, explicauit, quid sibi voluerit, dum diceret ad Martham: tuus frater in vitam redibit, et declarauit, se esse eum, qui aliquando suscitaturus sit mortuos omnes, seque adeo potestatem habere, Lazarum in vitam reuocandi, eumque se reuocaturum esse, atque ita spem excitauit in animo Marthae, eum, qui haberet potestatem, aliquando mortuos ad vnum omnes in vitam reuocandi, posse etiam multo magis fratrem ipsius e morte suscitare. In vniuersum autem hoc effatum Christi continet capita doctrinae longe grauissima et solatii plenissima. Primum enim dixit: ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις. Haec habere sensum hunc: *ego sum auctor resurrectionis*, dubitari potest a nemine. Sed quatenus est resurrectionis auctor? Profecto non hactenus tantum, quatenus olim, dum in his terris viueret, ad vitam reuocauit mortuos, vt ex veteris ecclesiae doctoribus placuit nonnullis; nam quae sequuntur, euidenter pertinent ad resurrectionem in genere; sed propter causam duplicem, primum, quatenus a Patre accepit potestatem, mortuos omnes in fine rerum humanarum suscitandi, atque adeo aliquando suscitatorem aget; vt ipse diserte docuit su-

pra; *Cap. V*, 28. *sq.* deinde vero etiam atque in primis, quatenus resurrectionem promeruit, suaque morte effecit, vt mortuorun corpora, propter peccatum ad mortem damnata, e morte reuocari in vitam possent; vt docuit Paulus Apostolus ex instituto. 1 *Cor. XV*, 21. 22. Porro, ne miraretur aliquis, cum se diceret auctorem resurrectionis, propterea addidit: ἐγώ εἰμι ἡ ζωή. Atque ėt hoc denotare: *ego auctor vitae sum*, itidem dubitationem habere non potest. Verum vocabulum ζωῆς indicat non tantum facultatem, vim, potestatemque, vitam tribuendi, vim viuificam et creatricem, ἐξουσίαν τῆς ζωῆς, vt *Cap. V*, 26. sed etiam vim potestatemque, promerendi vitam. Ergo Dominus est auctor vitae, duplici modo, partim, quoniam eam et potest tribuere et tribuet aliquando, partim quoniam eam promeruit. Tertio addit: ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται· in quibus verbis τὸ ζῆν referendum est ad corpus, quoniam opponitur τῷ· ἀποθανεῖν, *quantumuis mortuus fuerit, tamen reuiuiscet*; quamuis referri quoque posset ad animam, atque intelligi partim de vita ipsa, partim vero etiam de eius beatitudine, sic: viuet, etiamsi moriatur, vitam aget quoad animam, etiam post mortem corporis, eamque beatam. Ergo nouum beneficium in his promisit Dominus, pertinens in primis ad pios, nempe vitam animae post mortem corporis, eandemque beatam. Nam vita animae et resurrectio ad vitam communis est omnibus, quemadmodum mors, poena peccati, omnibus est communis; sed vita animae beata et resurrectio ad vitam beatam propria est piis; tribuit enim Dominus beneficia sua non nisi accipientibus. Quare eam promisit hac lege: ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ. Iam descripsit se in hoc loco tanquam auctorem resurrectionis et vitae beatae; ergo πιστεύειν hoc loco denotat: eum tanquam talem suscipere, atque ab eo resurrectionem et vitam beatam exspectare. Est enim aequum et salutare, vt agnoscat quisque Iesum

auctorem et datorem tanti beneficii, idque ab eo repetat, eique acceptum referat. Talis igitur potietur vita, etiamsi ipsi sit moriendum. Ad extremum subiecit Dominus haec: *καὶ πᾶς ὁ ζῶν καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα·* quibus verbis promisit cuique, qui in ipso, tanquam resurrectionis et vitae beatae auctore, fidem posuerit, et per hanc fidem vita potitus fuerit, huius vitae perennitatem in aeternum. Triplex igitur, idque praeter modum magnum et excellens beneficium acceptum referendum est Domino nostro, *primum* resurrectio et vita, hoc est, vt ne pereant corpora humana, nec maneant morti aeternae subiecta, quae erat poena peccati, vt potius e morte in vitam redire et in aeternum viuere possint; *alterum* vita beata ratione credentium; *tertium* denique vita immortalis, in omnem aeternitatem duratura. De *resurrectione mortuorum, beneficio Christi,* egimus in peculiari *Prolusione*, quae reperitur *in Opusc. Theol. p.* 467. *sqq.*

Sed vt excitet fidem in animo Marthae et confirmet, quaerit, num vera habeat, quae dixisset, sibique persuasum sit, ipsum esse talem, qualem modo se esset professus. Atque illa: *vtique, Domine, ait, credo, et mihi persuasi, te Messiam esse, eundemque Filium Dei, venturum in has terras.* Primum profitetur, se credere, Iesum esse eum, quem se modo esset professus, auctorem resurrectionis et vitae. Deinde subiecit etiam causam, quare ita crederet, scilicet, quoniam eum haberet pro Messia, eodemque Filio Dei. Verbum *πεπίστευκα* accipi potest in praeterito: dudum credidi, vel in praesenti: credo. Dominum autem quando *Χριστὸν* profitetur, rectius de eo videtur sensisse, quam Iudaei, qui terrena omnia in Messia exspectabant; dum autem *υἱὸν τοῦ Θεοῦ* appellat, cogitauit haud dubie amplius aliquid et maius, quam in nomine *Χριστοῦ·* adeoque haec duo nomina intellexit sensu sublimiori, eaque distinxit quoad significationem, nec pro iisdem habuit;

vtrumque non obscure patet inde, quoniam affirmat, se vera habere, quae dixisset Dominus, atque adeo sibi persuasum esse, eum auctorem esse et datorem resurrectionis et vitae futurae, eiusdemque beatae et aeternae. Talem qui Iesum agnoscit, is profecto eum habere non potest pro seruatore terreno, nec pro mero homine, sed non potest non habere pro eo, qui animis salutem praestet, gaudeatque vi et potentia summa et plane diuina, cuique adeo conueniant attributa Dei necessaria, hoc est, naturae diuinae vnice propria. Igitur nullum praesidium reperiunt opiniones, qui statuunt, atque ex hoc loco vel maxime demonstrare tentant, nomina *Χριστοῦ* et *υἱοῦ τοῦ Θεοῦ* ex vsu loquendi Iudaeorum fuisse aequipollentia, atque hoc quidem non esse naturae nomen, sed muneris, eodemque sensu accipiendum esse in reliquis Scripturae sacrae locis, nominatimque in effatis Domini quoque et Apostolorum, vbi appellatur *υἱὸς τοῦ Θεοῦ*. Nam etiamsi concesseris, Martham hoc nomen eo sensu vsurpasse, tamen inde argumentum illius opinionis peti nullo modo potest, propterea, quoniam hic locus non est dogmaticus, sed historicus, nec in eo traditur caput aliquod doctrinae a viro diuino, sed proponitur iudicium Marthae de Iesu; plane vt *Io. I*, 50. *Matth. XVI*, 16. *XXVI*, 63. verum ex locis eiusmodi, quae continent iudicium hominum singulorum de Domino nostro, notiones dogmaticas petere non licet vllo modo.

His dictis, edita magnifica hac de Domino professione, *abit, accersitum Mariam, sororem, eique in aurem dicit: magister adest, teque accersi iussit.* Abiit scilicet non sua sponte, sed iussu Domini, vt sequentia docent; rem enim breuiter narrauit Ioannes, omisitque res minutas quasdam, quae per se facile possunt intelligi; vt facere solitus est scriptor graecus et latinus optimus quisque. Porro clanculum seuocauit sororem e turba circumsedentium, nunciauitque ad-

ventum Domini, itidem ab eo iussa, ne turbam colligere sibi videretur. Denique magistrum appellauit; quo nomine κατ' ἐξοχὴν dici solebat a suis.

Quae, vt audit hoc, properat ad ipsum absque mora, non temere esse rata, quod aduenisset, et nonnihil bonae spei concipiens, cum sororem alacriorem videret. *Nondum enim Iesus vicum intrauerat, sed morabatur adhuc eo in loco, vbi Martha ei facta erat obuiam. Iudaei autem* Hierosolymitani, *qui erant apud ipsam consolandi causa, videntes, Mariam celeriter se proripere, illam insecuti sunt, suspicantes, eam itare ad sepulchrum, vt ibi ploraret*, animique moerorem lacrimis satiaret.

Huc vbi venisset Maria, simul atque Iesum conspicata est, procidens ad eius pedes, dixit lacrimabili voce, quod dixerat soror: *ah! tu si hic fuisses, Domine, morti non succubuisset meus frater*, nosque careremus luctu hoc miserabili. *Iesus, vt videt eam plorantem, plorantesque Iudaeos, illam comitantes, et ipse valde commotus est animo ac perturbatus.* Hoc enim denotant haud dubie verba paullo difficiliora, nimirum ἐμβριμᾶσθαι et ταράσσειν. Atque illud vsitatius quidem exprimit indignationem et iram, verum etiam quamcunque animi commotionem vehementiorem, velvti ex dolore et tristitia, ad consuetudinem verbi hebraici קָצַף. *Gen. XL*, 6. Prior significatio huic loco non est apta; neque enim causa fuit, cur indignaretur Dominus, aut irasceretur ob lacrimas Mariae; immo vero ipse *vers.* 35. lacrimasse dicitur. Quare altera significatio isti verbo hoc loco est tribuenda. Hoc vero, ταράσσειν, itidem vsurpatur de motu interno doloris et aegritudinis; quare haec verba accipi possent pro aequipollentibus, nisi volueris alterum explicare de effectu doloris externo, vultu, oculis, totoque corporis habitu se exserente. Est quidem ταράσσειν verbum reciprocum; constat autem, eiusmodi verba saepe poni

pro passiuis; quare τὸ· ἐτάραξεν ἑαυτὸν, reddendum non est: perturbauit se, sed: perturbatus est. Et perturbatus quidem est Dominus Mariae reliquorumque luctu miserabili; videlicet humanae naturae indolem prae se ferens, mox diuinae virtutis indicium prolaturus. Caeterum Mariae nihil pollicetur, vt sorori fecerat, *vers.* 23. cum iam tempus adesset, re praestandi, quod erat Marthae pollicitus. Sed quaerit tantum, cohibita animi turbatione, *quonam eum condidissent*; non quod ignoraret, sed vt secluderet a miraculo fraudis opinionem. *Illi: veni visum, inquiunt*, et sepulchrum commonstrant. Quo facto, non poterat lacrimas suborientes tenere diutius, prae dolore, quo affectus erat ipsius animus. Neque enim viro sapiente et pio indignae videri possunt lacrimae, profectae ab animo, hominum amante humanaeque miseriae vicem dolente. Igitur *Iesus lacrimauit.* Quare *Iudaei*, videntes Dominum, lacrimas fundentem, in iisque testes amoris animaduertentes: *en, inquiunt, quam carus ei fuerit! Eorum vero nonnulli,* qui testes fuerant miraculi stupendi, cum nuper homini, inde a natalibus coeco, facultatem videndi dedisset, *dicunt: nonne is, qui coeco visum tribuit, potuisset impedire, quo minus hic morti succumberet?* Id quo animo dixerint, liquido quidem non patet. Fuerunt tamen amici Lazari eiusque sororum, illi ipsi, qui venerant, eas consolandi causa, quorumque multi, viso hoc miraculo Iesu, *vers.* 45. ad fidem in eum adducti esse dicuntur. Quare probabilis non videtur opinio nonnullorum interpretum, scilicet, illos voluisse exprobrare Domino negligentiam quandam officii erga amicum, aut vertere in calumniam, quod lacrimis testaretur intempestiuum amorem erga amicum, neque tamen eius mortem impediuisset, si voluerit, aut potuerit.

Iesus autem, rursus vehementer commotus animo, vultu dolorem testante, *accedit ad sepulchrum, quae*

erat coemeterium, in rupe excisa et *saxo munita*, cuiusmodi erant monumenta sepulchralia Iudaeorum ditiorum. *Iesus iubet saxum tollere*, eo consilio, vt, quod statim fecit, e sepulchro in vitam reuocet mortuum. Sed nihil minus exspectabat Martha, plane oblita, quod ei pollicitus esset Dominus, putans, eum, dum saxum iubet amouere, nihil aliud sibi velle, quam vt semel adhuc conspiciat cadauer amici mortui, verita autem, ne foetor cadaueris recens putrefacti circumstantium nares offenderet, impedire cupit, quod iussisset Dominus. Quare dicebat: *Domine, iam foetet; etenim quartum diem agit in sepulchro.* Ita enim verba: τεταρταῖος γάρ ἐστι, reddere iubet et res ipsa, et sermonis graeci elegantia; de qua exempla videri possunt apud RAPHELIVM *in Not. Xenoph.* et *Herodot.* et WETSTENIVM, itemque apud WOLFIVM, *in Curis ad hunc locum.* Haec vero commemorata sunt non sine causa, sed vt intelligeretur, Lazarum vere mortuum fuisse, non vero syncope graui oppressum, vt asserere quondam ausi sunt nonnulli aduersarii religionis, atque adeo etiam interpretes quidam nuperrimi.

Cui Iesus, vt excitaret mulieris vacillantis fidem, *respondit: nonne dicebam, te, si fidem haberes, visuram esse diuinae gloriae documentum?* Dixerat nempe Marthae, *vers.* 25. *sqq.* se reuocaturum esse fratrem in vitam, vtpote qui vim habeat potestatemque, mortuis ad vnum omnibus vitam largiendi. Significandum curauerat porro, *vers.* 4. morbum fatalem non futurum esse, sed occasionem suppeditaturum, illustrandi et gloriam Dei et maiestatem Filii. Haec ipsi in memoriam reuocare voluit Dominus, eiusque diffidentiam leui obiurgatiuncula dispellere.

Lapis igitur submouetur de sepulchro mortui. Moxque, suspensis omnium animis atque oculis, *Iesus, in coelum suspiciens*, vt declaret, se, quicquid faciat, diuina virtute facere, *fatur sic: laudo te, Pater, quod*

votis meis clandestinis *annuere soles, teque, scio, iis semper annuere*, cum eadem sit voluntas tua atque mea; *precor autem* voce elata *propter circumstantem turbam, vt credat, me abs te esse missum.* Alias precabatur Dominus verbis tacitis, hic verbis disertis, propter praesentem populum, vt, si viderit, ipsum exaudiri et vi diuina adiutum patrare immensum miraculum, inde colligeret, eum ex diuina voluntate facere, quicquid faceret, nec dubitare amplius quisquam posset, vere eum esse diuinitus in has terras missum. Simul declarauit manifeste, quid nunc esset facturus.

Etenim haec locutus, magna voce exclamat: Lazare, prodi. Poterat solo nutu efficere, vt reuiuisceret sepultus et prodiret, sed nominatim inclamauit alta voce, vt eo magis manifesta esset omnium oculis et animis miraculi veritas et magnitudo, eoque euidentius intelligere quisque posset, suscitationem mortui effectam esse vi diuina Domini. Vult et fit; iubet et adest.

Extemplo exit mortuus, pedibus manibusque circumligatus fasciis sepulchralibus et facie sudario obvelata, quibus eum solui iussit Iesus et abire domum. Prodiit igitur ad vocem Domini prae omnium oculis, qui mortuus erat et sepultus. Prodiit porro cum toto ornatu sepulchrali, quo magis agnoscerent omnes, hunc ipsum esse, quem ante triduum tali cultu sepeliuerant. Erat enim haec consuetudo Iudaeorum, vt mortuos manibus pedibusque circumuoluerent fasciis, (*ὀθόνια* dicuntur *Cap. XIX*, 40.) eorumque vultum obuelarent sudario. Conf. CVPERI *Obseruatt. II*, 9. Prodiit denique corpore sano; nam statim eum abire iussit domum, vt motus et incessus alacer ostenderet, eum etiam valere, non solum viuere; in quo erat nouum diuinae potentiae miraculum; non tantum vitam restituit mortuo, sed simul etiam valetudinem prosperam.

Caeterum tota narratio ita est comparata, vt omni modo et fraudis suspicionem excludat, et miraculi ve-

ritatem confirmet. In morbum incidit, Lazarus nomine, bene notus, in vrbe Bethaniensi, absente Iesu. Sorores per alios morbum denunciant Domino, eo absente. Lazarus moritur, sepelitur, seruatur in sepulchro in quartum diem, absente Iesu. Martha, Maria, amici omnes sibi persuasum habent de morte eius. Dominus, dum adhuc commoratur eo in loco, vbi hactenus erat versatus, disertis verbis declarat discipulis, se proficisci velle Bethaniam, eo consilio, vt Lazarum mortuum suscitet e morte, futurumque esse, vt per hanc suscitationem illustretur gloria Dei, discipulorumque fides confirmetur. Aduentanti Domino obuiam prodit Martha, mortem fratris denunciat flebili voce, doletque, quod absens fuerit Dominus, qui, si praesens fuisset, facile depellere potuisset morbum atque adeo mortem, spem tamen concipiens, fore, vt quouis modo opem ferre possit. Spondet Dominus, fratrem reuicturum, dubitantique confirmat, sibi datam esse potestatem, vitam largiendi mortuis omnibus, adeoque etiam in vitam reuocandi fratrem mortuum. Accedit Maria, lacrimas fundens, et de absentia Domini dolens durante morbo fratris. Accedunt amici Hierosolymitani, vna cum ea flentes. Dominus ipse graui dolore corripitur, sentiens humanae sortis acerbitatem. Iubet monstrare sepulchrum. Adit sepulchrum, comitante turba. Sentitur foetor cadaueris mortui. Saxum submouetur alienis manibus. Dominus, fusis ad Patrem precibus elata voce, testatur auxilium diuinum sibi praesentissimum; euocat e sepulchro mortuum, audientibus omnibus; mortuus prodit, conspicientibus omnibus; eodem habitu, quo erat sepultus, prodit, putredinem iam expertus; viuens et valens; redit domum sua vi. Praesentes ad vnum omnes consentiunt, e morte excitatum esse Lazarum a Iesu et ingens miraculum patratum, quale non erat auditum a mundo condito. Nonnulli referunt viris Iudaeorum primariis, quae

votis meis clandestinis *annuere soles, teque, scio, iis semper annuere*, cum eadem sit voluntas tua atque mea; *precor autem* voce elata *propter circumstantem turbam, vt credat, me abs te esse missum.* Alias precabatur Dominus verbis tacitis, hic verbis disertis, propter praesentem populum, vt, si viderit, ipsum exaudiri et vi diuina adiutum patrare immensum miraculum, inde colligeret, eum ex diuina voluntate facere, quicquid faceret, nec dubitare amplius quisquam posset, vere eum esse diuinitus in has terras missum. Simul declarauit manifeste, quid nunc esset facturus.

Etenim haec locutus, magna voce exclamat: Lazare, prodi. Poterat solo nutu efficere, vt reuiuisceret sepultus et prodiret, sed nominatim inclamauit alta voce, vt eo magis manifesta esset omnium oculis et animis miraculi veritas et magnitudo, eoque euidentius intelligere quisque posset, suscitationem mortui effectam esse vi diuina Domini. Vult et fit; iubet et adest.

Extemplo exit mortuus, pedibus manibusque circumligatus fasciis sepulchralibus et facie sudario obvelata, quibus eum solui iussit Iesus et abire domum. Prodiit igitur ad vocem Domini prae omnium oculis, qui mortuus erat et sepultus. Prodiit porro cum toto ornatu sepulchrali, quo magis agnoscerent omnes, hunc ipsum esse, quem ante triduum tali cultu sepeliuerant. Erat enim haec consuetudo Iudaeorum, vt mortuos manibus pedibusque circumuoluerent fasciis, (ὀθόνια dicuntur *Cap. XIX*, 40.) eorumque vultum obuelarent sudario. Conf. CVPERI *Obseruatt. II*, 9. Prodiit denique corpore sano; nam statim eum abire iussit domum, vt motus et incessus alacer ostenderet, eum etiam valere, non solum viuere; in quo erat nouum diuinae potentiae miraculum; non tantum vitam restituit mortuo, sed simul etiam valetudinem prosperam.

Caeterum tota narratio ita est comparata, vt omni modo et fraudis suspicionem excludat, et miraculi ve-

ritatem confirmet. In morbum incidit, Lazarus nomine, bene notus, in vrbe Bethaniensi, absente Iesu. Sorores per alios morbum denunciant Domino, eo absente. Lazarus moritur, sepelitur, seruatur in sepulchro in quartum diem, absente Iesu. Martha, Maria, amici omnes sibi persuasum habent de morte eius. Dominus, dum adhuc commoratur eo in loco, vbi hactenus erat versatus, disertis verbis declarat discipulis, se proficisci velle Bethaniam, eo consilio, vt Lazarum mortuum suscitet e morte, futurumque esse, vt per hanc suscitationem illustretur gloria Dei, discipulorumque fides confirmetur. Aduentanti Domino obuiam prodit Martha, mortem fratris denunciat flebili voce; doletque, quod absens fuerit Dominus, qui, si praesens fuisset, facile depellere potuisset morbum atque adeo mortem, spem tamen concipiens, fore, vt quouis modo opem ferre possit. Spondet Dominus, fratrem reuicturum, dubitantique confirmat, sibi datam esse potestatem, vitam largiendi mortuis omnibus, adeoque etiam in vitam reuocandi fratrem mortuum. Accedit Maria, lacrimas fundens, et de absentia Domini dolens durante morbo fratris. Accedunt amici Hierosolymitani, vna cum ea flentes. Dominus ipse graui dolore corripitur, sentiens humanae sortis acerbitatem. Iubet monstrare sepulchrum. Adit sepulchrum, comitante turba. Sentitur foetor cadaueris mortui. Saxum submouetur alienis manibus. Dominus, fusis ad Patrem precibus elata voce, testatur auxilium diuinum sibi praesentissimum; euocat e sepulchro mortuum, audientibus omnibus; mortuus prodit, conspicientibus omnibus, eodem habitu, quo erat sepultus, prodit, putredinem iam expertus, viuens et valens; redit domum sua vi. Praesentes ad vnum omnes consentiunt, e morte excitatum esse Lazarum a Iesu et ingens miraculum patratum, quale non erat auditum a mundo condito. Nonnulli referunt viris Iudaeorum primariis, quae

Iesus fecisset; neque hi de iis dubitare possunt, immo vero fatentur, Dominum factis admirandis in dies magis magisque inclarescere et parum abesse, quin ab vniverso populo tanquam Messias suscipiatur, ac propterea consilia capiunt de interficiendo Domino, atque adeo etiam Lazaro, qui ab eo erat e morte suscitatus. *Vers.* 46. *sqq. Cap. XII,* 10. Populus, certior factus de hoc prodigioso Domini facinore, confluit magna multitudine Bethaniam, partim vt Iesum videret, cuius famam praeter modum auxerat tam insigne miraculum, partim vt ipsum Lazarum conspiceret, quem audiuerat ex morte a Iesu excitatum. Ab his cum reliqui quoque e multitudine populi id audiuissent, vixque comperissent, Iesum aduentare Hierosolymam, ei procedunt obuiam, viam sternunt non modo ramis arboreis, sed suis ipsorum palliis, honorem exhibent, promisso Messiae debitum, salutem acclamant, et quidem excitati hoc ipso miraculo, quod nuper in Lazaro edidisset. Conf. *Cap. XII,* 9. *sqq.* in primis 17. *et* 18. Haec nisi extra omnem dubitationem ponunt miraculi veritatem, nihil est verum in vniuersa historia.

Tantum miraculum facile quisque potest intelligere sua sponte, in quantam admirationem coniecerit Lazarum, Martham, Mariam, amicos, spectantes omnes, audientes omnes; de quo nihil dixit Ioannes, quoniam per se patet, modo habet haec: *Iudaeorum multi, qui venerant ad Mariam* officii gratia, *conspectis iis, quae Iesus fecerat, adducti sunt ad fidem in eum,* persuasum sibi habentes, eum esse legatum, diuinitus missum, nisi Messiam ipsum.

Nonnulli vero rem, a Iesu gestam, Iudaeorum principibus referunt; idque quonam animo et consilio fecerint, num malo, vt nonnulli volunt, an bono, vt aliis videtur, non liquet. *Hi igitur, coacto senatu, deliberant, quid sit agendum, cum iste aliud ex alio miraculum edat; quod si ei porro permiserint, futurum*

esse; vt totus populus partes eius sequatur, Romani vero terram ipsorum totamque gentem perdant. Atque hi quidem, principes Iudaeorum, *οἱ ἀρχιερεῖς καὶ φαρισαῖοι*, ita consultasse videntur, non salutis publicae studio ducti, sed odio aduersus Dominum exacerbati, ita tamen, vt inuidiae speciem a se amolirentur, remque totam ad incolumitatem populi referrent. Fingunt periculum, vbi nullum erat; neque enim Dominus regnum terrenum vnquam affectauerat, neque ex miraculis eius tale quid colligi vllo modo poterat; ipsi vero regem talem incredibili cupiditate exspectabant, qui gentem Iudaicam liberaturus esset ab imperio Romanorum; ac talem si Dominus se gessisset, auide fuissent suscepturi. Itaque tota eorum consultatio non nisi eo tendebat, vt sub specie salutis publicae occideretur salutis omnis auctor. Inde tamen patet euidenter, veritatem miraculi, in suscitando Lazaro editi a Domino, apud illos extra omnem dubitationem positam fuisse.

Sed dum ita consultant, nonnullis dubitantibus, quid sit faciendum, *eorum vnus, Caiphas, sacerdos summus*, increpat reliquorum ignauiam, qui lentis consiliis adhuc deliberent, num Iesus sit occidendus, cum id, rebus omnibus omissis, quam primum sit agendum. Etenim fatus est sic: *vos fallimini vehementer; neque enim perpenditis, satius nobis fore, vt vnus pro populo moriatur, quam* vno incolumi *pereat tota gens.* Suasit igitur, Iesum, vtpote perniciosum toti genti Iudaicae, ad conseruandam populi reique publicae incolumitatem, quouis pacto de medio tollendum esse, quoniam verendum sit, ne, vbi diutius in viuis esset, populus ad seditionem commoueretur, ac propterea a Romanis euerteretur. Dicitur autem fuisse sacerdos summus illo anno, scilicet quo haec gerebantur. Neque tamen inde colligi potest, pontificatum illo tempore fuisse annuum; quod non fuit; modo vel ipsi contra legem instituerant ambitiose, vt pontifices subinde mutarentur,

vel procuratores Romani sibi sumserant hoc, vt hanc dignitatem cuidam eriperent, tribuerentque, cui vellent. Vnde commemorantur *ἀρχιερεῖς*, *vers.* 47. et alias, atque Hannanus quoque appellatur sacerdos summus, non re, sed nomine. Conf. *Cap. XVIII*, 12. *sqq.*

Neque *tamen hoc consilium proficiscebatur ex ingenio Caiphae, sed, cum esset illo tempore sacerdos summus, diuino instinctu locutus est, quoniam Iesus moriturus erat pro gente, nec tamen pro hac tantum,* sed etiam pro reliquis gentibus, *vt cultores Dei dispersos colligeret in vnum.* Itaque non sua sponte, non suopte ingenio, non casu aliquo, dedit senatui summo consilium, Iesum e medio tollendi, sed dirigente Deo, quippe qui voluit atque constituit, vt Iesus illo ipso tempore, suadentibus atque instigantibus Iudaeis, eorumque principibus, mortem violentam subiret. Nam verbum *προφητεύειν* non semper denotat: futura praedicere, sed interdum etiam: loqui instinctu diuino, volente ac dirigente Deo; veluti *Luc. I*, 67. vbi Zacharias dicitur *προφητεῦσαι*, quamuis res futuras non praedixisset; et quae futura esse sperabat, *vers.* 76. *sqq.* ea audiuerat ab angelo *vers.* 15. *sqq.* Neque etiam Caiphas praedixit rem futuram; non vaticinatus est, Iesum moriturum esse pro populo, sed suasit, quid esset vtile et salutare, quidque adeo esset faciendum; nec probabile est, verba eius: *melius esse, vnum mori, quam perire totam gentem,* ei suppeditata fuisse et suggesta peculiari afflatu diuino; continent enim non nisi sententiam aliquam generalem, quae cuique poterat in mentem venire, et cui similes reperiuntur apud scriptores profanos, veluti illud apud *Virgilium: vnum pro cunctis dabitur caput.* Sed in eo nutum diuinum oportet agnoscere, quoniam suasit senatui summo, Iesum esse necandum; ac dum hoc suaderet, faciebat aliquid, quod voluntati diuinae esset consentaneum. Quod quidem eius consilium eo maiorem vim habere debebat in

animis collegarum, quoniam esset sacerdos summus; quippe qui non modo magna auctoritate valebat apud senatum, sed per quem etiam constabat olim saltem Deum oracula et responsa dedisse populo. Deinde quoque verba eius: συμφέρει ἡμῖν, ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, sensum habere possunt non alium, quam hunc, Iesum necandum esse ad conseruandam salutem publicam, ne, orta seditione, populus detur perniciei ac penitus perdatur. Quare opus videtur non esse quaerere hoc loco, num donum prophetiae coniunctum fuerit olim, in primis autem illo quoque tempore, cum munere sacerdotis summi. Etenim quamuis satis constat, Deum vnum fuisse olim sacerdotibus summis, tanquam interpretibus suae voluntatis, per quos interdum etiam responsa daret populo; eos tamen instructos fuisse semper dono prophetiae, facultateque, vaticinandi et res futuras praedicendi, idque donum contigisse quoque hoc tempore Caiphae, certo doceri non potest. Quod autem dicebat, Iesum interficiendum esse ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, vt saluus esset populus Iudaicus, id Ioannes transtulit ad mortem Christi eiusque consilium, quippe quam subiit pro populo, vice et loco populi, non tamen Iudaici tantum, sed vniuersi, non vt saluus esset quoad incolumitatem terrenam, sed spiritualem et aeternam, cuius participes reddere voluit cultores Dei quoscunque, dispersos per omnem orbem terrarum. Nam τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ sunt cultores Dei, et τὰ διεσκορπισμένα, cultores Dei dispersi inter omnes gentes per totum orbem terrarum; hos colliget εἰς ἓν, scilicet ἔθνος, in populum vnum, qui habeat vnum eundemque dominum, vnam eandemque fidem, salutem denique vnam eandemque. Conf. *Cap.* X, 16. Ioannes igitur his verbis docuit, *primum*, Iesum mortuum esse loco et vice totius generis humani; *deinde*, eum mortuum esse eo consilio, vt saluum esset humanum genus, quemadmodum ex sententia Caiphae ei moriendum erat, vt

saluus esset populus Iudaicus; *denique*, hanc salutem communem esse Gentilibus aeque ac Iudaeis, et velle Iesum atque id agere, vt huius salutis participes reddantur non tantum, qui ex Iudaeis crederent, verum etiam, qui inter Gentiles diuersis regionibus in toto orbe terrarum vitam agerent, homines ad vnum omnes.

Igitur assessores Senatus, confirmati hac Pontificis summi sententia, decernunt, Iesum quouis modo e medio tollere, tanquam consulentes incolumitati reipublicae. *Ab hoc ipso die consilia agitarunt de Iesu interficiendo*, eiusque rei perficiendae modo, consiliis eorum aptissimo.

Propterea Iesus, quem non fugiebant haec consilia, ne in quotidianos profligatorum hominum impetus se obiiceret, *non amplius in publicum prodiit, sed concessit hinc Ephraemum, vrbem ignobilem, deserto vicinam, ibique degit cum discipulis.*

Iam vero instabant dies festi paschatis; quare multi ex ea regione proficiscebantur Hierosolymas ante ipsa solemnia, vt se lustrarent, sacrificiis offerendis, precibus, lotionibus, ieiuniis et id genus aliis modis. *Hi igitur ibi Iesum quoque quaerebant, dictitantes inter se in templo, num venturus sit* (ἔλθῃ pro: ἐλεύσεται,) *ad celebranda solemnia*, certiores facti consilii senatus sacri, *qui promulgauerat edictum, vt, si quis comperisset, vbi latitaret Iesus, indicaret ipsis, vt eum prehenderent.*

CAPVT XII.

At Dominus etsi bene sciret, quid decreuisset Senatus, neque tamen defuturus erat, petere Hierosolymas ad solemnitatem paschalem, distulit autem, quo veniret exspectatior, ad tempus suum, quo volens decreuerat, se in mortem tradere pro salute generis humani. Prodit igitur ex solitudine sua in oppidulo, Ephraemum dicto, quo se receperat cum suis, vt narratur, *Cap. XI*, 54. et *venit ante sextum diem pascha* *), non Hierosolymam quidem, sed *Bethaniam*, illi vicinam, *vbi habitabat mortuus Lazarus, quem ex morte in vitam reuocauerat.* Quae igitur narrata leguntur inde ab hoc Capite vsque ad finem *Cap. XIX.* gesta sunt per sex dies, qui fuerunt extremi vitae Domini. Caeterum τὸ ὁ τεθνηκὼς deest in quibusdam exemplaribus graecis et latinis, et-

*) Ita enim reddenda sunt verba: *πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα*, ex elegante loquendi consuetudine, scriptoribus Graecis peculiari, qui duos Genitiuos ponere solent cum vna praepositione *πρὸ*, sic, vt ad alterum Genitiuum sit subintelligenda, vtque adeo hoc loco proprie dicendum fuisset: *πρὸ ἓξ ἡμερῶν πρὸ τοῦ πάσχα*. Cuius consuetudinis exempla reperiuntur non tantum in Versione Alexandrina, veluti *Amos. I*, 1, *IV*, 7. itemque apud IOSEPHUM, verum etiam apud scriptores profanos, collecta ab interpretibus, nominatim KYPKIO et WETSTENIO. Hanc consuetudinem imitati sunt Latini quoque, cum dicunt v. c. ante diem decimum Calendas Martii, quod elegantius est, quam ante diem decimum Calendarum Martii; Graeci dicerent: *πρὸ δέκα ἡμερῶν καλανδῶν μαρτίου*. Itaque opus non est, statuere in hoc nostro loco transpositionem verborum, sic: ἓξ *ἡμερῶν πρὸ τοῦ πάσχα*, quod rursus esset pro: ἓξ *ἡμέρας πρὸ τοῦ πάσχα*. Sensus autem est hic: Iesus venit Bethaniam sex diebus ante dies festos Paschatis.

iam in Versione Syriaca; et potest abesse saluo sensu; auctoritate tamen Codicum optimorum genuinum videtur.

Hic in eius gratiam parata est coena. Martha ministrabat, Lazarus inter conuiuas erat; Maria vero vnguentum nardinum, ad librae mensuram, idque purum et cumprimis pretiosum, in pedes Iesu effudit, eosque suis capillis abstersit; cuius vnguenti odor penetrauit totam domum. Hic tenendum est primum, rem, hoc loco commemoratam, haud dubie eandem esse cum ea, quam narratam legimus a *Matthaeo*, *Cap. XXVI*, 6. *sqq.* et a *Marco*, *Cap. XIV*, 3. *sqq.* sub initium historiae passionis dominicae; et quamuis videantur in nonnullis discrepare Euangelistae, facile tamen conciliari possunt. Modo sciendum est, *Matthaeum* et *Marcum* eam rem narrasse per digressionem; accidit enim ante sextum diem pascha. Sed alia est et diuersa, quae reperitur apud *Lucam*; *Cap. VII*, 37. *sqq.* haec enim accidit alio tempore et loco. Coena, de qua hoc loco sermo est, instructa erat, vt docent *Matthaeus* et *Marcus*, in domo Simonis, quondam leprosi, et, vt probabile videtur, a Domino sanati, consanguinei Lazari, siue etiam patris eius, vt visum est doctoribus quibusdam ecclesiae veteris; hic eam coenam parauit in honorem Domini, nihil metuens de odio Iudaeorum aduersus ipsum. In hac coena Martha διηκόνει, hoc est, *mensae curam sustinebat*; quod officium humanitatis et venerationis alias quoque Domino praestitisse legitur. *Luc.* X, 40. Inter conuiuas erat Lazarus, εἷς συνανακειμένων αὐτῷ, siue, quemadmodum legi voluit GRIESBACHIVS: εἷς τῶν ἀνακειμένων σὺν αὐτῷ· quod tamen eodem redit; modo lectio vulgaris videtur esse difficilior, ac propterea quoque probabilior. Consulto autem commemorauit Ioannes, Lazarum interfuisse coenae isti, quo certius constaret omnibus, eum vere rediisse in vitam, nec phantasma fuisse, quod nuper

visum esset e sepulchro domum abire; vixit iam multis diebus a reditu ex sepulchro, miscuit sermones cum aliis, cibum quoque cepit, et quae sunt reliqua.

Maria autem, haud dubie Lazari soror, non Magdalensis, vt placuit quibusdam, alio modo testabatur singularem suam in Dominum pietatem et reuerentiam. Scilicet erat hic mos, non tantum inter Iudaeos receptus, verum etiam apud gentes alias, easque antiquissimas, vsitatus in epulis, praesertim sacris, aliisque solennitatibus, vt capiti alicuius illinerent oleum, aromatibus conditum; quod erat signum honoris et amicitiae; aut vt conuiuae essent coronati et vncti. *) Atque pro hac consuetudine Maria quoque vnxit Dominum, eiusque rei causa impendit pecuniae summam satis magnam; non quod crederet, Dominum delectari eiusmodi deliciis, sed vt indulgeret desideriis animi gratissimi et deditissimi, cum ob multa alia beneficia, tum ob recentissimum, in fratrem collatum. Accessit enim ad conuiuium, attulitque *μύρον*, hoc est, vnguentum, arte factum, idemque e variis odoribus mixtum **). Apud *Matthaeum* et *Marcum* dicitur attulisse *ἀλάβαστρον μύρου*, id est, vasculum vnguentarium; nam *ἀλάβαστρον* vsurpatur et adiectiue: *ἀλάβαστρον σκεῦος*, et tanquam substantiuum, denotatque proprie quidem vasculum, ex alabastrite lapide factum, deinde vero vasculum

---

*) De hoc more videri potest CASAVBONVS, *Exercitt. XIV*, 13. LIGHTFOOTVS, *Hor. Hebr. ad Matth. XXVI*, 7. et *Marc. XIV*, 3. itemque HAMMONDVS ad locum *Matthaei*. Apud poetas dii quoque feruntur habuisse caput perfusum et madefactum vnguentis, *μύροις*, ex variis odoribus compositis; de quo conferri potest SPANHEMIVS *ad Callimachi Hymnum in Apoll. vers.* 38. *et* 39. *p.* 101. *sqq. Tom. II. edit. Ernestinae.*

**) De hac voce consulendus est idem SPANHEMIVS *ad Callimachi Hymnum in Apoll. vers.* 39. *Tom. II. edit. Ernestinae p.* 104. *et in Pallad. v.* 15. *p.* 612.

iam in Versione Syriaca; et potest abesse saluo sensu; auctoritate tamen Codicum optimorum genuinum videtur.

Hic in eius gratiam parata est coena. Martha ministrabat, Lazarus inter conuiuas erat; Maria vero vnguentum nardinum, ad librae mensuram, idque purum et cumprimis pretiosum, in pedes Iesu effudit, eosque suis capillis abstersit; cuius vnguenti odor penetrauit totam domum. Hic tenendum est primum, rem, hoc loco commemoratam, haud dubie eandem esse cum ea, quam narratam legimus a *Matthaeo*, *Cap. XXVI*, 6. *sqq.* et a *Marco*, *Cap. XIV*, 3. *sqq.* sub initium historiae passionis dominicae; et quamuis videantur in nonnullis discrepare Euangelistae, facile tamen conciliari possunt. Modo sciendum est, *Matthaeum* et *Marcum* eam rem narrasse per digressionem; accidit enim ante sextum diem pascha. Sed alia est et diuersa, quae reperitur apud *Lucam*; *Cap. VII*, 37. *sqq.* haec enim accidit alio tempore et loco. Coena, de qua hoc loco sermo est, instructa erat, vt docent *Matthaeus* et *Marcus*, in domo Simonis, quondam leprosi, et, vt probabile videtur, a Domino sanati, consanguinei Lazari, siue etiam patris eius, vt visum est doctoribus quibusdam ecclesiae veteris; hic eam coenam parauit in honorem Domini, nihil metuens de odio Iudaeorum aduersus ipsum. In hac coena Martha διηκόνει, hoc est, *mensae curam sustinebat*; quod officium humanitatis et venerationis alias quoque Domino praestitisse legitur. *Luc.* X, 40. Inter conuiuas erat Lazarus, εἷς συνανακειμένων αὐτῷ, siue, quemadmodum legi voluit GRIESBACHIVS: εἷς τῶν ἀνακειμένων σὺν αὐτῷ· quod tamen eodem redit; modo lectio vulgaris videtur esse difficilior, ac propterea quoque probabilior. Consulto autem commemorauit Ioannes, Lazarum interfuisse coenae isti, quo certius constaret omnibus, eum vere rediisse in vitam, nec phantasma fuisse, quod nuper

visum esset e sepulchro domum abire; vixit iam multis diebus a reditu ex sepulchro, miscuit sermones cum aliis, cibum quoque cepit, et quae sunt reliqua.

Maria autem, haud dubie Lazari soror, non Magdalensis, vt placuit quibusdam, alio modo testabatur singularem suam in Dominum pietatem et reuerentiam. Scilicet erat hic mos, non tantum inter Iudaeos receptus, verum etiam apud gentes alias, easque antiquissimas, vsitatus in epulis, praesertim sacris, aliisque solennitatibus, vt capiti alicuius illinerent oleum, aromatibus conditum; quod erat signum honoris et amicitiae; aut vt conuiuae essent coronati et vncti. *) Atque pro hac consuetudine Maria quoque vnxit Dominum, eiusque rei causa impendit pecuniae summam satis magnam; non quod crederet, Dominum delectari eiusmodi deliciis, sed vt indulgeret desideriis animi gratissimi et deditissimi, cum ob multa alia beneficia, tum ob recentissimum, in fratrem collatum. Accessit enim ad conuiuium, attulitque *μύρον*, hoc est, vnguentum, arte factum, idemque e variis odoribus mixtum **). Apud *Matthaeum* et *Marcum* dicitur attulisse *ἀλάβαστρον μύρου*, id est, vasculum vnguentarium; nam *ἀλάβαστρον* vsurpatur et adiectiue: *ἀλάβαστρον σκεῦος*, et tanquam substantiuum, denotatque proprie quidem vasculum, ex alabastrite lapide factum, deinde vero vasculum

---

*) De hoc more videri potest CASAUBONUS, *Exercitt. XIV*, 13. LIGHTFOOTUS, *Hor. Hebr. ad Matth. XXVI*, 7. et *Marc. XIV*, 3. itemque HAMMONDUS ad locum *Matthaei*. Apud poetas dii quoque feruntur habuisse caput perfusum et madefactum vnguentis, *μύροις*, ex variis odoribus compositis; de quo conferri potest SPANHEMIUS *ad Callimachi Hymnum in Apoll. vers. 38. et 39. p. 101. sqq. Tom. II. edit. Ernestinae.*

**) De hac voce consulendus est idem SPANHEMIUS *ad Callimachi Hymnum in Apoll. vers. 39. Tom. II. edit. Ernestinae p. 104. et in Pallad. v. 15. p. 612.*

quodcunque, ex alio quoque lapide, etiam ex vitro, auro et id genus aliis confecto; nominatim vero eiusmodi, in quo condebantur vnguenta *). Hoc vasculum Maria fregisse dicitur a *Marco*, hoc est, fregit non lagenulam totam, sed tantum superiorem eius partem, nempe orificium et caput, sigillo munitum; quae erat nota vnguenti genuini. Sed *μύρον νάρδου* appellatur a *Marco* et *Ioanne*, hoc est, vnguentum nardinum, confectum ex nardo eiusque succo. Est nempe *νάρδος* herba, e cuius siue foliis et spicis, siue radice oleum pretiosissimum conficere solebant veteres **). Vocatur vero *νάρδος πιστικὴ* a *Marco* et *Ioanne*.

Sed in explicanda voce: *πιστικὸς*, valde dissenserunt viri docti omni tempore, nec consentiunt etiamnum. Est autem huius vocis potissimum interpretatio triplex. Alii enim *πιστικὸς* idem significare putant, quod *πιστὸς*, hoc est: cui fides tribui et credi aliquid potest, sincerus, germanus. Etenim apud scriptores graecos haec duo vocabula, *πιστικὸς* et *πιστὸς*, permutata inter se reperiuntur. Apud ARTEMIDORVM *II*, 32. *πιστικὴ καὶ οἰκουρὸς γυνὴ* dicitur, quam *III*, 54. et alias *πιστὴν καὶ οἰκουρὸν* appellauit. Est quoque apud POLLVCEM *Onomast. IV*, 21. locus, vbi inter attributa oratoris refert haec: *πιστικὸς* et *παραπιστικός*. Et *πιστικὸς* est: cui facile fides habetur, quique adeo idoneus est ad persuadendum; eundem in sequentibus appellauit *πιστὸν*, fide dignum; *παραπιστικὸς* vero est: qui fidem facit, praeter, quam fide dignus est, quem in

*) Etiam de hac voce videri potest SPANHEMIVS *ad Callimachi Hymnum in Pall. vers.* 13. *et* 15. *p.* 612. *Tom. II.* et qui laudantur a SCHLEVSNERO *in Lex. N. T.* itemque VALCKENARIVS *in Selectis in libros quosdam N. T. Tom. I. p.* 132. *sq.*

**) Vid. PLINII *Hist. Nat. XII*, 12. et quos commemorauit LAMPIVS ad hunc locum.

sequentibus dixit: ἄπιστον. Apud PLATONEM, *in Gorg. p. 455. edit. Steph.* ῥήτωρ πιστικὸς appellatur is, qui ad fidem adducit; apud ARISTOTELEM *Rhetor. I, 2. init.* τέχνη πιστικὴ est ars, quae fidem facit, seu, quae apta est ad persuadendum; et apud XENOPHONTEM *Cyrop. I,* 6. 10. λόγοι πιστικοὶ sunt sermones, fide digni, siue etiam, qui fidem faciunt. In primis Graeci medii aeui πιστικὸν vocabant, cui aliquid creditum est, aut credi potest. *Glossar. Basil.* πιστικὸς λέγεται, ᾧ ἐμπιστεύονται τινὰ πράγματα. Vid. *du* FRESNE *Glossar. med. et inf. Graec. sub hac voce,* atque in vniuersum SALMASIVS *ad Solin. p.* 750. qui in genere de hac voce exposuit. Atque ita hoc loco νάρδος πιστικὴ idem esset, quod: νάρδος πιστὴ, nardus vera, germana, non adulterata. Sic LVTHERVS reddidit: unverfälscht; parique modo ex antiquioribus interpretatus est THEOPHYLACTVS, nimirum: ἄδολος, auctore ipso STEPHANO, qui tamen aliam interpretationem praetulit. Alii enim hanc vocem deducendam esse putant a verbo inusitato: πίω, quod est pro: πίνω, sic, vt πιστικὸν idem sit, quod: πόσιμον, et νάρδος πιστικὴ, nardus potabilis, id est, diluta et liquida, quae facile fundi posset; a TIBVLLO, *II,* 2. appellatur: *nardum purum,* id est, tenue et simplex, cum vicissim vnguentum erat crassum. Vid. HEYNIVS ad hunc locum *Tibulli.* Quod si est, saltem νάρδος dicta est πιστικὴ, non quatenus bibebatur, sed, quatenus ad ea condienda, quae bibebantur, adhiberi solebat, et in primis ad condiendum vinum, quod inde nardinum appellatum est; de quo habet PLINIVS. Alii denique statuunt, vocem πιστικὴ esse nomen vrbis Indiae, quae dicta fuerit Pista, vbi confectum et vnde delatum sit hoc vnguentum, optimum quidem et prae caeteris pretiosum. Hinc νάρδος πιστικὴ esset: nardus Pistica. Commemorata enim leguntur varia genera nardi, velati a TIBVLLO, *III,* 6. nardum Tyrium, seu Syrium, ab

HORATIO *Od. II*, 11. nardus Assyriaca, a PLINIO *Hist. Nat. XII*, 12. nardus Celtica, itemque ab aliis Cretica, Gallica, Indica. Nonnulli quoque putant, nardum Pisticam dictam fuisse eam, quae sincera et sine vitio esset. Sed res est valde incerta; maximam tamen probabilitatem ab vsu loquendi habet interpretatio primo loco commemorata. Dicitur deinde quoque hoc vnguentum *πολύτιμον*, a *Matthaeo βαρύτιμον*, et a *Marco πολυτελὲς*, quae vocabula exprimunt magnum pretium alicuius rei. Dicitur enim Maria attulisse illius vnguenti *λίτραν*, quod erat pondus duodecim vnciarum, nostro more: ein Pfund. Hoc igitur vnguento puro et pretioso inunxit Maria pedes Domini accumbentis; apud *Matthaeum* et *Marcum* dicitur inunxisse caput Domini; sed poterat vtrumque facere atque vnguento oblinere et caput et pedes; alias solebat caput tantum vngi; vnctio pedum erat minus vsitata, eaque hoc loco commemoratur a Ioanne in specie, quoniam erat documentum pietatis et reuerentiae eximium. Neque eo contenta erat mulieris pietas; pedes Domini non tantum vnguento rigauit, sed etiam suis capillis detersit; quod ferebant mores illorum temporum, adeoque neque Domino, neque muliere debet indignum haberi. Denique quando subiicitur, vnguenti odorem penetrasse totam domum, et inde potest intelligi magnitudo et sumtuum, quos impendit Maria in dominum, et aduersus eum reverentiae.

Sed de discipulis aliquis, Iudas, filius Simonis, Cariothensis, ipsum proditurus: quid quaeso, inquit, nonne hoc vnguentum vendi poterat denariis trecentis, et pretium erogari in egenos? Quae tamen dixit, non quod eum cura pauperum tangeret, sed quoniam furax esset, interuertens nonnihil de pecunia, ab aliis suppeditata, eiusque curae concredita. Matthaeus habet haec: *ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἠγανάκτησαν, λέγοντες· εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη; κ. τ. λ.* Igitur et reliqui discipuli

indigne tulerunt tam pretiosae rei iacturam; haud dubie bono animo, cum scirent, Dominum deliciis eiusmodi nequaquam vti solitum, putarentque, magis ex animo illius futurum fuisse, si Maria vnguenti vasculum integrum tradidisset, eiusque diuenditi pretio subleuari potuissent inopes. Sed quod illi cogitarunt, aut inter se mussitarunt, Iudas, rei tam carae iactura in primis cruciatus, verbis declarauit, et quidem, vt videtur, Mariae ipsi, ei in aurem obmurmurans. Statuit autem pretium illius vnguenti trecentorum denariorum, qui, si δηνάριον aestimatur nostris grossis tribus, efficiunt summam septem et triginta imperialium cum dimidio. Multa sane pecunia pro ratione illorum temporum, et, vt videbatur, impensa ad sumtum inanem et irritum, εἰς ἀπώλειαν, ne Domino quidem gratum. Sed quamuis similis esset oratio discipulis omnibus, tamen longe dissimilis mens erat Iudae. Huic nihil curae erat pauperum incolumitas, sed non nisi suum ipsius commodum. Animum eius obsidebat pecuniae cupiditas; ipsam pecuniam, ad vsus quotidianos Domini et discipulorum necessariam, maximam partem a spontanea benignitate amicorum collectam, ipsiusque manibus concreditam, mala fide administrabat, atque hinc nonnihil suffurabatur. Etenim vox γλωσσόκομον habet quidem varias significationes, de quibus videri possunt KREBSII *Obseruatt. in N. T. e Fl. Iosepho ad h. l.* inter alias etiam hanc, vt denotet loculum, in quo argentum reponitur; hoc loco tamen dici videtur continens pro contento, atque adeo intelligi pecunia ipsa, vsibus Domini et discipulorum quotidianis destinata, cuius administrationem habuit Iudas; nos dicimus: die Casse. Deinde per τὰ βαλλόμενα intelligitur pecunia ea, quae accessit vel per liberalitatem amicorum, *Luc. VIII*, 3. vel alio modo; etenim verbum βάλλειν pro ἐμβάλλειν vsurpatum legitur de oblatione pecuniae in vsum sacrum, dicit urque de iis, qui dona-

ria coniiciebant in gazophylacium. *Marc.* XII, 41. sq. *Luc.* XXI, 1. *sqq.* Denique verbum βαστάζειν recte explicari videtur per: interuertere, furari; quem significatum quidem habet non per se suaque indole, qua nihil amplius denotat, quam: auferre aliquid, e loco in alium transferre, sed ex natura rei, de qua sermo est, et contexta oratione. Ab hac enim verba multa accipiunt significatum, qui iis, separatim, aut in alio dissimilique contextu positis, nullo modo tribui potest. Quoniam autem illud auferre fieri potest modo vel legitimo, vel illegitimo, et hoc loco Iudas diserte appellatur κλέπτης, pronus ad fraudes, mendacia, furta, propterea vix dubitari potest, hanc significationem illi verbo tribuendam esse hoc loco; vt docuit KREBSIVS l. c. itemque KYPKIVS ad hunc locum.

Verum Dominus hanc Iudae obmurmurationem, vt et reliquorum discipulorum indignationem, non intelligentium, quo consilio hoc permisisset, respuens eiusmodi delicias, compescuit, piamque Mariae sedulitatem tuitus est hoc modo: *mitte eam*, inquit; *hoc vnguentum seruauit ad meam pollincturam; pauperes habebitis semper; me non semper habebitis.* Voluit igitur, ne molestias facesserent piae mulieri; *Matthaeus* habet: τί κόπους παρέχετε τῇ γυναικί; et quidem propterea, quoniam rem praeclaram fecerit, ipsumque affecerit beneficio insigni: ἔργον καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμέ, habet idem *Matthaeus*; eo nimirum, quod ipsi morituro pium officium praestiterit. Et quod attinet ad egenos, quorum curam iactabat discipulus, eorum, inquit, semper vobis erit parata copia, quorum inopiae possitis subuenire, mei copia erit breuis. Id vero, quod statim faciendum est, perfici prius oportet. Subiecit denique, auctore *Matthaeo* et *Marco*, haec: vbicunque in toto orbe terrarum euangelium mortis meae, historia rerum mearum, praedicabitur, simul et hoc illius mulieris factum commemorabitur in laudem eius per-

petuam. Quod vaticinium Domini euentum habuit hucvsque; nam vbicunque demum tradita est historia passionis dominicae per vniuersum mundum inde ab illo tempore vsque ad diem hodiernum, ibi quoque commendatum est, quod Maria Domino praestitit, tanquam exemplum facti praeclari erga Dominum, liberalitatisque in eum egregiae et amoris intimi et sanctissimi. Caeterum vocabulum ἐνταφιασμὸς non denotat sepulturam, sed totam praeparationem funeris, totumque negotium ornandi corpus mortuum, mox efferendum et sepeliendum, quo in primis etiam pertinebat vnctio; Latini vno vocabulo dixerunt *pollincturam*. Pari modo verbum ἐνταφιάζειν apud *Matthaeum*, itemque apud *Ioannem*, *Cap. XIX*, 40. non denotat sepelire, sed: corpus ad funus componere, ornamentis sepulchralibus condire. Vnde ἐντάφιον significat non tantum vestem sepulchralem, sed omnem apparatum, quo corpus mortuum ornari solebat, cuiusmodi erant inuolucra, balsamum, vnguenta, flores, reliqua. Dominus igitur dicere volebat hoc: non perditum est hoc vnguentum, vt scilicet existimabant discipuli, *Matth. XXVI*, 8. sed bene collocatum; nam haec mulier, nesciens quidem, quid fecerit, sed quasi praesagiens mortem meam, breui futuram, praeuenit officio pollincturae meae, mihique viuo honorem impendit, quem mortuo exhibere non posset.

Sed Iudaeorum complures, cum audiuissent, Iesum ibi esse, eo se conferebant, non tantum propter Iesum, sed etiam vt Lazarum conspicerent, quem ex mortuis suscitauerat; fuit enim ob nobilitatem multis cognitus, nunc vero nomen eius ferebatur in ore omnium, postquam e morte in vitam redierat. *Senatus autem consilia agitauit de Lazaro quoque interficiendo;* non propter aliam causam, quam *quoniam Iudaei magna multitudine confluerent Bethaniam, eius visendi causa, et Iesu fidem darent.* Adeo excoecaue-

rat animos principum Iudaicorum odium aduersus Dominum, vt non satis esset eorum malitiae, occidere Iesum, sed de Lazaro quoque tollendo cogitarent, homine innocente, in quem ne fingere quidem quicquam mali possent. Sed adeo quoque manifestum erat miraculum, a Iesu editum, de quo ne principes quidem dubitare possent; modo vim eius in animis populi infringere tentant, Lazaro occidendo, in quo erat editum.

Postridie magna multitudo eorum, qui dierum festorum causa conuenerant, cum rescissent, Iesum adventare Hierosolymam, sumtis palmarum ramis, obviam ei procedunt, acclamantes: vigeat, floreat venturus nomine Domini, rex Israelitarum! Est enim vox: ὡσαννά, non ex etymologia hebraici: הוֹשִׁיעָה־נָּא, aestimanda, qua denotat: serua quaeso, sed, vsurpata in eiusmodi laeta acclamatione, videtur exprimere apprecationem incolumitatis omnis generis, alteri honoris testificandi causa adhibitam; quod et vocabulum sequens docet, velut explicandi causa additum: εὐλογημένος· nam τὸ εὐλογεῖν, quando alter alteri benedicere perhibetur, satis constat, denotare: *bene precari, gratulari.* Itaque vtrumque: ὡσαννὰ, et εὐλογημένος, fere idem declarant, quod latine diceres: salue, terque quaterque salue, siue magis ad etymologiam: saluum faciat aduentantem regem Israelitarum, felicem, faustum, fortunatumque Deus esse iubeat; germanice: Heil! Heil! Nisi volueris vtrique vocabulo tribuere significationem laudandi, in primis propter locum *Luc. XIX,* 38. vbi τὸ ὡσαννὰ plane non reperitur, sed tantum: εὐλογημένος, et illius loco vocabula εἰρήνης et δόξης, sic: εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος βασιλεὺς ἐν ὀνόματι κυρίου· εἰρήνη ἐν οὐρανῷ καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις. Videtur enim τὸ הוֹשִׁיעָה־נָּא, quod semel tantum occurrit, *Ps. CXVIII,* 25. aequipollere vsitatiori: הַלְלוּ־יָהּ, quemadmodum verba: εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, respondent verbis hebraicis in Psalmo laudato: בָּרוּךְ הַבָּא בְּשֵׁם יְהוָה.

In eiusmodi formulis autem verbum ברך, et ad eius consuetudinem graecum εὐλογεῖν, semper denotat: laudare; quem significatum graecum vocabulum saepe obtinet in libris sacris N. T. itemque in Versione Alexandrina, atque adeo apud scriptores profanos, notante quoque HESYCHIO, apud quem extant haec: εὐλογείτω· ἐπαινείτω, et: εὐλόγησεν· ὕμνησεν. Quicquid sit, illud tamen est in promtu, fuisse has formulas laudandi et congratulandi, desumtas ex Psalmo excitato, quibus testari volebat populus et fauorem suum erga Dominum et gaudium ob aduentum eius, et pia vota pro eius incolumitate, operisque eius successu prospero, denique etiam laudes et gratiarum actiones in Deum ipsum, qui tandem miserit promissum regem Iudaeorum. Talem enim videntur habuisse Iesum, ex opinione vulgari. Erat autem populi fauor erga Dominum tantus, vt, quemadmodum populus iubilans et laetans solet testari animorum venerationem et gaudium publicum, magna multitudine ei obuiam procederet, incedentique viam consternerent alii frondibus palmarum, alii adeo etiam, vt habet *Matthaeus*, suis ipsorum palliis, omnes vero ei congratulantes, salutem apprecarentur, et Deo laudes acclamarent. Exemplum simile populi, cultum suum substratis vestibus significantis, occurrit 2 *Reg.* *IX*, 13. alia commemorauit WETSTENIVS. Caeterum vocabulum; τὰ βαΐα denotat iam per se ramos palmarum; quare τῶν φοινίκων posset abesse; deinde vero etiam ramos omnis generis et arboris, siue φοῖνιξ additum sit, siue simpliciter positum reperiatur; hoc loco ramos arborum in genere denotare videtur, in primis ob locum *Matthaei*, qui habet κλάδους ἀπὸ τῶν δένδρων. *)

Iesus autem, nactus asinum, ei incedit; id quod

---

*) Plura de voce βαΐον videri possunt in FISCHERI *Proluss. de vitiis Lex. N. T. p. 18. sqq.*

olim praedictum erat verbis his: bono animo sis, Hierosolyma; en, aduentat tuus rex, asino vectus. Hac igitur pompa ingredi Hierosolymam, Domino placuit; neque enim asino insidere apud Hebraeos erat paupertatis signum, sed potius dignitatis et principatus. Dicitur autem Dominus a *Ioanne* nactus esse ὀνάριον, a *Marco* et *Luca* πῶλον, a *Matthaeo* autem ὄνον καὶ πῶλον· atque vel inde intelligi potest, haec *Matthaei* verba accipienda esse per ἓν διὰ δυοῖν, pro: πῶλον ὄνου, vt est *vers.* 15. pullum eundemque asininum, seu pullum asinae. Porro ex hoc nostro, itemque *Marci* loco patet, apud *Matthaeum* legendum esse non: ἐπεκάθισαν, tanquam discipuli, aut alii Dominum intulissent in iumentum, vt LVTHERVS reddidit in Versione germanica, sed, quod etiam postulant rationes criticae: ἐπεκάθισεν, hoc sensu: conscendit iumentum; deest enim accusatiuus personae: αὐτὸν, qui ex legibus linguae graecae necessario adesse deberet, quoniam actiuum verbum nude poni solet nunquam. Denique quod apud *Ioannem* est: ἐκάθισεν ἐπ' αὐτὸ, et apud *Marcum*: ἐκάθισεν ἐπ' αὐτῷ, id est apud *Matthaeum*: ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν, quod est pro: ἐπ' αὐτῷ, per enallagen numeri. Caeterum in promtu est, locum *Zach. IX*, 9. a *Ioanne* excitatum, continere vaticinium, nominatimque promissionem de Messia aduentante, vocabulo σιὼν autem indicari vrbem, in monte Sion aedificatam, hoc est, Hierosolymitanam, et τὴν θυγατέρα, in singulari numero, significare incolas alicuius vrbis, adeoque τὴν θυγατέρα σιὼν incolas vrbis Hierosolymitanae.

Verum haec non capiebant discipuli ab initio, sed tum demum, postquam Iesus ad gloriam euectus erat, recordati sunt, haec praedicta fuisse de ipso eique accidere debuisse. Loquitur Ioannes de se suisque condiscipulis, profiteturque palam, se non magis, quam reliquos, tum, cum ista euenissent, hoc effatum vatis in memoriam reuocasse, immo ne intellexisse quidem,

multoque minus ad Dominum transtulisse, potius opinatos fuisse, haec agi fortuito; sed postquam glorificatus fuerit morte, resurrectione, adscensione in coelos, sessione ad dextram Dei, (conf. *Cap. VII*, 39. *XVII*, 1.) tum demum, res gestas cum effato Zachariae conferentes, intellexisse, prophetam de his rebus esse vaticinatum, easque accidisse Deo volente et dirigente.

Tam praeclaram de Iesu opinionem, tamque insigne aduersus eum studium in animis populi excitauerant ii, qui testes oculati fuerant suscitationis Lazari e morte in vitam. Hi nempe *promulgabant in vulgus*, quae oculis suis conspexissent, *a Iesu Lazarum e sepulchro esse euocatum atque ex morte in vitam restitutum*, ac propterea, *quicunque demum audiuissent, a Iesu editum esse hoc prodigium*, cuiusmodi auditum non erat ab orbe condito, *processerunt ei obuiam*, exhibueruntque honorem tanquam venturo Messiae, cum conspicerent in omnibus, quae faceret, in primisque in miraculo isto, praeter modum magno, signa futuri Messiae euidentissima.

Eo magis vero exacerbarunt haec omnia Iudaeorum principes, ac propemodum in desperationem adegerunt. Iesum e medio tollere tentant. Capiunt consilia de eo necando. Promulgant edictum, vt, si quis sciret, vbi latitet, sine mora indicet, vt in custodiam dari possit. Neque tamen est, ne vnus quidem, qui indicet. Immo vero e populo omnes ei insigniter fauent, plus, quam principibus suis, honorem ei exhibent palam et in conspectu procerum, Messiam promissum profitentur, salutem ei apprecantur, Deo gratias agunt, qui eum tandem misisset. Iesus vrbem ingreditur palam, multa cum pompa, veluti in triumpho, templum adit, in templo docet, mira patrat. Principes haec audiunt, vident, intelligunt, se suis machinationibus omnibus nihil aduersus ipsum proficere, sed quo magis ei resi-

stere conentur, eo magis illius auctoritatem inclarescere et populi studium accendi. In hac animorum desperatione alter alterum accusat tarditatis et ignauiae in causa Iesu, cohortanturque se mutuo ad adoriendum Dominum maioribus praesidiis dolisque, *dicentes inter se alter ad alterum: videtisne, vos nihil quicquam efficere* cunctando? *En, ingens multitudo ei adhaeret,* vniuersus populus eum sectabitur. Nisi penitus desperauerint, vt interpretibus nonnullis placet, de Iesu e medio tollendo, metuentes in primis populum; quare sensus esset hic: 'contra hunc omnibus artibus nihil quicquam efficietis, populo ipsi tantopere fauente!

Inter eos vero, qui ad solemnia paschalia celebranda venerant Hierosolymas, *erant Graeci quidam. Qui quidem precibus adeunt Philippum, Bethsaida-Galilaeensem, velit ipsis copiam facere, colloquendi cum Iesu. Id Philippus Andreae communicat, ambo Iesu nunciant.* Hic ante omnia quaeritur, quinam isti ἕλληνες fuerint, de quibus hoc loco est sermo. Ac nonnulli quidem interpretes, eos fuisse putant Iudaeos, extra Palaestinam inter Graecos viuentes et graece loquentes; constat enim, illo tempore per Graeciam, Asiam minorem, Syriam et Aegyptum, vbi lingua graeca vernacula erat, dispersos fuisse Iudaeos, qui et ipsi graece loquerentur et Versione graeca V. T. vterentur; atque hanc fuisse causam, quare hi Iudaei appellati fuerint ἕλληνες. Sed valde dubitatur, tales intelligendos esse hoc loco, quoniam doceri non potest vllo loco N. T., ne ex *Cap. VII*, 35. quidem, vt vidimus ad hunc locum, Iudaeos exteros appellatos fuisse hoc nomine. Igitur alii intelligendos putant esse non Iudaeos, sed Gentiles. Ac profecto haec sententia magnam probabilitatem habet, primum ab vsu loquendi; nam quoties in N. T. commemorantur ἰουδαῖοι et ἕλληνες, toties per hos intelliguntur Gentiles; deinde a consuetudine

illorum temporum. Solebant enim Gentiles colere non modo patriae suae Deos in templis domesticis, sed quoscunque Deos cuiuscunque vrbis aut regionis, in quam venissent; fecerunt quoque itinera in vrbes celeberrimas, in quibus essent templa celebrata, vt in illis Deos colerent; venerunt adeo etiam Hierosolymas sacrorum causa, et sacrificia obtulerunt in templo, in subdiali quidem Gentium, vt vocabatur ex instituto Salomonis. 1 *Reg. VIII*, 41. Extant saltem loca apud IOSEPHVM et PHILONEM non tantum, verum etiam apud scriptores profanos, nominatim SVETONIVM, ex quibus patet, homines nobilissimos, etiam e familia Caesaris, sacra fecisse in templo Hierosolymitano. Haec loca collegerunt LIGHTFOOTVS in *Horis Hebr.* et WETSTENIVS ad hunc locum. In vniuersum inter Gentiles illo tempore erant permulti, qui studiosi essent religionis verae, eiusque cognoscendae causa adire solerent Synagogas, quamuis externe eam non essent professi, nec circumcisi, quique *Act. XVII*, 4. dicuntur ἕλληνες σεβόμενοι. Sed obstare videtur huic explicationi, quod Ἕλληνες isti dicuntur fuisse ex iis, qui religionis causa profecti essent Hierosolymas ad dies festos paschatis celebrandos; id vero Gentiles solitos fuisse facere, doceri non potest. Quare denique alii per Ἕλληνας intelligendos esse putant proselytos e Gentilibus, qui quidem Gentiles nati et educati, sed deinde religionem Mosaicam professi fuerant; quae quidem explicatio maximam videtur habere probabilitatem. Tales igitur fuere, qui cuperent, cum Domino colloqui; id quod denotat verbum ἰδεῖν. Erat enim fauor populi aduersus Iesum tantus et admiratio tanta, vt non facile esset, quin flagraret cupiditate, Iesum videndi et cominus salutandi. Sed quo minus ipsum adirent Graeci illi, vel pudor impediebat, vel turba hominum, qua erat circumdatus. Rogant igitur Philippum, qui vel fortuito ipsis obuenerat, vel ob patriae viciniam ipsis notus

erat, quippe oriundus Bethsaida Galilaeae *), vt ipsis aditum aperiret ad Dominum. Is rem Andreae communicat, eiusdem ciuitatis socio. Hi communiter Iesum adeunt, eique exponunt, adesse ἕλληνας, qui teneantur eius videndi desiderio, si dignetur eos admittere. Sed quonam consilio Iesum adire desiderauerint, quidque voluerint apud ipsum, non magis docuit Ioannes, quam, num ad se eos admiserit Dominus. Interpretes tamen consilium eorum ex sequente sermone Domini non improbabiliter colligi posse putant. Scilicet in hoc sermone docere voluit Dominus, instare quidem tempus, quo consecuturus sit gloriam maximam, neque tamen alia ratione, quam subeunda multorum malorum acerbitate; quibus vero adimere audientibus voluit spem instituendi regni terreni, quae occupabat Iudaeorum animos omnes, et maxime confirmata erat rebus, nuper gestis, nimirum miraculo, a Iesu Bethaniae edito, eiusque ingressu solenni in vrbem Hierosolymitanam inter laetas acclamationes, quibus populus vniversus eum susceperat tanquam regem Israelitarum. Hac spe, Iesum esse hunc regem, eumque proxime occupaturum esse suum regnum, accessisse videntur ἕλληνες isti, eique, tanquam regi Israelitarum futuro, testari voluisse suam obseruantiam et pietatem, seque commendare ipsius beniuolentiae; plane vt filii Zebedaei eodem consilio, eodemque fere tempore rogando adiisse leguntur Dominum. *Math.* XX, 20. *sqq.* *Marc.* X, 35. *sqq.*

Dominus vero num admiserit ἕλληνας istos ad se, numque interfuerint sequenti sermoni eius, nec ne, ex narratione Ioannea non liquet, prius tamen est maxime probabile. Fatus autem est audientibus discipulis et e

---

*) Sed verba: τοῦ ἀπὸ βηθσαϊδὰ τῆς γαλιλαίας, MILLIO *Proleg. N. T. Num.* 912. glossema videntur esse, ex *Cap. I*, 45. huc translatum.

populo adstantibus *vers.* 23. *et sqq.* haec: *imminet tempus, quo glorificetur filius hominis. Scitis autem, tritici grana, in terram proiecta, nisi putrefiant, fructus non ferre; ferre autem, si putrefacta fuerint. Perdet vitam, qui eam nimium amauerit; seruabit autem in aeternum, qui nihili eam aestimauerit mea causa. Me meum ministrum sequi oportet; at, quo ego ero, ibi quoque erit meus minister; et Pater praemiis afficiet, qui se mihi ministrum praebuerit. Nunc quidem angitur animus meus dolore graui. Et quid dicam? Dicamne: Pater, saluum me fac ex hoc instanti periculo? Sed in hoc periculum incidi, vt ei me obiicerem. Pater, illustra tuam gloriam.*

Primum igitur docet Dominus, adesse tempus, quo gloria eius illustretur. Aderat vero mors; hanc sequebatur resurrectio, adscensio in coelos, sessio ad dextram Patris; in his erat gloria Domini, in morte adeo ipsa, quam sustinuit in salutem hominum, et quidem liberrimo consilio, pro amore suo immenso aduersus Patrem et homines. Haec gloria illustrabatur, dum innotesceret in his terris, eum mortuum esse ad homines seruandos, et vero etiam e morte rediisse in vitam, coelum adscendisse et constitutum esse caput humani generis, dominum coeli et terrae, dumque adeo agnosceretur a Iudaeis et Gentilibus tanquam Seruator hominum omnium optimus maximus.

Sed antequam haec gloria Domini in orbe terrarum manifestaretur, mihi, inquit, est moriendum. Quod dixit Dominus contra omnem spem exspectationemque τῶν ἑλλήνων, eorumque omnium, qui eum salutauerant tanquam regem Israelitarum, quique exspectabant nihil certius, quam, eum susceptrurum esse imperium quam proxime, et Iudaeos, in primisque amicos suos et sectatores, vindicaturum in felicitatem summam. Illi sperabant, fore, vt Messias per saecula viuat et regnet in his terris; Dominus vero sibi moriendum esse

dicit. Illi a vita eius maiestateque visibili exspectabant salutem; sed Dominus eam in primis repetendam esse iubet a morte sua et maiestate inuisibili; idque docet pro more suo sub aenigmate. Granum frumenti, inquit, iniectum in terram, nisi mortuum fuerit, id est, nisi putruerit, manet solum, hoc est, sine fructu sperato; mortuum vero et patrefactum fructus fert plurimos. Ita et ego nisi mortuus fuero, neque salutem afferre possum hominibus, neque ad gloriam meam pervenire; at vero per mortem meam demum fiet, vt et hominibus salutem praestare et ad gloriam peruenire possim. Loquitur itaque Dominus de morte sua, eiusque necessitate et salubritate, hancque salubritatem retulit partim ad homines, quatenus nempe sua morte acquisiuit salutem aeternam, partim vero etiam ad se ipsum, quoniam per mortem eius et sequentem exaltationem perueniebat ad gloriam et maiestatem Seruatoris, regis et domini humani generis, ac tanquam talis demum omnibus modis salutifer esse poterat hominibus, salute et acquirenda et vero etiam conferenda. Fuerunt quidem, in his NOESSELTVS *), qui Dominum hanc salubritatem mortis suae putarent retulisse tantum ad suorum temporum homines; quasi dicere voluisset, sibi moriendum esse propterea, vt augeatur sectatorum suorum numerus, sensumque esse hunc: non possum mihi sectatores colligere, neque ad disciplinam meam regnique mei felicitatem admittere, nisi morti me obiecero; quam si fuero expertus, tum disciplinae meae alumnos regnique ciues colligam plures, ac tum demum regnabo. Putant igitur, qui ita statuunt, multitudinem sectatorum, nominatimque conuersionem Iudaeorum atque Gentilium ad religionem Christianam, tanquam fructum mortis Christi, indigitari hoc loco, itemque

*) NOESSELTVS scripsit super hoc loco peculiarem commentat. quae reperitur in Opp. eius Fasc. II. p. 1. sqq.

vers. 32. et *Cap. XI*, 52. coll. *X*, 16. etiam *IV*, 35. Quod tamen neque in his, aut aliis in locis vnquam traditur, neque re et experientia confirmatum est. Etenim mors Christi, eaque in cruce perpessa, non modo non alliciebat illo tempore ad religionem christianam suscipiendam, immo vero ab eadem deterrebat; quippe doctrina de Christo in cruce mortuo Iudaeos offendebat vehementer, Gentilibus autem stolida videbatur. Quare ad hanc rem Dominus nec retulit, nec referre vllo modo potuit salubritatem mortis suae.

Sed dum de morte sua, eandemque insecutura gloria, loquitur Dominus, docet quoque, quam ipse ingrediatur viam, eandem inire oportere discipulum quoque, et qui cupiat in gloriae communionem venire, eum non decere, societatem periculorum fugere. Vitam suam, inquit, qui adeo caram habet, vt carere malit iure regni mei, quam pericula et dolores suscipere, is vitam perdit, etiamsi videatur ad tempus lucrifacere, excidit spe regni mei eiusque bonorum, non potest esse regni mei ciuis et inter disciplinae meae alumnos admitti. Sed qui parui habet vitam suam mei nominis causa, adeo, vt eam quoque profundere non dubitet, vitaeque omnis generis miserias vltro in se suscipiat, is eam asseruabit in aeternum, vitam consequetur beatam et immortalem, ciuis erit regni mei in hoc et in altero saeculo. Perdit vitam, qui male seruat; seruat, qui bene perdit. Male seruat, qui deserto euangelio et abnegato me, placauit iudicem, effugit carcerem, crucem, mortem; lucrifecisse videtur vitam, vere autem eius iacturam facit. Bene perdit vitam, qui constanter adhaerens euangelio, fortiter sese periculis et morti obiicit; hominibus is quidem videtur vitam perdere, sed vere seruat; non perit vita, cum ob euangelii professionem profunditur, sed seruatur. Quam viam, ita perrexit Dominus *vers.* 26., me videtis ingredi, eadem me sequatur oportet, qui velit haberi in numero

dicit. Illi a vita eius maiestateque visibili exspectabant salutem; sed Dominus eam in primis repetendam esse iubet a morte sua et maiestate inuisibili; idque docet pro more suo sub aenigmate. Granum frumenti, inquit, iniectum in terram, nisi mortuum fuerit, id est, nisi putruerit, manet solum, hoc est, sine fructu sperato; mortuum vero et putrefactum fructus fert plurimos. Ita et ego nisi mortuus fuero, neque salutem afferre possum hominibus, neque ad gloriam meam peruenire; at vero per mortem meam demum fiet, vt et hominibus salutem praestare et ad gloriam peruenire possim. Loquitur itaque Dominus de morte sua, eiusque necessitate et salubritate, hancque salubritatem retulit partim ad homines, quatenus nempe sua morte acquisiuit salutem aeternam, partim vero etiam ad se ipsum, quoniam per mortem eius et sequentem exaltationem perueniebat ad gloriam et maiestatem Seruatoris, regis et domini humani generis, ac tanquam talis demum omnibus modis salutifer esse poterat hominibus, salute et acquirenda et vero etiam conferenda. Fuerunt quidem, in his NOESSELTVS *), qui Dominum hanc salubritatem mortis suae putarent retulisse tantum ad suorum temporum homines; quasi dicere voluisset, sibi moriendum esse propterea, vt augeatur sectatorum suorum numerus, sensumque esse hunc: non possum mihi sectatores colligere, neque ad disciplinam meam regnique mei felicitatem admittere, nisi morti me obiecero; quam si fuero expertus, tum disciplinae meae alumnos regnique ciues colligam plures, ac tum demum regnabo. Putant igitur, qui ita statuunt, multitudinem sectatorum, nominatimque conuersionem Iudaeorum atque Gentilium ad religionem Christianam, tanquam fructum mortis Christi, indigitari hoc loco, itemque

*) NOESSELTVS scripsit super hoc loco peculiarem commentat. quae reperitur in *Opp. eius Fasc. II. p. 1. sqq.*

vers. 32. et *Cap. XI*, 52. coll. *X*, 16. etiam *IV*, 35. Quod tamen neque in his, aut aliis in locis vnquam traditur, neque re et experientia confirmatum est. Etenim mors Christi, eaque in cruce perpessa, non modo non alliciebat illo tempore ad religionem christianam suscipiendam, immo vero ab eadem deterrebat; quippe doctrina de Christo in cruce mortuo Iudaeos offendebat vehementer, Gentilibus autem stolida videbatur. Quare ad hanc rem Dominus nec retulit, nec referre vllo modo potuit salubritatem mortis suae.

Sed dum de morte sua, eandemque insecutura gloria, loquitur Dominus, docet quoque, quam ipse ingrediatur viam, eandem inire oportere discipulum quoque, et qui cupiat in gloriae communionem venire, eum non decere, societatem periculorum fugere. Vitam suam, inquit, qui adeo caram habet, vt carere malit iure regni mei, quam pericula et dolores suscipere, is vitam perdit, etiamsi videatur ad tempus lucrifacere, excidit spe regni mei eiusque bonorum, non potest esse regni mei ciuis et inter disciplinae meae alumnos admitti. Sed qui parui habet vitam suam mei nominis causa, adeo, vt eam quoque profundere non dubitet, vitaeque omnis generis miserias vltro in se suscipiat, is eam asseruabit in aeternum, vitam consequetur beatam et immortalem, ciuis erit regni mei in hoc et in altero saeculo. Perdit vitam, qui male seruat; seruat, qui bene perdit. Male seruat, qui deserto euangelio et abnegato me, placauit iudicem, effugit carcerem, crucem, mortem; lucrifecisse videtur vitam, vere autem eius iacturam facit. Bene perdit vitam, qui constanter adhaerens euangelio, fortiter sese periculis et morti obiicit; hominibus is quidem videtur vitam perdere, sed vere seruat; non perit vita, cum ob euangelii professionem profunditur, sed seruatur. Quam viam, ita perrexit Dominus *vers*. 26., me videtis ingredi, eadem me sequatur oportet, qui velit haberi in numero

meorum ministrorum, regnique ciuium ac felicitatis sociorum; et sicut videt me, contemtis huius mundi bonis omnibus, etiam vitam meam vltro impendere saluti hominum et gloriae Patris, ita ille abneget semet ipsum, nihil sibi servans in hoc mundo, omnia pro derelictis habens vsque ad vitae contemtum, paratus ad omne genus mortis, tollensque et ipse crucem suam, sequatur me, ad crucem euntem. Haec vero dixit Dominus non omnibus omnium temporum discipulis et sectatoribus suis, neque adeo tradere voluit normam viuendi, Christianis omnibus communem, respexit potius ad tempora proxima, primosque discipulos suaeque causae administros, hosque voluit edocere, non alia via eos peruenire posse ad gloriam, quam qua ipsum viderint pertendere, et, si voluerint ministri ipsius regnique et felicitatis socii et fieri et esse, eos oportere parare animum, vt sint socii afflictionum et mortis. Nam quotiescunque Dominus his verbis vsus esse legitur, vsus autem est saepius, veluti *Matth. X*, 37. *sqq. XVI*, 24. *sq. Luc. IX*, 23. *sq. Marc. VIII*, 34. *sq.* toties addidit, quemque oportere *crucem*, id est, calamitates, in se suscipere, et quidem *ἕνεκεν ἐμοῦ*, et in vltimo loco: *ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ τοῦ εὐαγγελίου*, euangelii gratia. Caeterum tamen hactenus saltem referri possunt ad Christianos vniuersos, quatenus quemque oportet praesidia salutis quaerere non in rebus vitae humanae, sed in solo Domino, eiusque bona ac beneficia ita amare, vt malit bonorum terrenorum omnium, vitaeque ipsius dispendium subire, quam abnegare Christum, et salutis, per eum partae, iacturam facere.

Sed vt socios afflictionum suarum habere voluit Dominus discipulos suos regnique ciues, ita etiam consortes beatitudinis. Etenim duplicem iis promissionem dedit; primum illam: *erit meus minister ibi, vbi ego ero;* (*εἰμὶ* enim habet vim temporis futuri;) Dominus autem abiit ad Patrem ad vsum beatitatis summae, at-

que adeo promisit partim coniunctionem intimam amoris mutui, partim etiam communionem felicitatis maximae in vno eodemque loco; deinde vero hanc: *pater meus eum praemiis ornabit;* hanc enim significationem habere constat verbum graecum: *τιμᾷν*, itemque *ἐπαινεῖν*, etiam apud scriptores graecos, quemadmodum τὸ כִּבֵּד apud Hebraeos, atque adeo etiam verbum *honorare* apud Latinos. Itaque promittebat Dominus discipulis ac ministris suis beatitatem in altero saeculo peculiarem et iis propriam, cum ipso communem et longe maximam; et quidem a *Patre suo*, vt intelligeretur, discipulum Iesu et sectatorem eiusmodi Patri esse carissimum probatissimumque.

Dum vero hortatur Dominus suos ad suscipiendas fortiterque ferendas calamitates sui nominis causa, ipse animo valde perturbatur, futurorum malorum molem praesentiens, neque tamen dubius haeret, num deprecetur calamitates, immo vero testatur animum promtum et in Patre eiusque voluntate vnice acquiescentem, certissimeque sperantem, fore, vt in maximis his periculis Pater saluum ipsum praestet atque incolumem; plane vt *Matth. XXVI*, 38. *sqq.* Hoc vnum optat, vt per mortem suam illustretur nomen Patris. *Nomen Patris* autem est eius gloria et maiestas, et hoc quidem loco, non maiestas Dei in vniuersum, quae est in eius natura, attributis et operibus in genere, quam potius maiestas Patris, conspicua in mittendo Filio suo ad salutem generis humani, et in consiliis operibusque saluberrimis de reparanda et conferenda felicitate hominum, nominatimque in sapientia Patris, quae adhibuit rationem, homines reducendi ad salutem tali modo, quo neque bonitas impediret iustitiam, neque iustitia bonitatem et misericordiam, porro in hac ipsa iustitia et sanctitate, denique in amore eius immenso ac paene incredibili. Hoc est *nomen Patris* hoc loco, haec eius maiestas et gloria summa; atque hanc, precabatur Do-

minus, vt Pater illustraret et conspicuam redderet, atque efficeret, vt eius sapientiam, benignitatem, in primisque gratiam erga genus humanum, per Filium demonstratam, cognoscerent vbique omnes orbis terrarum nationes, eaque cognita et Patrem glorificarent et salutem aeternam consequerentur.

Quae dum precabatur Dominus, *audita est vox* Patris *de coelo huiusmodi: illustraui gloriam meam et posthac amplius illustrabo.* Iam enim tot documentis illustrissimis inclaruerat sapientia et amor Patris erga homines per Filium, dum eum mittere in has terras decreuit olim, ac deinde vere misit, dumque Filius venit in has terras et conspicuam fecit hanc gloriam Patris, non modo verbis, sed etiam factis, editis quoque miraculis, quae omnia cesserant ad gloriam Patris; mox autem aucturus erat eandem gloriam et illustraturus amplius apud omnes gentes terrae per mortem Filii, per resuscitationem, euectionem in coelos, Spiritus sancti missionem, Apostolorum praedicationem, operis Iesu Christi successum felicissimum. Hoc indicabatur per vocem Patris, de coelo auditam: *καὶ ἐδόξασα καὶ πάλιν δοξάσω.* Atque hanc talem vocem claris et disertis verbis auditam fuisse de coelo, non dubitare sinunt euenta plane similia, quae locum habuerunt non modo olim in Mose et populo Israelitico, *Ex. XIX*, 19. et Samuele, 1 *Sam. III*, 5. *seqq.* sed etiam in Domino ipso, cum baptizaretur et in monte Itabirio glorificaretur; extra dubitationem vero ponunt haec: primum, verba ipsa diserte commemorantur, quae audita fuerint; deinde in sequentibus non modo quidam dicuntur existimasse, angelum aliquem esse cum eo locutum, sed Dominus ipse diserte dicit, auditam esse vocem et quidem non sua, sed aliorum caussa; denique explicatio Petri, 2 *Ep. I*, 17. vbi disertis verbis profitetur, se et reliquos, qui fuerint cum Domino in monte Itabirio, audiuisse vocem, de coelo factam, eandemque

hanc: *hic est filius meus vnus ac dilectissimus.* Quae magistri quidam Iudaici tradunt, vsitatum fuisse tum quoque genus reuelationis, quod dicebatur בת קול, filia vocis, ea referenda videntur esse ad figmenta Iudaica, neque adeo vsum habere possunt ad illustrandum hunc locum. Id vero mirandum est, putasse interpretes quosdam, non verba, sed tantum tonitrua fuisse audita, haec vero quoniam Iudaei annumerauerint signis praesentiae diuinae, hoc loco fuisse indicia, preces Iesu esse exauditas, Ioannem igitur ipsum non credidisse, verba haec fuisse de coelo audita, sed tantum explicare voluisse, quid tonitru auditum significauerit, et verbis expressisse, quod Deus facto declarauerit. Sed et haec figmenta esse, satis euidenter intelligi posse arbitramur ex iis, quae modo vidimus, et quae sequuntur.

Sane variasse videtur sententiis populus adstans. Quidam, quoniam fuerant parum attenti, neque adeo verba satis distincte audiuerant, tonitru editum fuisse censebant; vox enim e nubibus prodierat. Alii vero verba ipsa audiuerant, et necessario audire debebant; quorsum enim prolata essent, et qui dicere potuisset Dominus, propter populum adstantem vocem esse auditam? modo statuebant, Deum haec verba elocutum esse per angelum aliquem, ex opinione Iudaeorum, existimantium, Deum non loqui, nisi ministerio angelorum; neque adeo dubitant, verba esse pronunciata, sed tantum, quomodo prolata fuerint. *E populo praesente, audita hac voce, alii tonuisse putabant, alii angelum dicebant cum eo locutum esse.*

Dominus, quo magis audientes hanc vocem, eius quoque sensum perciperent, *dixit: haec vox edita est non mea, sed vestrum caussa,* vt intelligeretis, omnia, quaecunque demum mihi euenerunt, aut euentura sunt, quamuis longe tristissima, pendere a voluntate Patris, spectare ad illustrandam eius gloriam, et manifestare sapientiam, bonitatem et amorem talem, qualis con-

spiciatur in alio opere diuino nullo. Per me meaque facta et euenta illustrata est gloria Patris hucusque, illustrabitur vero cum maxime nunc. Iam quoniam propter hanc causam Dominus docet vocem illam fuisse editam, efficitur sine dubio, et verba esse pronunciata, et homines haec verba distincte audiuisse.

Sed docuit quoque, quanam ratione illustranda sit in posterum gloria Patris, dum subiecit *vers.* 31. *et* 32. haec: *nunc damnabitur mundus hic; nunc princeps huius mundi deturbabitur; ego vero, exaltatus e terra, omnes in partes meas pertraham.* Hic quaeritur ante omnia, quemnam Dominus intellexerit intelligique voluerit per hunc mundum, huiusque mundi principem. Est autem potissimum duplex interpretatio. Altera est eorum, qui putant, per κόσμον τοῦτον intellexisse Dominum vniuersam peruersitatem, illo tempore dominantem inter Iudaeos aeque, ac Gentiles, nimirum rerum diuinarum ignorantiam supinam, errores, ἀπιστίαν, idololatriam, vitia omnisque generis scelera, atque inde ortam miseriam, totam cohortem improborum in vniverso orbe terrarum; et per ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου vel proprie malum genium, vel, vt alii existimant, improprie et per prosopopoeiam, spiritum improbitatis. Etenim quando in libris sacris N. T. commemoratur ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, nonnulli intelligi putant malum genium, eumque tali modo appellatum fuisse, vel ex consuetudine sentiendi loquendique, recepta illo tempore inter omnes populos, in primis autem inter Iudaeos, maxime post exilium Babylonicum, cum existimarent, mundum hunc, et potissimum aërem, repletum esse daemonibus, et bonis et malis, nominatim vero malum illum genium vim potestatemque habere, cum in corpora et res externas hominum, tum vero etiam in eorum animos, et auctorem esse malorum omnium, in primis vero errorum et scelerum, atque ita regnare imperiumque suum habere maxime inter

Gentiles; de qua opinione videri possunt LIGHTFOOTVS in *Horis*, et WETSTENIVS ad hunc locum; vel propterea, quoniam auctor fuisse dicitur peccati et miseriae humanae vniuersae, concitando homines primos ad peccandum; propter quam causam peccata quoque dicantur τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου. Alii vero per ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου intelligendum esse statuunt non malum illum genium, sed genium saeculi, quem dicere solemus spiritum ἀπιστίας et improbitatis, eiusque rei causa prouocant ad vsum loquendi N. T. Ac profecto hoc significatu vocabulum ἄρχων vsurpatum reperitur, veluti in loco *Eph. II*, 2. quod satis euidenter patet inde, primum, quia appellatur ὁ ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, siue, vt alias: τοῦ σκότους, quod improbitatem denotat; deinde vero etiam, quoniam in antecedentibus synonymum ei positum extat: ὁ αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου, hoc est, genius, mores saeculi; et coniuncta leguntur, tanquam idem declarantia: περιπατεῖν κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, et: κατὰ τὸ πνεῦμα, τὸ νῦν ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. Aut quando Apostolus τῷ σατανᾷ tribuit ἐξουσίαν, *Act. XXVI*, 18. eam explicauit *Col. I*, 13. per ἐξουσίαν τοῦ σκότους, eique opposuit τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ. Iam haec βασιλεία, in quam translati esse dicuntur Christiani, erat in bonis et beneficiis, quorum participes facti erant per vocationem ad religionem christianam, hoc est, in cognitione Dei et Christi, in fide vera, in animi vitaeque sanctitate, peccatorumque remissione. Itaque ἐξουσία τοῦ σκότους, ex qua per benignitatem diuinam erant erepti, fuit in grassante ignorantia Dei et Christi, ἀπιστίᾳ, vitiis, peccatorumque poenis et miseriis. Atque in illo ipso loco *Actorum Apost.* coniunctae reperiuntur formulae plane aequipollentes, nimirum: ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεόν. Et cum iuberetur ibi Apostolus, instituere populum Iudaicum gentesque

caeteras, eo consilio, τοῦ ἐπιστρέψαι ἀπὸ τῆς ἐξουσίας τοῦ σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεὸν, quid quaeso hoc erat? Quisnam erat illius institutionis effectus? Nonnè, vt eriperentur Iudaei et Gentiles ex ignorantia, erroribus, ἀπιστίᾳ, vitiis ac miseriis, vicissim vero adducerentur ad cognitionem, fidem, sanctitatemque, atque ita consequerentur peccatorum remissionem et felicitatem, Christianis propriam? Atque ita in hoc nostro loco intelligi profecto posset per κόσμον τοῦτον, vniuersa improbitas et Iudaeorum et Gentilium illius temporis, et per ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου, vis, quam habebat ista improbitas in animis hominum, quatenus impediebat propagationem doctrinae christianae, atque adeo emendationem felicitatemque vniuersam. Hic mundus, haec peruersitas damnabatur, κρίσις ἐστὶ τοῦ κόσμου τούτου, id est, abolebatur; eius princeps deturbabatur, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω, hoc est, vis eius destruebatur, vt non posset amplius impedire doctrinae, fideique et salutis christianae propagationem; idque fiebat νῦν, breui, illo ipso tempore, nimirum dum mortem obiret Dominus, dum rediret e morte in vitam, coelum adscenderet, de coelo mitteret sanctum Spiritum, huiusque ope praedicaretur euangelium per vniuersum orbem terrarum.

Altera vero interpretatio, eaque valde probabilis, eorum est, qui statuunt, per κόσμον τοῦτον intelligi *mundum Iudaicum in specie*, hoc est, improbitatem populi Iudaici, eius errores, opinionesque praeconceptas, partim de lege Mosaica, partim vero etiam de Messia, eiusque regno, porro ἀπιστίαν et odium aduersus Dominum; per ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου autem, partim vim, quam habebant ista omnia in animis Iudaeorum, partim vero etiam aduersarios Domini manifestos, nominatim principes Iudaeorum, Pharisaeos, legis peritos, sacerdotes et quicunque haberent vim aliquam potestatemque inter populum, qui Iesum non

modo non admittebant, sed ei adeo etiam sese opponebant; immo tentabant, eum e medio tollere, populum ab ipso auertere, atque impedire omni modo, quo minus agnosceretur tanquam Messias. Hic mundus Iudaicus *condemnabatur*, quatenus vniuersa gens conuincebatur erroris et stultitiae et peccati, nullo modo condonandi, quod Iesum Messiam repudiauerint; *princeps vero huius mundi deturbabatur*, quatenus omnium Iesu aduersariorum odia, consilia et facta vana reddebantur atque irrita, in primisque vis ac potestas principum Iudaicorum, destructa oeconomia Mosaica et republica Iudaica, penitus euertebatur; Iesus vero, quamuis ab iis in crucem actus et necatus, et, vt videbatur, e terra extinctus, redibat in vitam, adscendit coelum, euectus ad dextram Patris suscipiebat imperium in vniversum orbem terrarum, praedicabatur statim, paucis diebus post mortem ipsius et adscensionem in coelos, in ipsa vrbe Hierosolymitana, in Palaestina vniuersa, in orbe terrarum vniuerso, tanquam Messias, humani generis Seruator optimus maximus, ac talis agnoscebatur a magna parte populi Iudaici. Ita praeter omnem spem exspectationemque peruersitas Iudaeorum damnabatur, vicissim vero gloria et Filii et Patris illustrabatur modo vel maxime insigni. Conf. omnino *Cap. XVI*, 11.

Idem innuit Dominus *vers.* 32. verbis quidem paulo obscurioribus, nimirum his: κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν· quorum tamen sensum explicauit Ioannes, *vers.* 33. sic: *his significauit mortis genus, quam esset obiturus.* Igitur verbo ὑψωθῆναι, quo etiam alias in hac re vsum esse Dominum vidimus, *Cap. III*, 14. et *VIII*, 28. indicare voluit mortem suam in cruce, quamuis non excludere voluisse videatur exaltationem ad gloriam et ad maiestatem imperii diuini. Nam loquitur de re, mortem et exaltationem proxime secutura; loquitur porro vt dominus: ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν, et quidem πάντας, omnis generis homines, ex

omnibus gentibus et nationibus, non modo e Iudaeis, sed e Gentilibus quoque. Sed verbum ἑλκύειν, supra vidimus, *Cap. VI*, 44. denotare: flectere, allicere, impellere, vel intellectum ad assentiendum, vel voluntatem ad obediendum; idque non tantum per doctrinam, sed etiam per miracula et miraculosa euenta, per beneficia et id genus alia. Quod vero ibi Patris beneficio tribuit Dominus, id hoc loco sibi vindicauit. Ego, inquit, cum mortuus fuero in cruce et ad gloriam exaltatus, omnes traham in societatem meam, id est, efficiam, vt omnis generis homines me agnoscant vt Messiam, fide amplectantur, et sequantur, felicitatisque huius et futurae vitae participes reddantur; id vero effecit Dominus vere, et quidem non tantum doctrina sua, sed etiam vi et imperio suo, tanquam dominus generis humani, eodem modo, vt Pater. Quare verba: *πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν*, sensum habere possunt hunc: ducam eos non tantum ad societatem meam in hac vita, sed etiam ad partem felicitatis meae in vita altera. Caeterum quando Dominus dixit: *πάντας ἑλκύσω*, eum, in promtu est, respexisse ad omnis generis homines, etiam eos, qui essent de Gentilibus, quales erant ii, qui ei occasionem praebuerant, haec eloquendi; secus quam ferebat opinio Iudaeorum, qui sibi solis Messiam regnique Messiani felicitatem vindicare solebant.

Sed in populo erant, qui diuinarent, Dominum de morte sua in verbis: *ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς*, locutum fuisse, atque hinc ratiocinari contenderent, eum non esse Messiam, qui se moriturum esse praediceret, cum Messias habiturus sit regnum aeternum. Obiiciebant enim haec: *nos didicimus ex libris sacris, immortalem fore Messiam; quid igitur tu tibi vis, quando dicis, Messiam exaltatum iri? Quisnam demum est ille Messias?* Repetunt verbum *ὑψωθῆναι*, quo vsus erat Dominus, *vers.* 32. idque, quamuis non ex mente eius intelligerent de supplicio crucis et insequente exalta-

tione ad gloriam, interpretabantur tamen de morte eius. Putabant igitur, Dominum, quem, parum abfuit, quin pro Messia haberent, denunciare suam mortem, breui futuram. Enimuero acceperant non modo ex institutione suorum magistrorum et communi Iudaeorum opinione, verum etiam ex ipsis libris sacris, Messiam regnum suscepturum esse, finem non habiturum; cuiusmodi loca profecto in Scripturis V. T. reperiuntur plura; inde vero colligebant perperam, in his terris visibili modo Messiam regnaturum esse perpetuo, adeoque eum immortalem futurum, ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα. Quare dubii haerebant, quid de Iesu statuerent, aut qualemne ipse Messiam putaret. Caeterum ex hoc loco patet, in vsu loquendi Iudaeorum tum fuisse receptum, vt appellationes: ὁ Χριστὸς et: ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, vsurparentur tanquam synonymicae.

Ad haec Iesus respondit hoc modo: adhuc per breue tempus lux salutaris lucebit inter vos; ea igitur vtamini, quamdiu vobis affulget, ne caligo vos opprimat, in qua quisquis ambulat, nescit, quo sit eundum, viam non potest dispicere; *sequimini quaeso lucem, quoad ea fruimini, vt fiatis homines lucis.* Dominus igitur diserte non respondit ad obiectionem, *vers.* 34. propositam, vt alias quoque facere solebat; poterat enim eos docere, quis et qualis esset Messias; poterat respondere, se moriturum quidem, sed mox in vitam rediturum, nec mortem suam obstare regni perpetuitati, cum non esset mundanum, sed spirituale; verum nec capaces erant illi huius institutionis, nec tempestiuum erat, ea prodere. Quare hortabatur tantum populum vniuersum, nam ad hunc videtur pertinuisse haec eius oratio, vt, excussa coecitate mentis, desinerent tandem obstrepere luci veritatis, quae mox esset auferenda, siue, vt, depositis opinionibus peruersis, Messiam tandem agnoscerent, atque salutem susciperent, per eum afferendam. Etenim vnus est Dominus

pro more suo verbis allegoricis, quorum primarium est vocabulum: φῶς. Hoc vero vidimus, ad *Cap. I*, 4. *VIII*, 12. et *IX*, 5. denotare non tantum doctrinam et scientiam, sed in vniuersum salutem, et de hominibus vsurpatum, significare non tantum eum, qui docet, sed, qui salutem praestat, atque de Domino nostro adhibitum, exprimere non tantum salutis doctorem, sed salutis principem, auctorem, datorem, qualis erat non modo docendo, verum etiam facta salubria perficiendo, beneficia tribuendo, morte ad salutem hominum subeunda, denique imperando in genus humanum. Ac talem se Dominum in hoc quoque loco intellexisse, intelligique voluisse, patet vel inde, quia in eo sermo est non de Iesu doctore, sed de Iesu Messia, hoc est, Seruatore; deinde quoniam dicit, lucem tantum per breue tempus adhuc iis interfuturam, hacque luce vtendum esse, quamdiu iis interfutura sit; enimuero qua doctor non amplius interfuit populo; ab hoc ipso momento non amplius docuit, hisque ipsis verbis finem docendi fecit, vt diserte tradidit Ioannes ad finem versiculi tricesimi sexti. Sed qua Messias, qua Seruator interfuit adhuc Iudaeis per breue tempus; ac per breue hoc tempus se vel maxime gessit inter Iudaeos tanquam Seruatorem, dum mortem in cruce subiret, e morte in vitam rediret, coelum adscenderet, Spiritum sanctum mitteret, haec vero tradi iuberet per Apostolos primum atque ante omnia Iudaeis. Igitur sensus horum verborum est hic: adhuc per breue tempus Seruator erit inter vos, seque tanquam talem praestabit, vobisque occasionem suppeditabit; eum cognoscendi et per eum salutem tenendi; quare vtimini hac luce, dum adest, (περιπατεῖτε, scilicet ἐν τῷ φωτὶ, vt *Cap. XI*, 9. περιπατεῖν ἐν τῇ ἡμέρᾳ,) ne, ea subito sublata, nox miseriarum ingruat, vosque perdat; qui incedit in tenebris, sine luce, salutis auctore et duce, nescit, qua via sit eundum ad salutem, ruit in perniciem. Igitur quamdiu

adhuc habetis Seruatorem inter vos, operam omnem impendite, vt eum per fidem suscipiatis, ac salutem per eum consequamini. Nam *υἱοὶ τοῦ φωτὸς* ex vsu loquendi Scripturarum sunt homines, qui Iesum tanquam Seruatorem cognouerunt, fide susceperunt vt talem, atque ita salutis participes facti sunt.

Quibus dictis abiit Iesus, seque subtraxit eorum oculis; non amplius prodiit in conspectum publicum Iudaeorum docendi causa; his dictis finem imposuit muneri docendi, quod gesserat hucusque inter Iudaeos.

Quae in sequentibus inde a *vers.* 37. vsque ad finem huius Capitis tradita reperiuntur, continent veluti iudicium Ioannis de euentu muneris docendi, quo inter Iudaeos hucusque functus fuerat Dominus, minus exoptato, quam quis crediderit; GROTIVS appellauit *epiphonema historiae totius*, BENELIVS *in Gnomone, epicrisin generalem.* Verissime! Hactenus enim exposuerat Ioannes, quae per integrum fere triennium Dominus et docuisset et fecisset inter Iudaeos Palaestinenses, qualemne se et verbis et factis demonstrasset, eo consilio quidem, vt vidimus ab initio, vt doceret, non suis verbis, sed verbis Domini, non per ratiocinationes, sed per facta, legentibusque omnibus persuaderet, Iesum esse Filium Dei verissimum, de coelo missum, atque Messiam promissum exspectatumque, humani generis Seruatorem optimum maximum. Dum vero finem facit narrationis de rebus, a Christo gestis inter populum, dumque in eo est, vt ad vltimam partem vitae Domini, in his terris transactae, progrediatur, placuit ei, exponere causas, quare munus Christi, hucusque administratum, non semper et vbique exoptatum euentum habuerit, et qui tandem factum fuerit, vt Dominus, quamuis nulli operae pepercerit, demonstraueritque euidentissime, non verbis tantum perspicuis, verum etiam factis illustrissimis, quisnam esset, quid sibi vellet, quid emolumenti admittentibus eum,

quid detrimenti ipsum repudiantibus impenderet, tamen nec agnitus fuerit, nec fide susceptus a multis; tanquam excusare vellet Dominum, et culpam successus huius, minus felicis, ab ipso amoliri, atque ostendere, caussam eius vnice quaerendam esse in Iudaeis, eorumque tarditate mentisque stupore, segnitie, negligentia et auscultandi, et contemplandi, nec distare ingenia et mores Iudaeorum suae aetatis ab ingeniis et moribus Iudaeorum, qui vixissent tempore Iesaiae, gentemque Iudaicam sibi semper similem fuisse, nec magis facilem se docilemque praebuisse Domino, quam olim se praebuerit prophetis. *) Disserit autem Ioannes primum *de miraculis Iesu*, a *vers.* 37. vsque ad *vers.* 43. ac deinde *de doctrina eius*, a *vers.* 44. vsque ad finem Capitis, ostenditque, Dominum neque illis, neque hac efficere potuisse, vt fidem ipsi haberent Iudaei.

Ac primum quidem *de miraculis* fatus est hoc modo: *quamuis tot ac tanta miracula edebat inter eos, tamen ei fidem denegarunt*, nimirum quoad maximam partem. Ac profecto patrauit miracula tot ac tanta, quot et quanta audita non fuerunt inde a mundo condito; miracula in coelo, in terra, in mari, in ventis, in piscibus, in arboribus, in panibus, in hominibus vivis et mortuis; patrauit ea non lento apparatu, sed passim in momento, adhibitis adminiculis, aut leuibus, vt videbantur, aut nullis, solo tactu, verbo, nutu, in absentia et praesentia, non in occulto, sed sub adspectu populi, in maxima eius panegyri, in templo, in diebus festis, praesentibus magistris populi, iuris consultis, senatoribus, viris primariis, vt de veritate horum miraculorum eorumque magnitudine illorum temporum homines nec dubitare possent, nec vere dubitarent. Neque tamen tot ac tantis miraculis adduci se passi sunt,

---

*) Scripsit super hoc loco Commentationem B. MORVS, quae extat in eius *Dissertatt. Theol. Vol. II. p.* 106. *sqq.*

vt Iesum pro tali agnoscerent, qualem se probasset his miraculis et probari vellet. Id enim denotat hoc loco verbum πιστεύειν. Nam haec eius miracula spectabant eo, vt doceret, quemadmodum verbis, ita etiam factis, se esse diuinitus missum et promissum Messiam. Talis volebat agnosci, tali fidem haberi. Sed isti neque docenti, neque factis declaranti, quis et qualis esset, fidem habebant, οὐκ ἐπίστευον εἰς αὐτόν. Patet autem ex hoc loco euidenter, si dubitatio de hac re esse posset, Dominum non tantum edidisse miracula verissima, sed etiam, quonam consilio ediderit, quid efficere per ea voluerit, quamque vim habere debuerint in animis videntium, nempe, vt essent documenta, non quidem doctrinae et capitum doctrinae eorumque veritatis, sed maiestatis et potentiae diuinae, in iis conspicuae, quod *brachium Iouae* appellatur in sequente loco Iesaiano, ex quibus intelligeretur, Iesum et agere, et docere Deo volente, adiuuante, dirigente, adeoque eum esse audiendum, eique fidem habendam. Conf. *Cap. II*, 23. 24. *V*, 36. *X*, 25. 38. *XIV*, 11. *XV*, 24. Igitur μὴ πιστεύειν εἰς τὸν πεποιηκότα σημεῖα, est: non agnoscere in eo vim voluntatemque diuinam, neque examinare et admittere, quae dicit.

Quare accidit, quod olim dixerat Iesaias: Domine, quis assentitur nostrae institutioni? Potentia Iouae cuinam illucescit? Hic primum in promtu est, Ioannem commemorasse hunc locum *Iesaiae, Cap. LIII*, 1. eo consilio, vt doceret, ea, quae nunc acciderint, olim iam fuisse praedicta, non vero, ea accidisse propterea, quoniam praedicta fuerint; nam voculam ἵνα in eiusmodi locis sexcentis, satis constat, non nisi euentum indicare. Deinde et illud patet, τὴν ἀκοήν, hebraico שְׁמוּעָה, significare *id, quod auditur*, hoc est, sermonem, institutionem, doctrinam, adeoque idem esse, quod: κήρυγμα, διδαχή· porro per verba: βραχίων κυρίου, exprimi *vim et potentiam diuinam*, et hoc loco nomi-

natim, vim et potentiam diuinam, conspicuam in tota vita Domini, in primisque in miraculis eius; verborum autem: τίνι ἀπεκαλύφθη, sensum esse hunc: *non manifesta fit hominibus* potentia diuina; non animaduertitur ab iis, non agnoscitur, fides ei denegatur. Ad extremum vix dubitari potest, Iesaiam hic locutum esse de Domino nostro eiusque temporis hominibus; quamvis hoc effatum omni tempore, inde a Iesaia vsque ad Christum, atque adeo etiam vsque ad nostra tempora locum habuerit; nam et Iesaias, quemadmodum Dominus eiusque Apostoli, locuti sunt maximam partem surdis auribus, fueruntque omni tempore, suntque etiamnunc non modo Iudaei, sed permulti alii, inter Christianos adeo, qui potentiam, sapientiam, benignitatemque Dei, in Christo conspicuam, omninoque consilia Dei saluberrima de salute humani generis, per Christum reparata et conferenda, ne agnoscant quidem, nedum fidem iis habeant.

Nec poterant fidem habere; excoecauit enim, vt Iesaias habet alio loco, oculos suos populus, obdurauit suam mentem, vt nec videant oculis, nec intelligant mente, neque resipiscant, vt mederi iis possim. Hic locus Iesaianus, *Cap. VI*, 10. ad probandam eandem rem ter excitatus legitur in libris sacris N. T. nimirum *Matth. XIII*, 14. *sq. Act. XXVIII*, 26. et hic, sed cum insigni varietate, quoad verba quidem, non quoad rem. Apud Iesaiam ita se habet: *pingue et obesum redde cor populi huius, aures eius aggraua, oculos eius obline, ne oculis videat, nec auribus audiat, mente intelligat et sanetur.* Igitur in hoc loco Iesaias iubetur abire, et excoecare oculos, et obdurare mentem populi. Haec vero quomodo sint intelligenda, non potest habere difficultatem. Etenim in omnibus linguis antiquis, adeoque maxime in lingua hebraica, saepenumero facere aliquid dicitur is, qui ait, docet, narrat, ostendit, aliquid esse, aut fieri; adeoque verba actiua accipienda

sunt declaratiue. Quare mens et sententia verborum Dei apud Prophetam est haec: *abi, ostende ac denuncia populo, cor eius esse crassum, aures duras, oculos coecos;* id vero nihil aliud est, quam hoc: cor populi crassum est, aures durae, oculi coeci. Sic explicarunt interpretes Alexandrini, quos secutus est *Matthaeus* et *Lucas* locis laudatis.

Sed Ioannes sensum huius loci vtcunque expressit, hoc modo: *τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν.* Igitur simpliciter dixit: *excoecauit, obdurauit*, non addito, quis excoecauerit et obdurauerit. Id tamen intelligi potest ex loco Iesaiano. Ibi enim taxatur populus, quod sit coecus et durus. Sed qui taxatur propter coecitatem et duritiem, eum oportet esse suae coecitatis et duritiei causam et auctorem. Quare ad verbum *τετύφλωκεν* subintelligendum haud dubie est: *ὁ λαὸς οὗτος*, legendumque, loco pronominis *αὐτῶν*, reciprocum: *αὑτῶν*. Vnde sensus existit, quem posuimus supra. Quodsi velles ad verbum *τετύφλωκεν* subintelligere: *ὁ Θεὸς*, sic, vt Deus dicatur excoecasse mentem populi, quemadmodum placuit interpretibus plerisque, id quidem satis commode explicari posset ex consuetudine loquendi Hebraeorum, quos constat solitos fuisse, tribuere alicui aliquid, qui tantum erat eius causa remotior, siue innoxie fecit aliquid, quod alteri occasionem praebuit, hoc vel illud faciendi, in vniuersum autem eos loqui, de Deo quoque, paulo durius, quam fert nostra cogitandi loquendique ratio, et dicere verbi causa, *Deum indurasse, stuporem et somnolentiam indidisse*, et quae sunt reliqua; quae naturae diuinae conuenienter aliter intelligi non possunt, nisi, Deum permisisse, vt haec fierent. Sed tamen loco Iesaiano haud dubie accommodatius est, intelligere non Deum, sed populum Iudaicum, qui se ipse excoecauerit et obfirmauerit. Sic explicatus est hic locus in Versione Syriaca priori: *excoecarunt oculos suos, caligi-*

nem offuderunt menti suae. Porro loco verborum: ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, Ioannes habet haec: πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν, sensu plane eodem. Nam vtrumque, παχύνειν et πωροῦν τὴν καρδίαν, exprimit stuporem et tarditatem ingenii ac mentis, diciturque de iis, qui vim eorum, quae vident, vel audiunt, quamuis clara sint et aperta, tamen aut plane non, aut aegre, vel non recte assequuntur et percipiunt. Idem plane denotant verba: τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, quorum loco Ioannes habet: τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμούς. Etenim vtraque formula, et: καμμύειν τοὺς ὀφθαλμοὺς, et: τυφλοῦν τοὺς ὀφθαλμοὺς, dicitur de iis, qui oculos occludunt, et ab iis, quae vident, auertunt, vt ne videant; et improprie, qui nolunt verum cognoscere, eiusque cognitionem data opera impediunt et repudiant. Deinde etiam Ioannes verba: τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, plane omisit, et loco verborum: καὶ τῇ καρδίᾳ συνιῶσι, posuit haec: καὶ νοήσωσι τῇ καρδίᾳ. Sed formulae: τῇ καρδίᾳ συνιέναι, et: νοεῖν τῇ καρδίᾳ, quemadmodum: ἰδεῖν τοῖς ὀφθάλμοῖς, dicuntur, atque intelligendae sunt de iis, qui mente assequuntur et percipiunt naturam atque indolem doctrinae, a Christo traditae, non minus, quam miraculorum, ab ipso editorum, sic, vt adduci se patiantur ad suscipiendam fidem in eum, religionisque christianae professionem. Hoc vltimum exprimit verbum: ἐπιστραφῶσι. Nam vt hebraicum verbum שוב in V. T. dicitur de reditu Iudaeorum a cultu deastrorum ad cultum veri Dei; sic ἐπιστρέφειν et ἐπιστρέφεσθαι ἐπὶ τὸν Θεὸν, siue, ἐπὶ τὸν κύριον, in libris sacris N. T. vsurpantur de Iudaeis et Gentilibus, qui repudiata, vel religione Mosaica, vel idololatria, christianam religionem amplectuntur, et denotant: *se conuertere a Iudaismo, aut paganismo ad religionem christianam.* Quod si fecissent Iudaei tempore Christi, si eum agnouissent talem, qualem se demonstrauerat, eiusque doctrinam amplexi fuissent, tum et liberari potuissent a malis spi-

ritualibus, etiam maximam partem temporalibus, et participes reddi regni beneficiorumque Messiae; quod verba vltima indicant: *καὶ ἰάσομαι αὐτούς.* Sed ex hac tali ac tanta pigritie et negligentia non modo audiendi, sed adeo etiam videndi et contemplandi, manauit, tanquam e fonte, tarditas et stupor Iudaeorum, vt nec doctrinae, nec miraculorum Domini vim assequerentur ac perciperent, neque ipsum amplecterentur tanquam Seruatorem promissum, nec participes fierent salutis, ab eo partae. Caeterum non opus est, monere, in verbis: *διὰ τοῦτο οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν κ. τ. λ.* non esse argutandum. Neque enim mens Ioannis fuit haec, Iudaeos non potuisse assentiri Domino, quia fuerit praedictum, sed potius, declaratum esse a Deo ipso olim per Iesaiam, gentis vniuersae indolem per omnes aetates, in primisque tempore Christi, insipientem esse et stupidam, monitoribus asperam, recalcitrantem, contumacem, atque hanc veram causam fuisse, quare Domino fidem denegauerint. Verissime haec verba interpretatus est CHRYSOSTOMVS *in Homil.* in hunc locum: *οὐδὲ γὰρ ἐπειδὴ εἶπεν ἠσαΐας, οὐκ ἐπίστευον, ἀλλ' ἐπειδὴ οὐκ ἔμελλον πιστεύειν, διὰ τοῦτο εἶπεν ἠσαΐας.*

Sed notabile est, quod subiecit Ioannes versiculo *primo et quadragesimo: haec Iesaias dixit eo tempore, quo gloriam eius videret, estque de eo vaticinatus.* In his respexit ad visum illud, quo obtigisse legitur in eodem *Cap. VI,* 1. *sqq.* menti animoque Prophetae species adspectabilis maiestatis diuinae; hoc enim denotat: *εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ.* Sed quaeritur, quisnam sit ille *αὐτός,* cuius gloriam vidisse dicitur Iesaias; de quo quidem iam antiquissimis temporibus fuit disputatio inter interpretes et Theologos. Iam in toto hoc loco de Iesu, Domino nostro, disserit Ioannes, atque adeo diserte dicit, de eo vaticinatum esse Iesaiam. Vnde vel maxime probabile fit, Ioannem existimasse et docere voluisse, Prophetam mente animoque vidisse speciem adspectabi-

lem Messiae, eiusque gloriae et maiestatis, in his terris futurae. Quod si est, tota visio Prophetae fuit symbolica, pertinens ad Messiam, eiusque maiestatem et gloriam, quam habiturus esset non modo in coelis, sed etiam in terra, quae et ipsa plena sit futura gloriae eius; id quod euentum habuit, cum per Apostolos Euangelium traderetur in vniuerso orbe terrarum, et reperirentur vbique, qui Iesum tanquam Seruatorem susciperent, colerent, adorarent fide sanctitateque animi et vitae. Nec minus tamen probabile est, visum, prophetae oblatum, pertinuisse ad Deum simpliciter, eiusque maiestatem, conspicuam in vniuerso orbe terrarum, ita tamen, vt Ioannes vel existimauerit ac statuerit, Prophetam conspexisse gloriam non Patris tantum, sed simul etiam Filii et futuri Messiae, vel, quod proprie de Deo esset intelligendum, in Dominum transtulerit. Sed illud quoque notabile est, Ioannem designasse tempus, quo Iesaias conquestus fuerit de stupore et contumacia gentis Iudaicae aduersus Deum, inprimisque aduersus Messiam, tum nempe, cum recens esset a viso maiestatis diuinae. Id enim non temere fecit et sine causa; voluit potius indicare, vatem dixisse haec non sua sponte, sed iussu diuino singulari, non edoctum demum sua aut aliorum longa experientia, sed monitu et nomine Dei, dixisse adeo vere.

Haec de populo in vniuersum, eoque crasso et stupido, non intelligente, ne perpendente quidem consilium mire factorum Domini, nedum fidem ex iis concipiente. Sed quid intelligentiores, legis periti, magistri et principes populi, senatores, Senatus summi assessores? Num in horum animis maiorem vim habuerunt miracula Domini? De his est *vers.* 42. *et* 43. *Ac de proceribus quidem fidem ei habuerunt multi, sed, Pharisaeorum odia veriti, id palam profiteri non audebant, ne gentis suae communione excluderentur; malebant enim hominibus probari, quam Deo.* Igitur in-

ter proceres populi erant non pauci, qui e conspectis Iesu miraculis praeclaram de eo opinionem conciperent; quemadmodum olim Nicodemus, *Cap. III*, 2. eum nisi Messiam ipsum esse suspicabatur, tamen profitebatur doctorem et vatem, diuinitus missum, idque colligendum putabat esse inde, quoniam nullus posset edere miracula tanta, nisi Deum habuerit sibi praesentem et opitulantem. Atque id rursus denotat in hoc nostro loco verbum *πιστεύειν*, nimirum non: amplecti doctrinam Iesu, sed: Iesum ipsum suscipere, sibique persuasum habere, eum esse virum, missum diuinitus, vel adeo Messiam ipsum. Neque tamen audebant, Iesum palam profiteri atque in eius disciplinam se tradere. Metuebant enim odia Pharisaeorum, pessimorum hominum, et aduersariorum Iesu Domini infensissimorum, qui valebant maxima auctoritate in Senatu sacro et apud populum, verebanturque non sine causa, ne, qui inter Iudaicae gentis principes eminebant, munere suo, dignitate et gloria priuarentur, atque adeo consortio cum aliis Iudaeis excluderentur; hoc enim denotant verba: *ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται*, vt ad *Cap. IX*, 22. vidimus. Erat enim promulgata lex, vt, qui Iesum Messiam profiteri auderet, excommunicaretur. Hic metus obstabat, quo minus toto pectore Domino adhaererent, cuius gratia omnia sunt contemnenda; qui quidem metus in hominibus imbecillibus forte veniam impetrauerit. Sed accedebat vana laudis humanae ambitio, quam saepius exprobrauit Dominus Iudaeorum principibus, vel vt *Cap. V*, 44. tanquam causam praecipuam aliquam *ἀπιστίας* eorum. Atque ita neque populus crassus et stupidus, neque qui intelligentiores viderentur, adduci miraculis Iesu se passi sunt, vt eum tanquam Messiam agnoscerent, aut palam profiteri auderent.

Haec de miraculis Iesu. Iam ad *doctrinam et institutionem eius* progreditur Ioannes, ostenditque, hanc non magis felicem successum habuisse in animis Iudaeo-

rum, atque illa; inde a *vers.* 44. vsque ad finem Capitis. Etenim haec, quae in hoc loco tradita reperiuntur, quod est ante omnia tenendum, continent *sermonem Ioannis de doctrina Iesu*, non vero sermonem aliquem, habitum a Domino illo ipso tempore, atque ad eosdem, ad quos locutus erat inde a *vers.* 23. vsque ad *vers.* 36. Atque hoc ita esse, satis euidenter intelligi potest inde, quoniam hoc ipso versiculo *sexto et tricesimo* Dominus dicitur finito illo colloquio discessisse, nec amplius prodiisse palam inter Iudaeos docendi causa; quare probabile non est, eum denuo coepisse verba facere ad multitudinem adstantem; nec patet, quare Ioannes sermonem Domini superiorem interpellauerit iis, quae leguntur a *vers.* 37. vsque ad *vers.* 43. nec vno tenore literis mandauerit. Multo minus est vero simile, vt placet nonnullis, Dominum, quae hic leguntur, discipulis suis dixisse priuatim; Dominus enim haec docuisse dicitur palam: Ἰησοῦς δὲ ἔκραξε καὶ εἶπεν. Sed, vt iam monuimus, est hic sermo Ioannis, quo docere voluit, Iudaeos Domino docenti non magis fidem habuisse, quam miracula patranti, idque non Domini, sed sua ipsorum culpa; illum enim saepe multumque per triennium integrum docuisse perspicue, non in angulo, sed palam, cum singulos, tum populum vniuersum, eiusque principes ipsos, quis et qualis esset, qualemque se haberi voluisset, hortatumque fuisse serio ad credendum, ostendentem, quantus esset fructus credentibus, quanta pernicies in sua ἀπιστίᾳ persistentibus, neque vllam excusationem reliquam fecisse iis, qui sua malitia perirent.

Id vt demonstraret Ioannes, iniit breuem summam sermonum praecipuorum, a Christo per triennium palam habitorum, et in hoc ipso Euangelio literis consignatorum, vt intelligeretur, Dominum adeo aperte admonuisse de se suique aduentus consilio, vt latere posset Iudaeos nullo modo, quisnam esset, quid de se statui vellet, quam salubri consilio inter eos versaretur.

Sed dum summam sermonum Iesu iniit Ioannes, eosque, veluti in compendium redigere voluit, non vsus est verbis suis, sed pro more, quem secutum eum esse vidimus in toto hoc Euangelio, quo magis suis dictis fidem faceret legentibus, verbis Domini; nam haec ipsa verba, quae hic legimus, habuimus explicauimusque in sermonibus Iesu superioribus. Igitur verba: Ἰησοῦς δὲ ἔκραξε καὶ εἶπεν, reddenda sunt hoc modo: *ac Iesus palam quoque professus erat et docuerat;* fert enim vsus aoristorum apud scriptores graecos, Ioanni inprimis freqnens, vt tempus plusquamperfectum indicent; deinde verbum κράζειν habuimus iam supra, *Cap. I,* 15. et *VII,* 28. hoc sensu, vt denotet: dicere palam audientibus omnibus, libere profiteri, pronunciare; quo sensu etiam alias vsurpatum legitur, veluti *Rom. IX,* 27. ad consuetudinem hebraici verbi קרא.

Iam *qualemne Dominus se erat professus? Quaenam erat summa doctrinae, per integrum triennium ab ipso traditae?* Est hoc profecto notatu longe dignissimum. Audiamus igitur.

Primum *se professus erat legatum, a Deo missum,* cui eadem fides habenda sit, quae habenda est Deo. Dixerat nempe: *qui fidem habet mihi, non tam mihi habet, quam potius mittenti me.* Id enim saepius declarauerat Dominus, veluti *Cap. V,* 24. eoque indicaverat, quemque fidem ipsi habere et posse, et debere, sic, vt, qui ipsi fidem habuerit, aut denegauerit, Deo, seu Patri haberet, aut denegaret; nam mittentem alias diserte appellauit Deum et Patrem.

Docuerat porro, *se Patri esse coniunctissimum,* dum habeat, quae habeat Pater, faciat, quae faciat Pater, velit et nolit, quae velit et nolit Pater; veluti *Cap. V,* 19. *sqq.* Id exprimere voluit Ioannes *vers.* 45. verbis his: *qui me videt, videt me mittentem.* Sed *videre mittentem*, siue, vt *Cap. XIV,* 9. dixit, *Patrem,* est: nosse Patrem, eiusque opera et consilia de salute

hominum; plane vt supra, *Cap. I*, 18. ὁρᾷν τὸν Θεὸν denotat: cognoscere Deum, et nominatim amorem eius aduersus homines, manifestatum per Filium, consilia sapientissima et benignissima, voluntatem sanctissimam et saluberrimam. Igitur qui Iesum cognoscit, idem quoque cognoscit Patrem, hoc est, amorem Patris, qui misit Filium suum, consilia Patris de saluandis hominibus per Filium, voluntatem Patris, vt credant omnes in Filium et salutem consequantur. Quare nimis anguste explicant verbum θεωρεῖν, qui de doctrina accipiunt; saltem non intelligenda est doctrina in vniuersum, sed in specie pars eius praecipua, quae exponit de consilio Patris, saluos reddendi homines per Filium.

Id quod euidenter docent atque adeo postulant sequentia, in quibus dicitur Dominus hoc consilium Patris de salute hominum manifestasse, seque *professum esse humani generis Seruatorem vnum et verissimum*. Ita enim diserte docuerat, vt est *versiculo quadragesimo sexto, septimo et octauo*: *ego lucis instar veni in hanc terram, vt, quisquis mihi fidem habuerit, non versaretur in tenebris. Qui audiuerit me, et tamen fidem mihi denegauerit, eius exitii culpa non est in me; neque enim ego veni, perniciem allaturus hominibus, sed salutem; ipse sibi perniciem contrahit, qui spreuerit me, meisque sermonibus fidem denegauerit; nam hi ipsi sermones mei, quos habui, exitio ei erunt tempore extremo.* Hoc igitur est tertium, quod docuerat Dominus, et Ioannes eum docuisse ostendere volebat, scilicet, ipsum esse generis humani Seruatorem. Talem enim se professus erat his ipsis verbis, cum se appellaret τὸ φῶς τοῦ κόσμου, in sermonibus non modo cum discipulis suis, sed etiam ad populum habitis, praesentibus magistris et principibus Iudaeorum, *Cap. IX*, 5. *VIII*, 12. quo nomine etiam Ioannes eum insigniuerat; *Cap. I*, 4. ac talem denotari per τὸ φῶς τοῦ κόσμου, vidimus ad illa loca. Professus autem erat, se

esse Seruatorem talem, in quo vnice sita esset salus hominum omnium aeterna, quem fide suscipere oporteat, quisquis saluus fieri voluerit. Nam addidit: *qui me susceperit talem, non manebit in tenebris, sed,* quod est subintelligendum, quodque subiecit Dominus *Cap. VIII,* 12. *habebit lucem vitae;* nam in enunciationibus negantibus intelligendae quoque sunt affirmantes; sensus autem horum verborum est hic: qui Iesum susceperit tanquam Seruatorem, fiduciamque omnem in eo collocauerit, is a pernicie liberatus, omni modo beatus erit; qui vero Iesum tanquam talem repudiauerit, non poterit non sua ipsius culpa salute excidere, seque exitio dare. Hanc enim notionem obtinere hoc loco verbum πιστεύειν, contextus postulat, vt nempe sit: Iesum suscipere tanquam talem, qualem se erat professus; professus autem erat se salutis auctorem. Opponitur enim τῷ· ἀθετεῖν Ἰησοῦν καὶ μὴ λαμβάνειν τὰ ῥήματα αὐτοῦ, assensu suo indignum habere Iesum eiusque asseuerationes. Nam τὰ ῥήματα, vt vidimus saepius, nominatim ad *Cap. VI,* 63. non denotant doctrinam in genere, sed sermones Domini eos, in quibus locutus erat de se, atque docuerat, quis et qualis esset, qualemque se haberi voluisset; neque enim hoc loco sermo est de doctrina Christi in vniuersum, sed de parte doctrinae ea, quae de ipso exponit. Quare ὁ ἀκούων τῶν ῥημάτων καὶ μὴ πιστεύων, est is: qui audiuit ex ore Iesu, eum esse Servatorem, neque tamen ei, hoc asseueranti, fidem habuit. Idem est ὁ ἀθετῶν Ἰησοῦν καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματα αὐτοῦ, nempe: qui Iesu, asseueranti, se esse Servatorem, assensum denegat, tanquam talem spernit et repudiat.

Nec obstat huic interpretationi varietas lectionis, quae in hoc loco occurrit, et probabilior videtur viris eruditis, quam recepta, quoniam et antiquior est et difficilior. Etenim *vers.* 47, loco verbi: πιστεύσῃ, in aliis libris extat: φυλάξῃ. Hae lectiones autem quoad

sensum non differunt. Nam φυλάσσειν τὰ ῥήματα, siue, τὸν λόγον, est quidem: obseruare doctrinam, obedientiam ei praestare; hoc autem fit non tantum, cum praeceptis eius obtemperamus, sed etiam, et vel maxime, cum capitibus fidei assensum praebemus; quemadmodum doctrinam non obseruamus, non modo, si praeceptis eius obedientiam, sed etiam si eius dogmatis fidem denegamus; vtroque modo sumus immorigeri, et non agendo iuxta praecepta, et vero etiam reiiciendo capita fidei. Plane eadem ratione formulam: φυλάσσειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, vsurpauit Dominus, *Luc. XI*, 28. eiusque loco adhibuit *Cap. VIII*, 15. hanc: κατέχειν τὸν λόγον, sic, vt in primis exprimat fidem, doctrinae diuinae habendam; quemadmodum formula: ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, *Matth. VII*, 21. et *Io. VII*, 17. denotat: voluntati diuinae conuenienter non tantum agere, verum etiam credere; nam vtrumque vult Deus. In nonnullis libris quoque ante verbum φυλάξῃ, omissa est particula: μή· haud dubie ex correctione librarii imperiti, qui effatum Domini, se hominem, fidem ei denegantem, non esse iudicaturum, conciliare non poterat cum locis iis, vbi dicuntur κρίνεσθαι a Iesu, qui eum spreuerint.

Etenim quando Dominus dixit: ἐγὼ οὐ κρίνω αὐτὸν, indicare voluit nihil aliud, nisi hoc, se eius rei culpam non habere; hanc vnice tribuendam esse ei, qui audiuit, neque tamen fidem habuit. Nam verbum κρίνειν, facile quisque potest intelligere, accipiendum non esse sensu eo, quo denotat iudicare, seu condemnare; exprimit potius effectum iudicii, seu damnationis, scilicet perniciem et exitium; opponitur enim verbo σώζειν· hoc denotat: seruare e pernicie et saluum reddere; ergo illud: dare perniciei et salute priuare. Igitur docere nullo modo voluit Dominus, se non iudicaturum esse homines eiusmodi et poenis affecturum; modo hoc

voluit, se non esse damnationis eorum causam, vt qui non spectet perniciem, sed salutem hominum; *qui non venerit, vt perderet mundum, sed seruaret;* vt docuerat *Cap. III*, 17. culpam vero omnem coniiciendam esse in homines, *quoniam tenebras praeferant luci*, vt locutus erat Dominus l. c. *vers.* 19. Vnde verborum sequentium: *mei sermones eum condemnabunt*, sensus est hic: exitio dabitur, quoniam a me audiuit, me esse Seruatorem, neque tamen mihi fidem habuit. Nam *τὸν λόγον, ὃν ἐλάλησα*, vt in antecedentibus *τὰ ῥήματά μου*, intellexit Dominus non nisi de parte doctrinae ea, quae ad ipsius personam et opus spectant. Haec omnia dixerat Dominus fere iisdem verbis alias, in primis loco laudato; Ioannes autem repetiisse et commemorasse videtur, vt veluti excusaret Dominum, ac doceret, in eo nullam esse culpam *ἀπιστίας* Iudaeorum; ipsum enim per integrum triennium nihil quicquam omisisse, quo omnes pertraheret ad fidem salutemque, instituisse populum sermonibus perspicuis, inuitasse promissionibus, deterruisse minis, allexisse beneficiis, excitasse miraculis, a salute neminem repulisse, aditum cuique ad vitam aperuisse; haec qui aspernatus fuerit, et, prouocatus tot modis ad fidem, tamen in coecitate sua perseuerauerit, eum non posse non sua ipsius malitia perire, nec habere quicquam, quo excusare se possit die extremi iudicii.

Denique de huius *doctrinae diuina veritate* loquitur Ioannes, *vers.* 49. *et* 50. eamque docet Dominum saepe testatum fuisse, vt ne hactenus quoque populus Iudaicus excusationem habere posset. Vsus enim erat Dominus verbis his: *non meo ausu loquor, sed Pater, me mittens, mihi mandauit, quid dicerem et loquerer; et scio, quae mihi tradenda iussit, spectare sempiternam felicitatem; quaeque ego loquor, ita loquor, vt accepi a Patre.* Ac sane eiusmodi quoque verbis Dominum

vsum fuisse constat ex *Cap. V*, 30. *VII*, 16. 18. *VI*, 63. *VIII*, 28. reliquis, in quibus professus erat veritatem et salubritatem doctrinae suae cum vniuersae, tum in primis eorum, quae traderet de Patre, eiusque consilio, homines saluos reddendi per Filium, et de se ipso, Filio Dei, salutis omnis auctore. Professus autem erat his verbis tria; *primum*, se hanc doctrinam non excogitasse, sed accepisse a Patre, eamque adeo esse non commentitiam, non ab homine inuentam, sed plane diuinam; *ἐγὼ*, inquit, *ἐξ ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλάλησα*, scilicet *τὸν λόγον*, quod repetendum est ex versiculo antecedente, *ἀλλ' ὁ πέμψας με πατὴρ κ. τ. λ.* non commentus sum, quae loquor ad vos, sed Pater, a quo sum profectus, mihi iniunxit, vt haec ad vos loquerer; non meo ausu haec trado, sed iussu Patris, non ex meo ingenio, sed ex animo Patris, eiusque voluntate et mandato. *Deinde* testatus erat in his verbis, se plane persuasum esse, ea, quae tradenda ipsi demandauerit Pater, nominatim ea, quae dixisset de consilio Patris, salutem tribuendi hominibus per Filium, et de se, Filio Dei et salutis auctore, ea omnia spectare non nisi felicitatem hominum sempiternam, hancque doctrinam viam monstrare ac ducere ad felicitatem sempiternam, adeoque esse salutis aeternae ducem ac magistram, *ῥήματα ζωῆς αἰωνίου*. *Cap. VI*, 68. Dixit autem: *οἶδα*, vt ostenderet, se plane persuasum esse de salubritate huius doctrinae, nominatimque capitis eius de salute conferenda et tenenda, neque adeo hominem quenquam de eius veritate dubitare posse; per *ἐντολὴν* vero intellexit mandatum Patris, tradendi hoc caput doctrinae de salute hominum; quemadmodum mandatum Patris, moriendi pro hominibus, *Cap. X*, 18. pari modo appellauit *ἐντολήν*. Denique *tertio*, vt nulla vnquam dubitatio de hac re superesset, affirmauerat Dominus, se in docendo plane adstrinxisse voluntati Patris, tradidisse non nisi ea, quae voluerit Pater, et sic, vti voluerit, se nihil

addidisse, nihil demsisse, atque adeo suam doctrinam puram esse, et integram ac penitus diuinam.

Iam igitur *summa doctrinae, a Domino in his terris populo Iudaico traditae*, quaenam erat? Ex sententia Ioannis habebat *capita primaria quatuor*. Scilicet docuit Dominus demonstrauitque verbis et factis, *primum*, se esse legatum Dei, missum ad salutem generis humani; *secundo*, se esse Patri coniunctissimum, non modo ratione voluntatis et consiliorum, sed operum quoque et factorum, adeoque etiam ratione naturae, breuiter, se esse Filium Dei; *tertio*, se esse humani generis Seruatorem, talem, qui et impetraturus sit omnibus et daturus credentibus vitam et felicitatem aeternam; *quarto* denique, hanc doctrinam de se, Filio Dei, in has terras a Patre misso, et Seruatore generis humani, verissimam esse et saluberrimam, quippe vnam viam tenendae salutis sempiternae. Haec igitur fuit *summa, hoc caput, initium et finis doctrinae, a Iesu traditae populo Iudaico*. Hanc summam Ioannes, dum finem facere vellet sermonum istorum, hoc loco repetiit, partim, vt ostenderet, causam ἀπιστίας Iudaeorum non quaerendam esse in Domino, sed in eorum tarditate et stupore, partim vero etiam, vt eo magis inculcaret sermones Domini, in antecedentibus commemoratos, vtque intelligeretur eo euidentius, Iesum esse eum, qualem demonstrare voluisset per totum hunc librum, nempe Dei Filium, humani generis Seruatorem.

Est vero hic locus prae caeteris insignis et notatu longe dignissimus, quoniam ex eo intelligi demonstrarique potest euidenter, *quatuor illa capita esse doctrinae christianae necessaria*, (essentialia appellare solent Theologi, itemque articulos fidei fundamentales, eosque primarios,) hoc est, eiusmodi, quae pertinent ad

summam religionis christianae, sic, vt iis demtis religio ipsa salua esse nullo modo possit. In iis enim, auctore Ioanne, fuit caput et summa institutionis Christi; ea non modo diserte tradidit, sed prae caeteris tradidit, explicauit vario modo, argumentis demonstrauit, inculcauit et fide admitti voluit a disciplinae suae alumnis omnibus, quaeque adeo negari possunt a nemine, qui nomen Christi profiteri atque per eum ad salutem aeternam adspirare voluerit.

CAPVT XIII.

Hoc igitur tali modo Dominus per tres annos integros verbis et factis inter populum Iudaicum manifestauerat se tanquam Filium Dei et Seruatorem, in has terras a Deo missum, consiliumque Patris sapientissimum et benignissimum de salute humani generis, per Filium reparanda et conferenda; atque ita absoluerat hoc opus, in his terris peragendum; neque enim inde ab hoc tempore prodiit amplius in conspectum publicum Iudaeorum, docendi causa; vt est *vers.* 36. Capitis antecedentis. Iam reliquum vitae tempus impendit institutioni discipulorum, quos breui esset relicturus, quosque sciret morte magistri sui vehementer perturbatum iri, sic, vt eos instrueret aduersus ingruentem tempestatem, moneret, consolaretur, suumque amorem cum erga illos, tum vero etiam aduersus homines in vniuersum, pignore aliquo et monumento perpetuo testatum faceret. Id quomodo factum fuerit, Ioannes exposuit *Cap. XIII. XIV. XV. et XVI.* Atque etiam in his documenta maiestatis summae ac plane diuinae, eaque longe illustrissima, et Dominus edidit, et Ioannes commemorauit.

Etenim ante diem pascha Iesus, intelligens, tempus adesse, redeundi ex his terris ad Patrem, vt amauerat suos, qui in his terris essent, ita amorem suum erga illos perpetuum testatum fecit, eiusque monumentum extare voluit. Igitur quae hic narrata leguntur, euenerunt πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, hoc est, ante diem eum, quo Iudaei solebant celebrare coenam paschalem; hanc enim coenam denotari hoc loco, vt alias quoque in libris sacris N. T. per τὸ πάσχα, est in promtu. Hinc ἑορτὴ τοῦ πάσχα est dies is, quo agnus paschalis solebat comedi, et dies πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα est dies,

qui illum proxime praecedebat. Comedi autem solebat paschalis agnus statim sub initium diei sabbatici, quod, ex more Iudaeorum numerandi dies et horas, incidebat die veneris post occasum solis. Igitur quae in hoc loco narrantur, euenerunt nostro more die Iouis ad vesperam. Apud *Matthaeum, Cap. XXVI*, 17. appellatur hic dies ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων, hoc est: προτέρα τῶν ἀζύμων, pridie azyma, seu, ante diem paschatis. Atque et inde probabile fit, Dominum die citius cum discipulis celebrasse coenam paschalem, quam Iudaei facturi erant; de quo tamen olim magnam disputationem fuisse constat inter viros eudit issimos. Iam probe sciebat Dominus, quem fugiebat nihil, proxime instare horam mortis; antea iam saepius de ea erat locutus cum discipulis, praedixeratque leuissimas quoque eius περιστάσεις. Hanc autem mortem appellauit Ioannes reditum ad Patrem; data opera; nam et Dominus hac ratione eam appellare solebat; vt intelligeretur, ipsum venisse in has terras non vt hominem merum, sed vt Filium Dei, profectum a Patre, et ad Patrem rediturum. Sed hac ipsa hora mortis sui erga genus humanum amoris ingentis et constantissimi monumentum erigere constituit, ex quo intelligere possent omnes omnium temporum homines, quantopere eos et amauerit olim, cum in his terris versaretur, et nunc quoque amet et amaturus esset vsque ad finem rerum humanarum. Etenim per τοὺς ἰδίους intellexit Ioannes non discipulos, quam potius homines in vniuersum, quos propterea ita appellauit, quoniam Dominus eos sibi traditos esse, aiebat, a Patre, quibus vitam aeternam largiretur; *Cap. XVII*, 24. propterea etiam subiecit: τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, scilicet ὄντας, ex quo et ipso patet, eum intelligi voluisse homines in his terris viuentes, adeoque ad vnum omnes. Hos enim amauerat Dominus, dum in has terras veniret, in his terris viueret, vitamque adeo pro iis poneret. Hos amat etiamnunc et amaturus est reuer-

sui e terra ad Patrem, dum salutis eorum curam gerit plane singularem, constitutus caput humani generis, totius vniuersi Dominus. Huius sui erga homines omnes amoris summi, et nullo vnquam tempore intermorituri, in vltimo vitae momento pignus dare, et monumentum perpetuum inter homines extare voluit. Etenim verbum ἠγάπησεν accipiendum est declaratiue, vt permulta alia eiusmodi verba, reddendumque: se amare declarauit, suum amorem testatum fecit. Illud pignus et monumentum sui erga homines amoris quodnam fuerit, facile quisque poterat intelligere, qui sciret, Dominum in illo ipso epulo paschali instituisse sacram coenam. Atque haec omnino videtur esse intelligenda; etenim in pedilauio, de quo est in sequentibus, exhibuit quidem Dominus specimen insigne officii humanitatis erga discipulos, non vero documentum amoris erga homines in vniuersum. Eiusmodi vero documentum et veluti pignus amoris Iesu constantissimi erga homines, omni tempore viuentes, est coena sacra eiusque institutio, quam quidem verbis Domini non repetiit Ioannes; erat enim tum res notissima, et iam vsu recepta in ecclesiis christianis omnibus, et ab Euangelistis reliquis tradita. Est igitur *sacra coena* eritque vsque ad finem rerum humanarum, *εἰς τέλος*, *monumentum illustrissimum amoris Iesu erga homines ardentissimi.*

Aliud vero, et quidem humanitatis documentum, discipulis exhibitum, a *Matthaeo, Marco* et *Luca* praetermissum, commemorauit Ioannes a *vers.* 2. *et sqq.* *Coena quoque parata, cum animo Iudae, filio Simonis, Coriathensis, consilium subiecisset diabolus, eum tradendi* in manus Iudaeorum, *Iesus, quamuis conscius, sibi a Patre tradita esse omnia, seque profectum esse a Deo, et rediturum ad Deum, surrexit de coena, et deposito pallio, sumtoque linteo, eo praecinxit, atque effusa in peluim aqua, instituit, pedes discipulorum lauare, et, quo cinctus erat, linteo abstergere.* Hic

vix dubitari potest, per τὸ δεῖπνον intelligi coenam Christi vltimam, eamque paschalem, et verba: δείπνου γενομένου, reddenda esse non: coena peracta, vt LVTHERVS vertit, sed: coena instructa, parata; nam vers. 4. et 12. Dominus dicitur surrexisse de coena et rursus accubuisse; neque ritus lauandi pedes vsurpari solebat post coenam, sed ante coenam; accipere autem verbum: γενομένου hoc significatu, fert consuetudo, tempora permutandi, Ioanni solennis. Igitur iam accubuerat Dominus, sed antequam initium fecisset coenandi, surrexit, loturus pedes discipulorum. Iudas quoque huic coenae intererat, qui Iesum capiendum tradidit Iudaeis; hoc enim denotat verbum παραδιδόναι, non: prodere, quod esset προδιδόναι, sed: potestati alicuius tradere; alias enim additum legitur: εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, veluti *Matth. XVII*, 27. Atque iam tum, vt idem *Matthaeus* narrauit, *Cap. XXVII*, 14. Iudas adierat principes Iudaeorum, quos sciret certis animis conspirasse in necem Domini, atque adeo edictum promulgasse, de quo supra vidimus, *Cap. XI*, 57. vt, si quis sciret, vbi lateret Iesus, indicaret, vt posset capi. Fecit igitur, quod isti voluerant; fecit, quod neminem Iudaeorum fecisse legimus! Neque vero quisquam ad hanc rem erat magis idoneus, quam aliquis ex numero eorum, qui familiaritate Domino iuncti erant, quos non latebat, quo se solitus esset conferre.

Id vero malus genius animo Iudae suppeditasse dicitur; hoc enim denotat formula: βάλλειν εἰς τὴν καρδίαν, etiam apud scriptores graecos, e quibus exempla multa commemorarunt interpretes, veluti illud apud XENOPHONTEM *Cyrop. I*, 6. 13. et 19. vbi inter artes imperatoris refertur etiam haec, vt possit τῇ στρατιᾷ, seu, τοῖς στρατιώταις προθυμίαν ἐμβάλλειν, exercitui alacritatem inspirare. Quod vero hoc loco de malo daemone dicitur, non videtur proprie de actu quodam immediato intelligendum esse, sed vel ad morem cogitandi loquen-

dique Iudaeorum referendum, cum putarent, diabolo concessam esse peculiarem aliquam potestatem in homines, eorumque et corpora et animos, vel ex dicendi consuetudine vulgari explicandum, recepta inter nostros quoque, cum dicunt, a diabolo hoc vel illud alicui esse inspiratum, diabolum aliquem instigasse, hanc esse ideam diabolicam, hoc consilium diabolicum; cuiusmodi formulis neqquaquam significare volunt, diabolum excitare ideas, aut consilia eiusmodi in hominibus, sed non nisi atrocitatem criminis alicuius exprimere et indicare fere hoc: adeo foedum esse et abominandum consilium aliquod, vt vix videatur in mentem hominis venire potuisse. Certe ex hoc loco colligi non potest, geniis malis concessam esse potestatem, sollicitandi quemque ad peccata quaeuis; grauiora quidem peccata, aut singulorum hominum, aut integrarum gentium in quibusdam locis Scripturarum iis tribui videntur, non autem peccata vulgaria, ab homine quouis commissa, quorum vna caussa dicitur esse mala mens humana. *Iac. I*, 13. *sqq.* Sed quorsum hoc commemorauit Ioannes? Scilicet vt intelligeretur, Iesum, quamuis non ignoraret, quid in mente haberet Iudas, tamen etiam huic, indignissimo homini, praestitisse humanitatis officium.

Deinde Dominus memor fuisse dicitur, suae potestati tradita esse a Patre omnia, seque et exiisse a Deo et ad Deum rediturum esse. Priora verba nimis anguste, nec menti Domini, nec rei magnitudini conuenienter interpretantur, qui per ea nihil aliud putant indicari, nisi potestatem in Iudaeos aeque ac Gentiles, quam exercuerit per doctrinam suam; ipse enim haec explicauit diserte de imperio suo cum in totum genus humanum, *Io. XVII*, 2. tum in vniuersum orbem terrarum; *Matth. XXVIII*, 18. quod profecto non erat, nec esse poterat regnum doctrinae, sed potentiae; neque alio sensu haec accipere potuit Ioannes, quam quo dixit Do-

minus, nimirum hoc, eum sciuisse, se destinatum esse dominum humani generis atque adeo totius huius vniuersi. Pari modo formula: ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθε, non indicat, Iesum a Deo missum esse in has terras, sed, eum de coelo venisse in has terras, atque adeo antea fuisse in coelo, antequam in has terras venisset; nam non tantum sequuntur verba: πρὸς τὸν Θεὸν ὑπάγει, sed Dominus etiam disertis verbis professus erat alias, velvti *Cap. III*, 13. *VI*, 62. *XVII*, 5. reliqua, se descendisse de coelo et fuisse in coelo, et gloriam habuisse apud Patrem ante mundum conditum; Ioannes autem, *Cap. I*, 1. 2. 18. eum docuit fuisse apud Patrem et in gremio Patris, immo Deum esse. Quare etiam verba: πρὸς τὸν Θεὸν ὑπάγει, denotare aliud quid non possunt, nisi hoc, Dominum rediturum esse ad Patrem ad capessendam gloriam, quam apud eum habuerat ante mundum conditum, suscipiendumque imperium cum Patre pari et aequali iure. Haec vero rursus commemorauit Ioannes consulto, vt nempe intelligeretur et maiestas Domini, et magnitudo facti, de quo exponere vellet, cum, quamuis esset tantae maiestatis, eiusque non inconscius, tamen se deprimeret ad humilitatem serui. Surrexit enim de mensa, cum iam accubuisset, deposuit pallium, (ἱμάτια, conf. *Cap. XIX*, 23.) linteo se succinxit, et, aqua in peluim immissa, pedes discipulorum lauit, (ἤρξατο νίπτειν pro: ἔνιψε) in quo plane assumsit habitum seruorum, quorum erat, non domini, vt sine pallio, aut veste exteriore, modo tunicati et linteo succincti, ministrarent, et nominatim lauarent conuiuarum pedes. Id quonam consilio Dominus fecerit, ex sequentibus intelligetur.

At Simon Petrus, cum ad eum venisset Dominus, seruili habitu praecinctus, loturus pedes illius, exhorruit inauditum humilitatis exemplum, et modo suam imbecillitatem agnoscens, modo Domini dignitatem considerans, refugit, a magistro lauari: *Domine*, inquit,

egone pedes abs te mihi lauari sinam? Iesus monet detrectantem, vt ipsum facere sinat; non enim leue esse, aut otiosum, quod agere velit; *dicens: hoc quid sibi velit, tu nondum quidem intelligis, intelliges autem post.* Mox enim causas explicabat Dominus, quare hoc fecisset; interea oportebat Petrum, credere, consilium Domini, quamuis nondum plene perspectum haberet, sanctum esse et sapiens, eique fide et obsequio se submittere. Sed ne hoc quidem responso Petrus coercitus, magis etiam refugit. *Nunquam,* inquit, *permittam, vt pedes mihi laues.* Nam formula: εἰς αἰῶνα prouerbialis est et hyperbolica. *Cui Iesus: nisi te lavero, in meis te non amplius numerabo,* te pro discipulo meo et amico non habebo. Ita enim intelligenda sunt verba Domini: οὐκ ἔχεις μέρος μετ᾽ ἐμοῦ, scilicet non de consortio felicitatis aeternae, quasi dicere voluisset Dominus, expertem futurum esse Petrum vitae aeternae, nisi hoc permitteret, sed de coniunctione ea, quae hactenus inter Dominum et Petrum intercesserat; neque quicquam aliud innuere voluit Dominus, nisi hoc, se hanc recusationem Petri aliter non accipere, quam quod significare velit, nolle se amplius esse eius amicum et discipulum. Nam formula: μέρος ἔχειν μετά τινος, vsurpatur partim de vinculo amicitiae et familiaritatis, partim de communione beneficiorum. 2 *Cor. VI,* 15. *Act. VIII,* 21. Quicquid autem in hoc enunciato Domini videri poterat duriusculum, non habebat alium finem, quam vt adigeretur Petrus, ne vlterius resisteret Domino.

Quod cum audiret Petrus, flagrans ardentissimo in Dominum amore, subito vehementior factus est in admittendo, quam antea fuerat in recusando. Si res ita habet, inquit, *non pedes tantum tibi lauandos tradam, sed etiam manus et caput,* priusquam me a tua societate excludi patiar. Ad haec Iesus: *qui lauit* iam manus et faciem, cum accedit ad coenam, *lauare opus ha-*

bet non nisi pedes, tum mundus habetur toto corpore; vos mundi estis, nec tamen omnes. Scilicet moris fuisse constat apud Iudaeos, atque adeo ex lege magistrorum Iudaicorum necessitatis, vt ante coenam manus lauarent, et, qui illotis manibus cibum sumerent, immundi haberentur; conf. *Matth. XV*, 2. *Marc. VII*, 3. 4. *Luc. XI*, 38. et interpretes ad illa loca. Sed pedes lauare non erat necessitatis. Quodsi quis, accedens ad coenam, iam lauerat manus, itemque faciem, opus non habebat, vt manus et facies denuo abluerentur, modo supererat, abluere pedes. Quare cum Petrus se paratum esse declararet, vt Dominus non pedes tantum, sed etiam manus et faciem lauaret, hac re, inquit Dominus, non est opus; qui iam lotus est manibus et facie, non indiget iterata lotione; tali igitur nec Petrus indigebat; si et pedes lauantur, mundus habetur aliquis quoad totum corpus. Sed quoniam mentionem fecerat Dominus puritatis externae et ceremonialis ex opinione Iudaeorum, subiecit aliquid de puritate interna animorum; hanc enim intellexit in verbis: καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐστε, ἀλλ' οὐχὶ πάντες, nempe puritatem a prauis consiliis et sensibus, praesertim erga Dominum; ab his alienissimi erant discipuli; amabant potius Dominum vehementer et pie reuerebantur; hactenus puri erant, hoc est, innoxii et a culpa vacui; id enim denotat vocabulum καθαρὸς etiam alias, veluti *Act. XVIII*, 16. Neque tamen omnes erant puri; extitit nempe inter eos, qui peruersa adeo consilia aduersus Dominum agitaret. Id non fugiebat Dominum; *nouerat enim, quisnam eum esset traditurus in potestatem Iudaeorum, ac propterea dixit: puri estis, neque tamen omnes;* quibus verbis tangere voluit Iudae conscientiam, vt vel sic resipisceret, cum intelligeret, se non latere Dominum, quem destinauerat tradere in manus aduersariorum.

Iam vero exposuit Dominus, quare pedes lauare

discipulis instituerit. Etenim *postquam lauit pedes eorum, recepto pallio, rursus accubuit mensae*, coenam sumturus, *et locutus est ad eos hunc in modum: intelligitisne, quare vobis hoc fecerim? Vos soletis me salutare magistrum et dominum; recte; etenim sum*, quem me appellatis. *Quodsi ego vobis pedes laui, dominus ac magister, vos quoque*, discipulos et ministros, *oportet aliis lauare pedes. Exhibui vobis exemplum, vt, quod ego feci vobis, idem vos faciatis aliis. Seruum; mementote, non esse potiorem domino, neo legatum ablegante. Beatos vos, si, quae scitis, feceritis quoque!* Dominus igitur, dum lauit pedes discipulis, exemplum dare voluit, et quidem non omnibus hominibus, sed tantum discipulis, idque eo illustrius, quoniam magister et Dominus dabat discipulis et ministris, eoque commendare iis rem grauissimam et maxime necessariam. Et quamnam?

Id vero intelligi potest ex narratione *Lucae, Cap. XXII*, 24—30. Scilicet rursus incidit inter discipulos, infirmos adhuc et humana sapientes, contentio, quis locum principem habiturus esset in regno Messiae, alio iam tempore inter discipulos agitata, vt *Matthaeus, Cap. XVIII*, 1—5. et *Marcus, Cap. IX*, 33—37. tradiderunt. Versabantur enim in opinione, communi Iudaeis omnibus, de regno Messiae adspectabili, in eoque non dubitabant, quin munera praecipua ad ipsos essent peruentura; de eo tantum non constabat inter ipsos, quisnam eorum in hoc regno obtenturus esset locum primarium; atque id erat, de quo disputarent inter se; plane vt olim mater Iacobi et Ioannis exigebat precibus, vt hi sui filii a dextra et sinistra Domino assiderent; quo voluit nihil aliud, quam hoc, vt darentur ipsis partes primariae in regno futuro. *Matth, XX*, 23. *Marc. X*, 37. Somniabant igitur discipuli regnum Messiae terrenum, in eoque exspectabant et cupide anhelabant res terrenas, honores, diuitias, voluptates et alia

eiusmodi humana commoda. Porro inhaerebat animis eorum fastus quidam, dum eorum quisque locum principem in regno Messiae ambiret eumque alter alteri subinuideret. Hoc rerum terrenarum studium, hanc ambitionem inanem et inuidentiam eximere volebat Dominus ex eorum animis, vicissim iis commendare modestiam in appetendis rebus terrenis, in primisque honoribus externis, ac docere, veram hominis christiani et dignitatem et felicitatem non proficisci a rebus caducis et fluxis, sed niti officiis, Deo hominibusque pio animo praestandis, eum demum magnum esse Deoque acceptum, qui generose contemnat opes, honores, resque alias, splendore fallaci oculos animosque decipientes, omnes laborum molestias spernat, non superbiat, sed se demittat, non dominetur aliis, sed mutuis officiis, vel vilissimis, inseruiat vtilitati aliorum, etiam cum suo incommodo.

Hanc admonitionem quo magis inculcaret discipulis, eorumque animis ac memoriae infigeret, ne per obliuionem posset elabi, vsus est actione symbolica; institutionem vberiorem non cepissent tum animi eorum imbecilles. Fuit autem hic mos populorum orientalium, vt non modo verbis, sed etiam factis docerent; de quo exempla extant *Ier.* XXVII, 2. sq. *Ezech.* XII, 7. sqq. *Matth.* XXVII, 24. Quem morem imitatus est Dominus, cum alias, *Matth.* XVIII, 2. sq. tum hoc loco; facto instituere voluit discipulos, dum iis pedes lauit. Nam et hic mos, lauandi pedes conuiuarum ante coenam, institutus erat et vsitatus inter Iudaeos, non necessitatis, quam potius humanitatis causa; vnde non semper obseruari solebat, vt vel ex *Luc.* VII, 44. patet. Praestabatur tamen hoc officium humanitatis non a dominis, sed a seruis. Dominus igitur dum lauit pedes discipulis, iisque exhibuit eiusmodi officium humanitatis, fecit opus seruile, idque non alio consilio, quam hoc, primum vt ostenderet, se alienissimum esse ab

ambiendis honoribus externis, nec cuiquam inuidere dignitatem inter homines, aut sua potestate abuti ad suum commodum, sed potius omnium commodis inseruire, etiam cum detrimento suorum; deinde vero vt inspiraret animis discipulorum hunc talem sensum, humana commoda spernentem, non suam, sed aliorum vtilitatem quaerentem, suam contemnentem, vtilitatibus aliorum inseruientem, etiam cum suo ipsius detrimento.

Atque hactenus iis exemplum exhibuit, non, vt idem facerent, quod ipse fecisset, sibique inuicem, aut aliis pedes lauarent; nullo modo; sed vt assumerent animum talem, qualem hac actione symbolica demonstrasset, nimirum animum, honores, resque terrenas omnes contemnentem, hominum omnium amantissimum, promtissimumque ad praestanda cuique omnia omnis generis humanitatis officia. Hactenus voluit, vt, quae iis fecisset, facerent aliis, hoc est, vt pari animo mutuis officiis sibi inuicem aliisque inseruirent; nam verba *vers.* 14. *vt ego vobis pedes laui, ita vos debetis pedes lauare aliis*, non accipienda sunt sensu proprio, nec discipuli ea proprie intellexerunt; certe nullum vestigium extat in vniuersa antiquitate, Apostolos, aut inter se sibi, aut Christianis tenuioribus pedes lauisse, multo minus, eos ritum eiusmodi instituisse ex praecepto Domini in ecclesia christiana. Mos igitur, qui nunc quoque obtinet inter Christianos quosdam, cum diuites, ipsique imperatores et principes, lauare solent pedes pauperum quorundam certo quodam die, mere arbitrarius est, ab hominibus inuentus, nec ante Saeculum quartum institutus, lusus pietatis potius, quam exercitamentum, et plerumque superbiae documentum, non modestiae et humilitatis. Animum Domini modestum et demissum, ab omni fastu et ambitione alienissimum, imitari oportet non tantum principes et diuites, sed hominem christianum quemque, eumque

demonstrare non ritibus, sed factis, non certo quodam tempore, sed per totam vitam. Idque consilium fuit Domini ratione discipulorum, vt nempe, quod ipsis fecisset, in memoriam sibi reuocarent, eiusque memores essent omni tempore et in omnibus, quaecunque in posterum facturi essent in nomine Domini, eoque adduci se paterentur ad assumendum animum eundem, quem Dominus habuisset, atque hac re demonstrasset. Quare eos perpendere iubet, *vers.* 16. se esse Dominum, illos ministros, se mittentem, illos legatos, et tamen se demisisse ad officia vilissima iis praestanda, vt demum intelligerent, turpe esse, fastu turgere eos, qui dominum ac magistrum tam mitem et modestum essent experti. Monet denique, *vers.* 17. eos tum tandem beatos futuros, et dignos regni diuini ciues non modo, sed etiam ministros, si hunc ipsius animum aemulati fuerint, obseruauerintque, quae verbis et factis iterum iterumque ipsis inculcasset.

Sed haec lucem capere possunt ex loco *Lucae, Cap.* XX, 25—27. vbi quidem narratum non legitur, Dominum discipulis lauisse pedes, sed continetur tamen eadem adhortatio, commemoraturque eadem causa, quae eidem ansam praebuit, nempe contentio inter discipulos de principatu in regno Christi, eorumque adeo rerum terrenarum auiditas, honorum ambitio et inuidia. Ab his vitiis Dominus eos reuocasse dicitur hoc modo. Primum iis proposuit exemplum regnorum terrestrium, vicissim vero ostendit, regni sui rationem esse longe aliam, adeoque etiam suorum ciuium; itaque vehementer errare discipulos, si exspectarent in hoc regno honores ac diuitias. Reges, inquit, dominantur gentibus, exigunt honorem a suis, ornantur a populo titulis magnificis euergetarum, seruatorum, patrum patriae, etiamsi non promereantur; tale quidem regnum nolite imaginari, nec tales honores exspectare; inter vos et in regno meo quo quisque maior erit, eo minus

sibi vindicabit honoris et dignitatis, eoque se minorem putabit, et quo quisque magis inseruiet aliorum commodis, videbitur esse minister potius, quam princeps. Deinde prouocauit ad exemplum domini et serui, rationemque, quae inter vtrumque intercedit. Vter, ait, maior videtur? Mensaene accumbens, an ministrans? Nonne accumbens? Atqui ego, qui iure meo mihi poteram vindicare dominium, nonne sic versatus sum inter vos, quasi minister essem vestrum omnium? Ac talem se gessit Dominus cum maxime, dum de mensa surgeret et discipulis accumbentibus pedes lauaret. Inde vero colligi voluit, eo magis oportere discipulos, qui talem Dominum habeant, et conditione pares sint, ab omni fastu et ambitione abstinere. Ad extremum docet, eos tamen ornatum iri in posterum magna dignitate et potestate, non tali, qualem imaginabantur, sed alia et longe excellentiori, nempe futurum esse, vt, si fuissent imitatores humilitatis ipsius et afflictionum socii, consortes quoque sint gloriae, sic, vt succedant vicarii regni ipsius, eius locum occupent et vices gerant inter homines, in primisque praesint ciuitati Israeliticae eiusque saluti prospiciant. Hanc ipsam promissionem Dominus alias quoque, nimirum *Matth. XIX*, 28 —30. discipulis dederat, et vero etiam ratam fecit; nam cum ipse in coelo sederet rex ecclesiae, eos constituit vicarios regni sui in his terris, hisque discipulis in primis demandauit curam populi Iudaici.

Alias quoque eiusmodi actione symbolica, et per eandem occasionem, vsus erat Dominus, parique ratione discipulos admonuit eorumque vanitatem taxauit; vt narratur *Matth. XVIII*, 1—5. et *Marc. IX*, 33—37. Scilicet iam alio tempore ingenia eorum torserat quaestio, quisnam eorum primas partes habiturus esset in regno Messiae, quod mox sperabant inchoaturum. Dominus vero puerum quendam, alienum adhuc a superbia et ambitione, statuit inter medios discipulos, dixit-

que haec: nisi penitus immutari vos sineritis, transformarique in simplicitatem ac modestiam huius pueri, ne ciues quidem regni mei esse poteritis, nedum dignitatem praecipuam in eo obtinere. Modestissimus quisque maximus erit in regno meo. Primus in eo si quis esse voluerit, postremus sit omnium et minister omnium. Atque ex his omnibus patet, Dominum vtraque actione symbolica, cum et pedes lauaret discipulis, et puerulum ipsis exemplo proponeret, voluisse nihil aliud, quam vt partim dehortaretur discipulos ab omni fastu, ambitione, inuidia, rerumque terrenarum cupiditate, partim vero vt cohortaretur eos ad modestiam in expetendis honoribus et commodis vitae humanae, ad amorem mutuum humanitatisque officia quaeuis, sibi inuicem praestanda, et ad studium vtilitatis publicae cum contemtu suae ipsorum. Cui admonitioni si morem gessissent discipuli, tum demum, ait, eos futuros esse dignos ciuium suorum nomine, et beatos.

Sed haec beatitudo non erat discipulorum omnium futura. Subiecit enim Dominus haec: *non dico haec in vos omnes; probe scio, quos et quales mihi comites delegerim; sed locum habet id, quod est in Scripturis: conuictor meus aduersus me calcitrat.* Itaque non de omnibus bene sperabat Dominus, quos disciplinae suae alumnos elegisset; hanc enim significationem habere verbum ἐκλέγειν hoc loco, vt *Cap. VI*, 70. *XV*, 16. 19. est in promtu. Nouerat enim, quo quisque in ipsum esset animo, atque iam supra, *vers.* 10. innuerat, eos non omnes puros esse et insontes, hoc loco autem diserte significat, inter hos ipsos eius familiares et amicos esse aliquem, ipsi adeo inimicum; id enim denotant verba: *ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ.* Erat enim apud gentes antiquissimas sacrum amicitiae pignus, coenam capere cum aliquo, nihil vero etiam turpius, quam violare eos, quorum mensa vsus fuerat aliquis; de quo videri possunt inter-

pretes ad hunc locum. Caeterum haec verba extant quidem *Ps. XLI*, 10. neque tamen a Domino excitata videntur esse tanquam vaticinium Messianum, sed vel tanquam sententia generalis, quae fere in prouerbium abiisse videtur, vel vt exemplum illustrans; fuit enim magna similitudo inter Ahitophelem, de cuius perfidia ibi Dauides queritur, et inter Iudam; vterque suscepit consilium perniciosissimum aduersus dominum et benefactorem; vterque eundem vitae exitum habuit; nam laqueo vitam sibi ademit.

Haec vero de industria praedixit Dominus, ne scilicet perturbarentur, si perfidia discipuli praeter exspectationem locum haberet. Etenim *hoc*, inquit, *dicere vobis volui nunc*, (*ἀπ᾽ ἄρτι*, pro: *νῦν*) *antequam accideret*, *ne*, *cum acciderit*, *dubitetis*, *me esse*, eum nempe, quem me esse putatis; idem enim dicere voluit Dominus, quod *Cap. XVI*, 1. *ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε.*

Melius sperauit de discipulis reliquis, ac propterea in solatium eorum subiecit haec: *scitote*, *idem fore*, *si quis legatos meos susceperit benigne*, *tanquam me ipsum*, *et*, *si quis susceperit me*, *idem fore*, *tanquam eum suscepisset*, *a quo missus sum* et cuius negotium ago. Iisdem verbis vsus erat Dominus alias, nimirum *Matth. X*, 40—42. vbi, cum discipulos duodecim praecipuos ablegaret ad praedicandum euangelium in terris Iudaicis cum auctoritate, idem faciendi nomine Christi, cuius vicem gererent, quicquid ipse fecerit nomine Patris et suo, his ipsis discipulis legitur promissionem dedisse eandem, atque etiam addidisse haec: vatem benigne suscipiens, quatenus vates est, a Deo missus, accipiet praemium vatis; suscipiens cultorum meorum aliquem, quoniam talis est, talis cultoris praemio et ipso afficietur; immo qui vel aquae frigidae poculum dederit, tribueritque beneficium leuissimum non dicam mihi, sed vnicuilibet ex his contemtissimis, tantum

propterea, quoniam sit ex meis, pro certo dico vobis, ne hic quidem fraudabitur facti praemio. Verbum δέχεσθαι autem, quemadmodum verbum λαμβάνειν, non tantum denotat: excipere, veluti hospitio, sed etiam: benigne aliquem tractare, beneficiis afficere; explicatur enim in loco *Matthaei* per formulam: ποτίζειν ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ, id est, vel minimum gaudium creare alicui, minima re leuare alterius incommoda; atque adeo etiam: probare, assentiri, fidem habere alicui; quas significationes hoc verbum saepe obtinet in libris sacris N. T. quemadmodum apud interpretes Alexandrinos hebraicum רָצָה expressum legitur partim per: εὐδοκεῖν, partim per: δέχεσθαι. Vnde apud *Lucam*, *Cap. X*, 16. vsus esse dicitur Dominus verbis his: qui vos audit, audit me; qui vos repudiat, me repudiat; qui repudiat me, eum repudiat, qui me misit; quae adeo nostro loco aequipollent. Sed haec sunt in promtu.

Quid autem voluit Dominus his verbis? Scilicet *primum* testatur, quod saepius inculcauit discipulis, suum opus non esse suum, quam potius Patris, suam doctrinam non esse humanam, sed plane diuinam; ac talem quoque esse doctrinam Apostolorum. Quisquis, inquit, fidem habet vobis, qui vicem meam sustinetis, et quoniam meam vicem sustinetis, fidem habet mihi, qui vos misi; quisquis fidem habet mihi, habet quoque Patri, a quo missus sum. Igitur fidem habere Apostolis, idem est, atque fidem habere Christo; et fidem habere Christo, perinde est, atque fidem habere Deo. Docet *deinde*, quanti aestimaturus sit non modo ipse, sed etiam Pater, si quis aliquem discipulorum suorum benigne suscipiat, ei fidem habeat et officium humanitatis vel minimum praestet euangelii causa, se nempe id accepturum esse, tanquam sibi praestitum fuisset, Patremque ipsum hoc sibi velle imputari, et remuneraturum esse praemiis amplissimis beneficium vel leuissi-

mum, tali discipulo exhibitum. Explicat quoque caussam, quare eiusmodi officia humanitatis, cultoribus suis praestita, tantum pretium habeant apud se et apud Patrem, quatenus nempe praestentur animo pio et grato in Iesum. Non refert, inquit, quantum sit, quod datur; sed quo animo, cuiusue nomine detur; nec refert, quantus sit, cui praestatur officium, sufficit, ex meis eum esse, vt mihi possit imputari pro magno beneficio. Promittit *denique*, eos tamen magnam habituros esse dignitatem in regno diuino; non talem quidem, qualem sperarent, sed longe illustriorem; eos nimirum vicem eius gesturos esse, vt, qui fidem iis habeat, habeat Domino, qui officium humanitatis ipsis praestet, praestet Domino; et quamuis sint, qui eos aspernentur et persequantur, neque tamen defuturos esse, qui ipsos benigne suscipiant, adeoque ministeria, ipsis iniuncta, non caritura esse suis solatiis ac praemiis. Sed his omnibus consolari Dominus voluit discipulos, et, quos spe vana deiecisset, recreare, et spe meliori erigere.

Dum vero ex hac parte vehementer laetabatur Dominus de discipulis suis, et de muneris, ipsis demandandi, successu exoptato, ex altera parte afficiebatur magna tristitia, perpendens perfidiam et malitiam discipuli vnius. Etenim *cum haec dixisset, animo commotus, significabat discipulis, profecto futurum esse, vt ex iis aliquis ipsum tradat in potestatem inimicorum. Discipuli*, quorum animos, audito hoc sermone, ingens moeror ceperat, *sese inuicem alii alios intuebantur, haesitantes, de quo loqueretur. Ei tamen discipulorum, qui Iesu proximus accumberet, atque ab eo diligeretur quam plurimum, Simon Petrus nutu significabat, vt, quemnam innueret, e Iesu percontaretur. Ille, reclinato ad Iesum capite*, propius se ad aures Iesu admouens, *quaerebat, quis tandem esset.* In aurem igitur haec dixit Domino, ne caeteri audire possent. Ac tali modo respondit Dominus quoque. *Ie-*

sua: is est, inquit, cui porrigam hanc offulam intinctam. Sic intinxit offulam et porrexit Iudae Cariothensi, Simonis filio. Qua sumta, eius animum totum occupauit satanas. Agere enim solebat Dominus personam patrisfamilias, cibos distribuentis inter conuiuas; atque tum in eo erat, vt pro hoc more suo cibum porrigeret cuiuis discipulorum; apponebat igitur particulam ciborum Iudae quoque. Nam τὸ ψωμίον denotat frustum, non panis tantum, sed cuiusuis esculenti. Quare Iudas inde, quoniam Dominus ipsi cibum porrigebat, suspicari non poterat, indigitari se; sed conscientiae stimulis agitatus, de eo dubitare non poterat; immo sceleri addidit impudentiam, eoque audaciae progressus est, quemadmodum *Matthaeus* narrauit, *Cap. XXVI*, 25. vt, num ipsum petiisset his verbis, quaereret, quasi nullius mali sibi esset conscius, cum tamen iam pactus fuisset cum inimicis; eoque magis se obfirmabat in consilio detestabili; nam hoc denotare videntur verba: τότε εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ σατανᾶς. Vt enim supra, *vers.* 2. dictum fuerat, in mente eius exortum esse consilium diabolicum, Dominum suum tradendi potestati Iudaeorum; ita hic perhibetur confirmatus esse, vt faceret, quod decreuisset.

Dominus cum videret, destinatam Iudae malitiam nec pudore, nec metu poenarum corrigi posse, patrandi facinoris potestatem fecit, significans, illud se nullo modo impedire velle, paratum se esse ad toleranda omnia, neminem tamen aduersus ipsum quicquam valiturum, nisi ipse voluntati impiae potestatem fecisset; *exsequere quam primum, inquit, quod animo concepisti.* *) *Id quorsum dixisset*, eoque quid sibi voluisset, *intellexit accumbentium discipulorum nullus. Quidam, quoniam pecuniae cura ei erat concredita,*

*) Ὃ ποιεῖς Graeci eleganter dicunt loco: ὃ ποιήσεις, siue: ὃ μέλλεις ποιεῖν, quod facturus es.

(vid. ad Cap. XII, 6.) *arbitrabantur, Iesum admonuisse, vt necessarium victum ad proxime sequentes dies festos coemeret, aut pauperibus aliquid erogaret,* cuiusmodi quid frequenter videtur solitus esse ei mandare. *Ille, sumta offula, protinus e conclaui exiit, nocte iam ingruente,* discipulis tale quid, quod in animo gereret, nullo modo suspicatis, existimantibus potius, ipsum discedere, exsequendi alicuius negotii causa, ipsi a Domino demandati.

Eo egresso, exorsus est Dominus sermones cum discipulis vltimos, eosque longe pulcherrimos ac praestantissimos, quibus eorum animis infigeret res, quas quidem, et rudes tum, et moerore graui occupati, illo tempore ad plenum capere non possent, sed tamen post essent intellecturi, at vero etiam eos consolaretur et muniret aduersus tempestatem imminentem. Ac primum de morte sua locutus est, eamque significauit instare proxime, et, quamuis videretur vel maxime ignominiosa, tamen Patris ac suam gloriam insigniter esse illustraturam. Fatus enim est hoc modo: *iam tempus adest, quo illustrabitur filius hominis et per eum Deus; Deus enim ipse per eum illustratus, illustrabit et eum, idque quam primum.* Proxime instabat tempus mortis Domini; hanc igitur innuit, et quae eam proxime sequebantur; per hanc, ait, illustratum iri suam Patrisque gloriam; (nam praeteritum tempus in verbo *ἐδοξάσθη* intelligendum est explicandumque de futuro;) idque quomodo factum sit, vidimus supra ad *Cap. XII, 23. et* 28. Nimirum illustrata erat gloria Domini per totam vitam ipsius, verbis et factis; illustrata quoque erat gloria Patris, vt ipse dicebat; *Cap. XVII,* 4. illustrabatur autem vtraque in primis morte Christi. Ac primum gloria Domini ipsius illustrabatur, quatenus demonstraret morte sua et amorem immensum ac paene incredibilem, et vero etiam vim plane diuinam, acquirendi hominibus omnibus peccatorum remissionem vitamque

aeternam; atque inter homines illustrabatur haec gloria Domini, cum agnoscerent hunc amorem, hanc vim Domini, cum intelligerent, in eo esse vitam, vt Ioannes ait, *Cap. I,* 4. hancque vitam esse causam salutis hominum, atque in eo spem salutis suae vniuersae collocarent. Deinde illustrabatur gloria Patris, quatenus in morte Domini conspicua facta est sapientia, iustitia, sanctitas, inprimisque gratia et benignitas Patris in reparanda et conferenda salute per suum ipsius Filium; et si agnoscitur haec sapientia, sanctitas et benignitas Patris, tum illustratur gloria eius inter homines. Vicissim vero etiam Pater illustrabat gloriam Filii, non modo per miracula, in morte ipsius edita, verum etiam atque inprimis, dum eum reuocaret e mortuis in vitam, ad dextram suam eueheret, participemque redderet imperii maiestatisque suae, constitueretque caput et dominum totius vniuersi, inprimisque humani generis; haec gloria Christi si innotescit inter homines, et Iesus talis agnoscitur, cui Pater tribuit tantam maiestatem, tum illustratur. Etiam haec dixit Dominus in solatium suorum, ne offenderentur morte ipsius, quae quamuis ignominiosissima, tamen et gloriosissima futura esset ipsi et Patri, et hominibus saluberrima.

Dixit autem: *εὐθὺς δοξάσει αὐτόν*. Quare subiecit: *per tempus breuissimum adhuc versabor vobiscum, carissimi; vos me desiderabitis; sed idem dicere possem vobis, quod olim dicebam Iudaeis: quo ego me conferam, eo me non potestis sequi* nunc quidem. Sane vsus erat Dominus verbis eiusmodi in sermonibus cum Iudaeis, nempe *Cap. VII,* 37. et *VIII,* 21. sed diuerso sensu. In priori loco dicere volebat: non poteritis me sequi in coelum, vt ibi mihi insidias struatis; in altero: non poteritis mecum peruenire in coelum ad vitam beatam, quo ego perueniam; et in hoc loco: nunc quidem, (etenim subintelligendum est: *νῦν,* quod extat *vers.* 36.) non potestis mecum mori et abire ad Patrem,

quo ego sum abiturus. Loquitur Dominus tanquam moriturus, discessum parans, suisque valedicens. Ego, inquit, discedam a vobis breui, abiturus ex his terris ad Patrem; *Cap. XVI*, 16. eo vos nunc quidem me sequi non potestis; secuturi autem estis aliquando; ita enim promisit Dominus in sequentibus; *Cap. XIV*, 3. vobis enim regnique mei saluti expedit, vt adhuc per aliquod tempus in his terris versemini. Deplorabitis discessum meum, meique desiderio flagrabitis; vt in sequentibus quoque ipsis praedixit Dominus, *Cap. XVI*, 3. 20. 22. 33. et vt ratum factum esse *Marcus* docuit; *Cap. XVI*, 10. sed hunc discessum meum vos oportet fortiter ferre, meique memoriam impressam tenere animis vestris, in primis vero praeceptis meis obsequi.

Iam sequitur praeceptum eiusmodi, quo docere voluit Dominus, quid ipsis esset faciendum post discessum suum, quidque primum atque ante omnia fieri ab illis vellet. Hoc praeceptum primum ac praecipuum pertinebat ad discipulos ipsos, eorumque mores et sentiendi agendique rationem inter semetipsos, si discipuli ipsius genuini esse, et ministerio, ipsis demandando, rite et salubriter fungi voluerint, vt nempe se inuicem amore integerrimo complecterentur, neque vnquam se paterentur dissociari inuidia, fastu et ambitione. Vsus enim est verbis his: *do vobis praeceptum nouum, scilicet, amate vos inuicem, ita quidem, vt ego amaui vos; ex eo nemo non agnoscet, vos meos discipulos esse, si amaueritis vos inuicem.*

Hic interpretes plerique omnes putant commendari a Domino discipulis praeceptum vniuersale de amore mutuo. Id vero quoniam olim iam traditum fuit a Mose, repetitum a Prophetis, inculcatum denique centies a Domino his ipsis discipulis quoque, quaerunt, quomodo dici possit *nouum;* in quo eos vehementer dissensisse constat omni tempore. Itaque alii putarunt, ἐντολὴν καινὴν idem esse, quod: ἄλλην, vt respiciatur ad prae-

ceptum, *vers.* 14. *sqq.* indiceturque praeceptum *aliud*, ab illo diuersum; hoc sensu: praeceptum aliud, quod tradere vobis volebam, est hoc. Alii vero vocabulum καινὸς significare putant: *praecipuus*, *excellens*, *eximius*, eamque significationem obtinere hanc vocem docent alias quoque, veluti *Matth. XXVI*, 29. et *Apoc. V*, 9. ex consuetudine vocabuli hebraici חָדָשׁ, *Ps. XXXIII*, 3. *XCVI*, 1. *Iud. V*, 8. quare ἐντολὴ καινὴ esset: lex prima ac praecipua, primaria, ante omnia obseruanda, quam Dominus appellauerit *legem suam*, *Cap. XV*, 12. *Paulus* autem *legem Christi*, *Gal. VI*, 2. et *Iacobus*, *Cap. II*, 8. *legem regiam*, id est, praestantissimam, longeque pulcherrimam et grauissimam, quemadmodum Dominus *Matth. XXII*, 37. 38. ἐντολὴν πρώτην καὶ μεγάλην. Sensus igitur in hoc nostro loco esset hic: prae caeteris hoc volo, primum atque ante omnia commendatum vobis habete hoc, lex primaria sit haec: amate vos inuicem. Sed aliam interpretationem tentavit GEORG. CHRISTIAN. KNAPPIVS in *Scriptis varii argumenti p.* 369. *sqq.* nimirum hanc: Dominus praecepit amorem mutuum peculiarem et propter caussas peculiares. Primum enim dixit: ἀγαπᾶτε ἀλλήλους· non vero, vt est in praecepto Mosaico: ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν· quae vehementer differunt; hac lege Mosaica praecipitur amor mutuus aduersus hominem quemque cuiuscunque nationis et conditionis, illa vero amor mutuus et Apostolorum, et vero etiam Christianorum inter se, quae ab Apostolis dicitur φιλαδελφία, caritas fraterna, et distinguitur a τῇ ἀγάπῃ. 2 *Petr. I*, 7. Ac talem amorem exigit Dominus, scilicet hominibus christianis proprium, φιλαδελφίαν. Deinde addidit: καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς· intellexit igitur amorem peculiarem, hoc est, ad exemplum ipsius conformatum, adeoque plane eximium, efficacissimum, factis se exserentem, sic, vt non dubites, si res ita sit, vitam ponere pro fratribus. Denique subiecit haec: ἐν τούτῳ γνώσονται

πάντες, ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις. Commendat igitur amorem mutuum tanquam notam praecipuam et propriam suae disciplinae alumnorum, notam characteristicam dicunt; sed officium, in quo est nota characteristica societatis alicuius, est primum ac praecipuum, ergo etiam praeceptum de hoc officio. Eiusmodi vero praeceptum hactenus non dederat Dominus discipulis, ac propterea nouum dixit.

Sed quaesitum est, ac profecto quaeri potest, num hoc praeceptum Domini vniuersale sit, an vero particulare, hoc est, num datum fuerit Christianis omnibus in vniuersum, an vero in specie et vnice discipulis, tanquam futuris Apostolis. Atque hac vltima ratione profecto videtur accipiendum esse explicandumque. Extat enim inter sermones, cum discipulis habitos, atque inter alias leges et promissiones, quae vnice pertinebant ad Apostolos, non ad reliquos homines illorum temporum, multo minus ad homines in vniuersum omnes. Cum Apostolis locutus est Dominus in his sermonibus omnibus, his denunciat suum discessum, hos instituit, monet, consolatur, his pollicetur Spiritum suum, et quae sunt reliqua. Enimuero si haec omnia Apostolis propria fuerunt et particularia, nonne etiam lex, quae in hoc nostro loco continetur, ipsis peculiaris fuerit et particularis? Inde vero efficitur, eam quoque peculiari modo vnice de Apostolis esse intelligendam et explicandam. Atque et ipsa lex Mosaica, *Leu. XIX*, 18. *ama alterum, vt te ipsum*, particularis videtur fuisse, non vero vniuersalis, praecipiens Israelitis amorem inter se inuicem, amorem erga populares, φιλαδελφίαν, non vero erga alias gentes, aut erga homines omnes. Etenim primum posita extat inter medias leges particulares; deinde vocabulum רֵעַ significat popularem; nam in eodem versu commutatum est cum appellatione: עַמֶּךָ בְּנֵי, hoc est: ciues; porro argumentum additur hoc; *ego sum Deus*, eiusque explicatio, *vers*. 36. *qui*

vos eduxit ex Aegypto; quod non nisi ad Israelitas pertinet; denique *vers.* 33. *sqq.* sequitur lex peculiaris de amando peregrino. Quare dubitari vix potest, legem Mosaicam de amando proximo et ipsam particularem fuisse, et praecipere tantum amorem Iudaeorum inter se ipsos; de amore erga omnes homines et gentes aeque ac populares lata est peculiaris lex, *vers.* 33. *peregrinum ama vt te ipsum.* Hactenus igitur et per se lex de amore, et communi erga homines omnes, et vero etiam peculiari erga ciues et populares religionisque socios, discipulis Domini incognita esse, aut noua dici nullo modo poterat. Noua autem erat et dici poterat, et Apostolis, et vero etiam aliis, πρός τι, et certa quadam ratione.

Ac *discipulis quidem noua erat, et noua dicebatur*, si respiciatur vel ad eorum sensus et opiniones, vel ad munus eorum. Nam quod primum attinet ad eorum sensus et opiniones, negari non potest, discipulos illo tempore legem de amore mutuo neque satis diligenter obseruasse, neque adeo etiam recte intellexisse. Etenim cum contenderent inter se de primatu, cum alter alterum contemneret, et alteri se praeferret, cum praecipua ornamenta regni Christi in rebus et commodis externis ponerent, vt vidimus ad *vers.* 12—17. eos, patet, se inuicem sincere non amasse, nec de vera dignitate ciuium Christi recte sensisse. Iam cum Dominus hanc eorum inuidiam, superbiam, arrogantiam, rerumque terrenarum spem exspectationemque inanem corrigeret ac reprehenderet, vicissim vero iis commendaret modestiam, beneuolentiam, amorem mutuum, omneque humanitatis studium, atque ostenderet, hoc esse ornamentum praecipuum discipulorum suorum, hoc esse signum, ex quo et ipse agnoscere suos vellet, et alii agnoscere possent, non autem si in regno Christi fruerentur honore et dignitate externa; quod commendare ipsis Dominus volebat, partim actione symbolica,

pedilauio nempe, quod suscepit ad hanc eorum institutionem, non ad imitationem, vt vidimus, partim vero etiam lege diserta: amate vos inuicem sic, vt ego amaui vos, ex hoc amore agnoscimini tanquam disciplinae meae alumni; hoc ipsis erat inauditum et nouum; adeoque etiam haec lex iis erat inaudita et noua, quatenus nempe erat eorum opinionibus et sensibus contraria. Deinde munus Apostolorum constat fuisse in eo, vt coniunctis viribus doctrinam de Christo traderent, regnumque ipsius stabilirent ac propagarent. Atque ad hoc eorum munus in primis referenda est haec lex, inde vero etiam intelligenda et explicanda. Etenim Dominus cum commendaret discipulis, tanquam futuris ministris euangelii et regni sui, amorem mutuum, quid volebat et velle poterat? Nihil aliud, nisi hoc, vt se, tanquam discipulos et ministros Domini, quibus demandatum esset vnum idemque negotium, amore ac beniuolentia singulari complecterentur, nec vllo modo discinderent suam coniunctionem et societatem odiis, rixis, altercationibus, quibus illo ipso tempore locum dedissent, sed eam potius mutuo animorum consensu conseruarent, atque ita, integerrimo amore intime coniuncti, Euangelium Iesu traderent, eiusque regnum propagarent. Atque etiam hactenus lex illa noua iis erat et inaudita, ac noua dici poterat; quatenus cogitabant non nisi regnum terrenum, nihil vero de regno Iesu vnitis viribus et animis propagando. Igitur haec lex pertinebat nominatim atque vnice ad discipulos Domini. Hos volebat instruere diserta lege, quod paulo ante docuerat actione symbolica. Ac propter has causas nouam appellauit.

Sed profecto lex de amore mutuo *et noua erat et noua dici poterat etiam ratione hominum illorum temporum in genere*; *primum* quatenus eam Dominus a peruersis interpretationibus magistrorum Iudaicorum purgauit, quos constat docuisse, amandum esse ami-

cum, inimicum vero odio prosequendum; *porro* quatenus nouo modo eam illustrauit et inculcauit, nimirum suo ipsius exemplo; quod in primis est vrgendum, si hic locus transferendus est ad vsus communes; *deinde* quatenus eius necessitatem, de qua et ipsa erat magna sententiarum diuersitas inter magistros Iudaicos, demonstrauit nouo argumento, nempe eum demum esse genuinum discipulum Christi, in quo amor mutuus reperiatur, eoque amore aestimari ac dignosci ciuem regni diuini, non titulis et honoribus, vt discipuli putabant, multoque minus, quemadmodum docebant magistri Iudaici, natiuitate, circumcisione, sacris faciundis in templo Hierosolymitano, omninoque lege rituali obseruanda; *denique* atque in vniuersum quatenus in amore mutuo inculcando nouum, idemque sapientissimum consilium declarauit, nimirum coniungendi Iudaeos atque Gentiles, hominesque in vniuersum omnes, ad vnam societatem et veluti familiam eorum, qui Christum colerent, vt dominum, Deum amarent, vt patrem, se inuicem diligerent, vt liberos Dei et fratres.

Audiuerat Petrus ex sermone Domini, *vers.* 33. eum parare discessum; idque vehementer perturbabat animum amantis; multo magis vero illud, quod, dum denunciaret discessum, negaret sequendi facultatem et vltimum solatium, sequi amicum in omnem fortunam, quoquo terrarum se verterit. Peruerse enim intelligebat sermonem illum Domini: quo ego abeo, eo me sequi non potestis; nihil minus suspicatus, quam moriturum esse Dominum, eumque loqui de morte sua, existimans potius, eum parare iter in regionem longinquam, plenum molestiis et periculis, ibi regnum suum instauraturum. Quare interpellauit eum, quaerens: *Domine, quonam abiturus es,* vt non liceat, te sequi? *Cui Iesus respondit* sic, vt repeteret quidem sermonem superiorem: *quo ego abiturus sum, eo tu me sequi non potes,* subiiceret tamen in eius solatium: *nunc quidem;*

sed sequeris me aliquando; quo significare voluit, Petro id non negari, quod Iudaeis propter ipsorum contumaciam, ἁμαρτίαν, negatum fuerat, *Cap. VIII*, 21. modo differri ad futurum tempus; atque id deinde explicauit Dominus confirmauitque vberius. *Cap. XIV*, 2. *sqq.*

At Petrus, nondum intelligens mentem Domini, pro eo, quo flagrabat in eum amore: *Domine*, inquit, *cur non liceat mihi, te sequi nunc? Ego vero pro te sanguinem profundere paratus sum. Iesus autem: tune sanguinem pro me profundas? Certissimum habeto, priusquam gallus* hac nocte *cantauerit, te me abnegaturum esse ter;* quorum verborum sensus est hic: quid? tu te noctis periculo pro me obiiceres? Immo vero antequam dies crastinus illuxerit, (Iudaei enim per gallicinium describere solebant aduentum diei,) tu, vel leuissimi periculi vitandi causa, negabis ter, te meum esse discipulum et comitem; tantum aberit, vt tua vita meam velis redimere! Ita cohibuit Dominus Petri arrogantiam, licet ex amore proficiscentem, tamen confidentius, quam par erat, praedicantem, simul vero etiam ipsum reliquosque admonere voluit, vt in nulla re, et omnium minime in periculis, fiderent suis viribus, sed intelligerent, virtutis ac beneficii diuini esse, si quid vel in officiis, vel in munere praestarent, vtque vnice fiduciam ac spem ponerent in Deo, et in ipso, Domino; de quo disseruit vberius in sermonibus sequentibus.

CAPVT XIV.

Etenim, vt colligi potest ex initio horum sermonum, et ex verbis Domini, *Cap. XVI*, 6. patet, vehementer perturbauerat discipulorum animos sermo ipsius *vers.* 33. Capitis antecedentis, quo denunciauit iis discessum suum; quid futurum erat, cum viderent, eum discedere tali modo, quem suspicati fuissent nunquam? Igitur moestos eorum animos consolabatur peramanter Dominus benignissimus. Ac primum eos monet, ne animum despondeant, vt potius fiduciam spemque concipiant, ac bono animo sint, quaecunque demum, etiamsi atrocissima, ipsi acciderint. *Non est*, inquit, *quod perturbemini* ob discessum meum; idem *vers.* 17. repetiit Dominus; *modo confidite Deo et mihi*. Etenim primum illud πιστεύετε accipi potest vel in imperatiuo, vti antecedens ταρασσέσθω, et sequens πιστεύετε, vel in indicatiuo, sic: vt Deo confiditis, ita confidite mihi; vtroque modo exigit Dominus, fiduciam talem sibi exhiberi, qualem ponimus in Deo. Denotat autem formula: πιστεύειν εἴς τινα, hoc loco: fiduciam ponere in aliquo, alicui confidere, fidem habere. Fidem autem haberi voluit sibi, hoc est, cum vniuersis effatis suis de se, legato diuino et humani generis Seruatore, tum vero etiam atque in primis hoc loco promissioni ei, quam modo dederat Petro: *sequeris me aliquando*; haec enim nominatim hoc loco est intelligenda, huic in specie fidem haberi voluit; et quidem fidem eiusmodi, cuiusmodi habemus Deo ipsi, hoc est, adeo certam et indubitatam, tanquam Deo ipsi habeas.

Deinde explicat, quod modo dixerat: abiturus sum ad Patrem, nominatimque promissionem: *sequeris me aliquando*, eamque refert ad discipulos omnes. Ita

enim perrexit: *in domo Patris mei sunt habitacula multa; quod nisi esset, dicerem vobis; atque ego abeo, vobis sedem paraturus.* Ac per domum Patris intelligi coelum, est in promtu; solent enim Scriptores sacri V. T. coelum describere tanquam *palatium et sedem Dei.* Ita vero describitur, et hoc loco nominatim appellatur a Domino *domus Patris,* non tanquam inhabitet coelum, quippe eum coeli coelorum capere non possunt, sed ob duplicem causam, partim quia ibi se suamque maiestatem, hoc est, potentiam, sapientiam, benignitatem et iustitiam manifestat operibus longe maioribus et illustrioribus, quam in his terris conspiciuntur, partim vero etiam quoniam coelum destinavit ab initio rerum, tanquam habitaculum perpetuum proborum et sedem beatorum, vbi fruantur beatitate sempiterna, a Deo ipsis decreta. Vnde filii Dei, *Rom. VIII,* 17. dicuntur κληρονόμοι Θεοῦ, haeredes Dei, non tanquam consortes futuri sint beatitatis, qua Deus fruitur, quam potius quoniam aliquando recipientur in coelum, a Deo destinatum piis, ac consequentur bona, per Christum acquisita et a Deo promissa; quemadmodum filii sunt haeredes patris, quando accipiunt bona paterna. Pari modo coelum decribitur tanquam *vrbs bene fundata,* hoc est, habitatio perpetua et constans, non arte humana exstructa, sed a Deo ipso condita, in qua potissimum elucet magnitudo diuinae sapientiae, benignitatis et potentiae; eademque *vrbs patria,* et tanquam domicilium perpetuum. *Hebr. XI,* 10. 14. 16. *XIII,* 14. Iam quando Dominus dixit: in domo Patris mei *sunt habitacula multa,* voluit docere, coelum esse locum amplissimum, qui capiat ingentem multitudinem, et sufficiens sit suscipiendis quam plurimis, et ex voluntate Patris hominibus omnibus, neque adeo Petrum tantum eo eum esse secuturum, non vnum alterumque huc admitti, sed ad hanc coelestem sedem aditum patere omnibus, qui per fidem et amorem ipsi adhaeserint.

Sed verba sequentia: *εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν*, negari non potest, habere quandam difficultatem; quare etiam non eodem modo explicata sunt ab interpretibus. Est tamen eorum interpretatio potissimum duplex. Nimirum nonnulli ea accipienda esse putant interrogatiue, sic, vt ad finem versiculi ponatur signum interrogandi, et sensus sit hic: nisi ita se haberet, scilicet, in domo paterna esse habitacula multa, piis destinata, qui tandem dicere potuerim, me abire, locum vobis paratu-rum? Oritur tamen contra hanc interpretationem difficultas haec, quod Dominus dixerat quidem discipulis, se abiturum esse, nondum vero, se abiturum eo consilio, vt ipsis locum paret in domo paterna. Quare alii, veluti B. THALEMANNVS in *Vers. lat. Euangeliorum*, et nuper KNAPPIVS in *Scriptis varii argumenti*, *p.* 312. *sq.* idque haud dubie rectius, existimant, post verba: *εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν*, ponendam esse distinctionem maiorem, vti legitur in Editione *Griesbachiana*, et sequentia: *πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν*, continere sententiam peculiarem, hoc modo: si secus esset, ingenue vobis profiterer; spem vanam vobis non facio. Abeo vero, sedem vobis quoque paraturus. Scilicet verbis: *εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν*, asseuerare voluit, quod modo dixerat, in domo Patris ipsius esse habitacula multa, in quae Petrus, discipuli omnes, credentes omnes ipsum sint secuturi; ac talem spem, inquit, vobis non facerem, nisi res vere ita se haberet. Cui asseverationi quo maiorem fidem faceret, subiecit: *πορεύομαι, ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν*. Loquitur Dominus in his tanquam amicus, qui antecedit amicum in regionem incognitam, aditum ei facturus et sedem paraturus. Intellexit autem per τὸ πορεύομαι, mortem suam, non excluso tamen abitu ad Patrem; quare alias dixit: *πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα, vers.* 12. 28. et *Cap. XVI*, 28. itemque: *ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με. Cap. VII*, 33. *XVI*, 5. Abiit vero non tam sua causa, quam potius

suorum gratia, vt iis locum praepararet in coelis, in quem e huius mundi miseriis erepti, reciperentur ad aeternae vitae felicitatem. Etenim destinatum quidem erat coelum ab initio rerum, vt esset sedes beatorum, sed nondum paratum. Parauit Christus morte sua. Atque et inde patet, mortem Christi habuisse hoc consilium, vimque hanc, vt per eam acquireret hominibus locum et habitaculum in coelis, vitam et beatitudinem aeternam. Vocabulum τόπος idem est, quod antecedens: μονή.

Neque tamen sufficiebat, parare locum et habitaculum, oportet etiam, ad habitaculum paratum ducere. Atque et hoc promisit Dominus suis *versiculo tertio*. Etenim *postquam abiero*, inquit, *vobisque sedem parauero, redibo, vt vos ad me recipiam, vtque, vbicunque sim ego, sitis et vos*, nunquam posthac a me distrahendi. Similitudinem sumsit Dominus ab amico, comite itineris, qui, praegressus ad diuersorium, non modo curat, vt reliquis habitacula sint in promtu, verum etiam aduentantibus obuiam procedit, eosque introducit. Docet autem his verbis, triplex beneficium ipsi esse acceptum referendum, *primum* hoc: parauit cuique locum in coelis et quidem morte sua; *alterum*: ducit suorum quemque ad hunc locum, vi et potentia sua, cum discedit quisque ex his terris; nam de tempore mortis cuiusque est haud dubie sermo; denique *tertium*: ducit in locum eum, vbi ipse versatur, id est, vbi regnat et beatitate fruitur, sic, vt sint ei coniunctissimi; in quo profecto erit beatitatis futurae augmentum immensum. Atque haec est constans doctrina Christi et Apostolorum; Dominum esse, qui adducat suos in morte cuiusuis ad sedes beatorum, adductos secum coniungat arctissime, suamque cuique sortem tribuat; hos vero venire ad Christum, pendere ibi quoque a Christo, vitam agere, vt in hoc, tum in altero saeculo, duce Christo et auspice Christo, omnemque omnis

nae, non quatenus per doctrinam suam viam monstrauit tenendae vitae et salutis aeternae, nullo modo, quam potius ob causam duplicem, scilicet *primum*, quoniam vitam salutemque aeternam parauit morte sua, *deinde*, quoniam ad eam ducit vi et omnipotentia sua; nam de doctrina sermo non est in toto hoc loco, sed partim de abitu Domini ad paranda habitacula in domo Patris, partim de eius reditu ad suos recipiendos, *versiculo secundo* et *tertio*. Talem ducem auctoremque vitae se descripsit; talis igitur etiam hoc loco est agnoscendus. Appellauit denique se τὴν ὁδὸν ἀληθινήν, veram viam, quatenus non tantum vera est, sed etiam vna via, qua tuto perueniri potest ad vitam aeternam et praeter eam alia nulla, siue, quatenus vnus est et verissimus dux et auctor salutis aeternae, per quem ea vnice et verissime teneri potest; ita enim Dominus ipse diserte explicauit in verbis sequentibus: οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι' ἐμοῦ. Formula: ἔρχεσθαι πρὸς τὸν πατέρα, vsus est Dominus, quoniam *vers.* 2. *et* 3. dixerat, se proficisci in domum Patris sui; paraturum ibi habitacula. Igitur *ad patrem venire*, idem est, atque: in domum patris venire, et in habitaculum, ibi paratum, siue, peruenire ad vitam aeternam in coelis, consequi aeternam beatitudinem. Patet igitur haec formula latius, quam cum dicuntur fideles per Christum habere aditum ad patrem, eiusque gratiam et fauorem, atque ad beneficia, iis conferenda. *Eph. II*, 18. *III*, 11. Sed ad Patrem venire, nemini licet, inquit Dominus, *nisi per me*; quo profitetur, se vnum esse perfectissimumque vitae et salutis aeternae ducem atque auctorem, et praeter se alium nullum, se esse vnum, qui paret ac det vitam aeternam, aditumque in coelum aperuerit, atque adeo quemcunque, qui eo peruenire voluerit, oportere, Iesum agnoscere vnum vitae aeternae ducem, eamque ab eo vnice expetere, exspectare, repetere.

Verum nec haec, quae dixerat Dominus de condi-

lio suo, parandi et conferendi hominibus vitam aeternam abitu suo ad Patrem, intellexisse videntur discipuli. Adeo difficile est, verum videre, si quis occupatus est opinionibus peruersis. Quare perrexit Dominus hoc modo: *si nossetis me, nossetis et Patrem; sed ab hoc tempore cognoscetis eum atque videbitis.* Iesum nosse est: nosse talem, qualem se descripsit hoc loco; descripsit autem se tanquam eum, qui abiturus esset in domum Patris sui, eo consilio, vt pararet ibi locum suis, eoque eos reciperet, siue, tanquam vnice verum ducem ad vitam aeternam. Igitur Iesum nosse, non denotat, vt plerisque fere omnibus videtur: nosse doctrinam Iesu in vniuersum, sed: nosse Iesum talem, qualis est, quoad ipsius opus, consilia, beneficia, salutemque, cuius auctor est et largitor. Iam discipuli si cognouissent Iesum talem, qui abiturus esset ad beatitatem in coelis parandam, et rediturus ad eam conferendam, cognouissent vtique etiam Patrem, hoc est, consilia eius et decreta sapientissima et longe benignissima de salute humani generis per Filium suum, atque adeo cognouissent, Patrem pro ingenti amore suo erga homines misisse Filium suum in has terras, eo consilio, vt adeo mortem subiret ad acquirendam hominibus vitam aeternam, sed a morte reuocatus ad Patrem rediret, suscepturus imperium non in Iudaeos tantum, sed in homines omnes, non terrenum, sed coeleste, et tributurus, tanquam rex et dominus humani generis, suorum cuique felicitatem, non terrestrem et temporalem, sed spiritualem et aeternam. Conf. *vers.* 9. *et Cap. XII*, 45. Ac sane talem cognouerant hactenus discipuli neque Iesum, neque Patrem. Sed ab hoc ipso tempore, et cum maxime tum, ἀπ' ἄρτι, ipsum cogniturі erant plane et perspicue. Et quomodo? Scilicet non ex doctrina et institutione Domini, quam potius ex rebus et factis, nempe ex morte eius, proxime futura, ex resurrectione et reditu in coelos; inde demum, accedente

auxilio sancti Spiritus, intelligebant ac penitus perspiciebant vniuersum consilium Patris de salute hominum per Filium suum. Etenim verba: γινώσκετε et ἑωράκατε habent vim temporis futuri, suntque posita pro: γνώσεσθε καὶ ὁράσεσθε, ex consuetudine tempora permutandi, Ioanni in primis propria, vt iam vidimus in exemplis sexcentis. Vtrumque autem verbum, et γινώσκειν et ὁρᾶν, hoc loco idem declarat.

Sed haec mysteria nullo modo assequebatur discipulorum imbecillitas. Nam Philippus: *Domine*, inquit, *monstra nobis patrem, quo nihil amplius desiderabimus*. Promiserat Dominus in antecedente versiculo, breui post discipulos visuros esse Patrem, idque intelligebat de vberiori cognitione consiliorum Patris de salute humana. Sed Philippus illud videre accipiebat sensu proprio de apparitione Dei visibili. Atque id erat, quod vehementer optaret. Hoc, ait, vtinam nobis largiaris, vt liceat conspicere Patrem tuum; tum satisfactum erit votis nostris, nec amplius quicquam optandum nobis erit reliquum, nosque putabimus omni ex parte felices.

Tam rude desiderium Philippi corrigere voluit Dominus verbis sequentibus *versiculi noni: Philippe, tam diu versatus sum inter vos, necdum satis cognouisti me? Quisquis me videt, Patrem videt. Et tu poteras optare, vt tibi Patrem monstrarem?* Scilicet per satis longum tempus vsi erant discipuli non tantum disciplina, verum etiam familiaritate Domini intima; audiuerant eum docentem, tradentemque nominatim, se venisse, vt vitam poneret ad salutem hominum, non diuitias terrenas esse congerendas, sed coelestes parandas, regni coelestis bona quaerenda ante omnia; viderant eum agentem et viuentem, res terrenas omnes, opes, honores spernentem, demittentem potius se ad infimam paupertatem et miseriam, nil nisi salutem animarum desiderantem et quaerentem; conspexerant vero etiam maiestatem eius, maiestatem Filii Dei vnigeniti,

gratiosissimi longeque benignissimi; *Cap. I*, 14. videbant quoque breui post morientem. Sed in his omnibus audiuerant Patrem, viderant Patrem, hoc est, imaginem, decreta, consilia, opera Patris de salute humani generis. Qui Iesum videbat viuentem, agentem, morientem, videbat Patrem, hoc est, imaginem Patris et effigiem naturae diuinae, *ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, *Hebr. I*, 3. amorem Patris, qui misit Filium suum in has terras, consilia Patris de seruandis hominibus per Filium, instituta Patris sapientissima ad salutem tenendam, denique voluntatem Patris, vt credant omnes in Filium atque per eum consequantur salutem aeternam. Conf. *vers.* 7. et *XII*, 45. Quare opus non erat, vt demum Patrem iis monstraret Dominus, eiusque consilia et decreta vberius exponeret; satis cognoscere ea poterant hucusque ex dictis factisque Domini, quatenus nempe cognoscere poterant Dominum et breui cognituri erant amplius.

Sed haec vberius explicat in verbis sequentibus: *nonne credis, me Patri et Patrem mihi esse coniunctissimum? Quae dixi vobis, non mea sunt; quae feci, Pater fecit, qui mihi semper adest.* Ac verbis prioribus, iisque notatu longe dignissimis: *ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι*, vsus quoque erat Dominus supra, *Cap. X*, 38. eaque ab antiquissimis interpretibus, inde ab ATHANASIO, explicata esse constat de coniunctione Patris et Filii quoad naturam, atque vsurpata ad demonstrandam defendendamque vnitatem essentiae Patris et Filii. Et formulam quidem: *εἶναι ἔν τινι*, exprimere coniunctionem intimam cum aliquo, est in promtu. Sed eiusmodi coniunctio potest esse varii generis. Qualisnam vero intelligenda sit, docere debet in vnoquoque loco oratio contexta. Sic *ἐν Θεῷ εἶναι*, cum Deo coniuncti esse dicuntur, 1 *Io. II*, 5. ii, qui doctrinae Christi obtemperant fide et amore, inprimisque amorem Dei in beando genere humano per Filium suum

agnoscunt, eumque vicissim amant et colunt; quae 1 *Io. I*, 5. appellatur κοινωνία μετὰ τοῦ πατρὸς, coniunctio cum Patre, vt docet series orationis, per mutua vincula sensuum et amoris, dum nempe Pater homines vehementer amat, beneficiorum omni genere ornat ac beatos reddit per Filium suum, hi vero Patrem amant, colunt, suamque mentem et vitam totam ad normam voluntatis diuinae conformant, atque beneficiis ornantur et beantur per Christum. Plane vt ἐν Χριστῷ εἶναι, *Rom. VIII*, 1. *XVI*, 11. 2 *Cor. V*, 17. ii dicuntur, qui Christo iuncti sunt vinculis arctissimis fidei atque amoris. Iam vero supra, *Cap. X*, 38. vbi Dominus de se suoque Patre locutus erat, intelligendum esse vidimus consortium operis et potestatis. Atque idem consortium indicatur in hoc nostro loco, modo cum additamento aliquo. Scilicet in antecedentibus dixerat Dominus: *videns me, videt Patrem*; quae intelligenda esse vidimus de cognitione Patris eiusque in primis sensuum, consiliorum, voluntatis et operum. In sequentibus autem fatus est hoc modo: non loquor quicquam, quod per me non loquatur Pater, nec facio quicquam, quod per me non faciat Pater; quicquid loquor, ex illius animo loquor, non ex meo ingenio; quicquid facio, ex illius sententia facio; omnia Patris sunt, quae a me et dicuntur et geruntur; si Pater ipse loqueretur ad vos, non aliud loqueretur, quam ego loquor; si Pater per se operaretur, non operaretur aliud, quam ego operor. Quibus facile intelligi potest indicasse Dominum paritatem et consensum cum Patre quoad dicta et facta, ac docere voluisse, quod saepius eum audiuimus asseuerasse in hoc ipso Euangelio Ioanneo, veluti *Cap. VII*, 16. *sqq. VIII*, 28. *XII*, 49. itemque *Cap. V*, 19. 36. *X*, 37. nimirum et effata, et opera sua non humana esse, sed plane diuina. Verum ex hac serie orationis manifestum est, Dominum, cum diceret, *se esse in Patre et Patrem in ipso*, indicare voluisse indiuiduam

cum Patre societatem et paritatem partim sensuum et consiliorum, partim vero etiam operum et factorum. Plane vt in loco eo, vbi asserebat, *se et Patrem vnum esse*, *Cap. X*, 30. exprimere voluit idem hoc consortium non tantum sensus et voluntatis, verum etiam operis et potestatis cum Patre; quemadmodum *vers.* 38. eiusdem Capitis indicasse eum vidimus in primis coniunctionem mutuam vnius eiusdemque ἐνεργείας et potestatis. Sed talis coniunctio, non tantum quoad consilia et voluntatem, verum etiam quoad vnam eandemque ἐνέργειαν et potestatem, si locum habet inter Patrem et Filium, hinc profecto verissime colligi potest, esse quoque inter eos communionem vnius eiusdemque naturae. Quando denique in hoc nostro loco affirmauit Dominus, *Patrem manere in ipso*, indicauit perpetuitatem illius coniunctionis mutuae, testaturque, se nullo vnquam tempore aut loqui aliquid, aut facere posse, aut potuisse, quod sit a mente, consiliis, operibusque Patris alienum.

Sed perrexit Dominus hoc modo: *credite mihi, me Patri et Patrem mihi esse coniunctissimum, idque credite nisi propter effata, saltem ob facta mea.* Dixerat Dominus versu antecedente, se a Patre nihil differre, sed potius Patrem et se esse coniunctissimos ratione consiliorum factorumque, et quicquid loquatur, quicquid faciat, Patris esse. Id non modo repetiit in his verbis, sed monuit etiam suos, vt huic effato fidem haberent, atque adeo addidit, eos ipsi hoc affirmanti posse credere, atque in eo penitus acquiescere; si vero dictis eius parum fidei habere vellent, certe facta ipsius iis fidem facere debere. Etenim vt probaret arctissimam hanc inter se et Patrem coniunctionem, discipulorumque imbecillitati subueniret, prouocauit, vt fecit quoque alias, veluti *Cap. X*, 38. ad opera sua, tanquam argumenta euidentissima, sibi et Patri esse vnam eandemque mentem, voluntatem, ἐνέργειαν, potestatem. Intellexit autem per τὰ ἔργα miracula sua; ea enim di-

certe distinxit ab effatis suis; quamuis negare nolimus, intelligi simul quoque posse, vt placuit B. NOESSELTO, *Opuscul. Fasc. II. p.* 388. *sq.* facta Domini vniversa, ad salutem hominum ab ipso patrata, atque etiam doctrinae suae effecta, quae quidem omnia erant ita comparata, vt inde colligere facile quisque posset, ea non esse hominis meri, sed viri diuini; id certe Dominus sperauit, in posterum futurum esse. *Cap. VIII,* 28. 29. Ac profecto hoc sensu τὰ ἔργα intelligenda videntur esse versiculo sequente.

Etenim non dubitabat Dominus de fide discipulorum, immo vero eam certo praeuidit; *Cap. XVII,* 7. *sqq.* quo magis tamen eam excitaret, promisit haec: *id vobis polliceor sanctissime, qui in me crediderit, eum eadem opera, quae ego patraui, immo maiora esse facturum, me ad Patrem digresso.* Hanc promissionem, valde illustrem, facile patet, pertinuisse, quemadmodum vniuersos hos sermones Christi vltimos, vnice ad discipulos, quibuscum loqueretur, non vero ad omnes credentes, multo minus ad omnes credentes omnium temporum; neque etiam ad discipulos Domini, qua tales, sed quatenus futuri erant doctores et successores ipsius in munere euangelico, vices eius gerentes inter homines. Hos erigere voluit Dominus his verbis; hos hortatur, vt magnos et insignes muneris sui successus sperare audeant. Id vel inde intelligi potest, quoniam subiecit Dominus: ὅτι ἐγὼ πρὸς τὸν πατέρα μου πορεύομαι· quibus indicare voluit, haec futura esse post ipsius abitum in coelos, cum susceperint eius loco munus docendi, quo amplius ipse fungi non posset. Vnde patet, verbum πιστεύειν vsurpasse Dominum sensu specialissimo de iis, qui sibi persuasuri essent, eum talem vere esse, qualem se modo descripsisset, nempe qui Patri coniunctissimus sit consiliis et factis, et cuius opus totum sit opus Patris, adeoque plane diuinum, et qui hac persuasione suscepturi essent munus docendi eius

vice. Atque eiusmodi credentibus promisit Dominus, eos eadem opera facturos esse, quae ipse hactenus patrauerit. Per τὰ ἔργα autem, quae ipse fecerit, intellexit Dominus non opus suum vniuersum, quod fecit olim, nunc facit facturusque est, ad salutem hominibus acquirendam et conferendam, sed tantum eam partem muneris, qua hucusque functus erat, quod alias quoque appellauit opus, a Patre ipsi demandatum, idque se absoluisse dixit; *Cap. XVII,* 4. id vero fuisse constat in eo, vt doctrinam diuinam traderet de consiliis Patris in mittendo Filio et salute per eum tenenda; haec enim fuit doctrina, quam prae caeteris traderet; vt porro miraculis patrandis hominibus miseris succurreret et sibi fidem faceret, discipulos sibi colligeret, hominum sui temporis saluti quouis modo consuleret, quoscunque ad fidem et salutem adduceret, atque ita nomen Patris illustraret. *Cap. XVII,* 4. Eadem opera facturi erant Apostoli, dum in vices Iesu succederent; ac talia vere patrabant; nam doctrinam de Christo tradebant et propagabant, miracula edebant, disciplinae christianae alumnos faciebant, salutem hominum sui temporis curabant, gloriam Christi et Patris illustrabant. Itaque τὰ ἔργα, quorum patrandorum spem iis fecit Dominus, erant non tantum miracula, quamuis et haec, vt diserte promiserat, *Marc. XVI,* 17. *sq.* sed quaecunque demum, tanquam Apostoli et legati Christi, in eius locum substituti, in munere suo administrando, ad perficiendum opus Christi inter homines, eorumque salutem curandam, et docendo et agendo essent facturi.

Verum non tantum eadem, sed adeo etiam *maiora* praestituri esse dicuntur, quam Dominus ipse praestiterit. Maiora autem appellantur, μείζονα τούτων, non per se; nam quod ad miracula attinet, Apostoli neque plura ediderunt, neque illustriora, quam Dominus, qui patrauit miracula innumerabilia, non perscripta ab Euangelistis; *Cap. XX,* 30. sed tantum certa quadam

ratione; nimirum partim quoad munus docendi, de quo tantum sermo est, partim vero etiam atque in primis quoad effecta huius muneris. Etenim Christus docuit per annos tres, in sola Palaestina, et in primis in parte eius minima et contemtissima, Galilaea, atque Iudaeos tantum; Apostoli vero docuerunt per annos plures, omnes gentes in regionibus cultissimis, in orbe terrarum vniuerso. Christus praedicauit euangelium de regno Dei institutisque diuinis de salute humani generis, per Filium reparanda, neque tamen omnia tradidit et perspicue explicauit; nec poterat explicare, ne discipulis quidem, quoniam iis ferendis tum non erant pares; *Io. XVI*, 12. quaedam tantum sub imaginibus innuit; *Luc. VIII*, 10. Apostoli vero post abitum Domini, ope sancti Spiritus, doctrinam Christi, in primisque de Christo, et de consiliis Patris, instaurandi per eum salutem hominum, non modo ipsi intelligebant plenius et euidentius, sed etiam aliis tradebant. Christus miracula patrauit infinita multitudine, eaque longe saluberrima hominibus, neque tamen adducere potuit magnum numerum, vt fidem ei haberet; laetiorem euentum habuerunt facta Apostolorum; vna oratio Petri vno die Pentecostali tantam vim exseruit in animis audientium, vt tria millia transirent ad partes fidelium. Christus discipulos collegit, non vero ecclesiam; hoc relictum erat Apostolis; hi condebant, constituebant, fundabant in regionibus cultissimis ecclesias integras ex Iudaeis et Gentilibus, coetus multos et magnos eorum, qui, relicta lege Mosaica, aut superstitione ethnica, Christum profiterentur, et ad normam doctrinae eius mentem et vitam componerent. Atque hactenus maiora profecto praestiterunt Apostoli, et variis modis illustriora ad orbis terrarum immutationem et καινὴν κτίσιν generis humani, quam Dominus. Idque significauerat iam olim discipulis in sermone parabolico, *Cap. IV*, 35 — 38. cuius sensum explicauimus supra. Sed quamuis

praestarent maiora Domino, non tamen fuerunt maiores Domino. Nam haec fuit tantum pars muneris Christi, in cuius locum succedebant, eaque, si cum reliquis comparetur, minima. Deinde facta maiora patrarunt Apostoli non sua vi et virtute; nullo modo; sed vi et potentia Christi; nam quicquid faciebant Apostoli, erat opus ipsius et Spiritus, quem iis immisit. In quo profecto erat, vt notauit quoque CHRYSOSTOMVS ad hunc locum, maiestatis Domini documentum longe illustrissimum, dum per alios maiora praestitit absens, quam praesens in his terris, et per homines tam viles et contemtos totum quasi terrarum orbem commouit, atque effecit, quod efficere oratores et philosophi sapientissimi sua eloquentia et eruditione nullo modo potuissent.

Atque non nisi ipso duce et auspice maiora facturos esse Apostolos, disertis verbis docuit Dominus *versiculo tertio et decimo. Nam quicquid petieritis nomine meo, concedam, vt illustretur Pater per Filium.* Et quo magis confirmaret animum discipulorum, vt his dictis fidem haberent, ea repetiit *versiculo decimo quarto: quicquid petieritis nomine meo, concedam.* Etenim his verbis docuit Dominus, se ipsum esse, qui ipsis suppeditaturus sit vim potestatemque, praestandi non modo eadem, sed etiam maiora, vt promiserat *versiculo duodecimo*, per quem adeo facta praeclarissima quaeque essent effecturi. Atque et his excitare voluit discipulos ad sperandos muneris euangelici successus exoptatissimos. Nam quae Dominus hic promisit, pertinebant haud dubie non ad Christianos omnes, sed ad Apostolos tantum; neque etiam ad preces Apostolorum in vniuersum, sed ad preces eorum in causa Christi. Id enim voluit Dominus per verba: ἐν τῷ ὀνόματί μου· quae quidem non eodem modo, sed maxime tamen probabili explicantur sic: *in causa mea, in rebus, ad me meamque causam pertinentibus.*

Hanc interpretationem primum permittit series orationis; loquitur enim Dominus in toto hoc sermone cum Apostolis et de Apostolis futuris; his promittit, se ipsis daturum esse, quaecunque demum in administrando munere Apostolico, tanquam ipsius legati et ministri, sibi expetierint, optauerint, desiderauerint. Deinde arcte haec cohaerent cum antecedentibus: τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ, κἀκεῖνος ποιήσει, καὶ μείζονα τούτων ποιήσει, et quidem hoc modo: vos praestabitis maxima quaeque; nam (καὶ) quaecunque demum optaueritis, largiar vobis. Vti ista ad Apostolos tantum pertinebant, in causa quidem Christi, ita et haec. Vsus vero loquendi, in primis apud Ioannem, atque in his ipsis sermonibus, permittit, atque adeo exigit illam interpretationem. Nam quando Dominus *versiculo sexto et vicesimo* huius Capitis dicit: pater mittet Spiritum ἐν τῷ ὀνόματί μου, id nihil aliud denotat, quam: mittet Spiritum mea causa, meoque loco, mihi veluti vicarium. Aut quando *Cap. XVI*, 24. ita loquitur: hucusque nihil postulastis ἐν τῷ ὀνόματί μου, indicare voluit, in causa ipsius discipulos hucusque nihil quicquam petiisse; nam ne intelligebant quidem satis, quaenam esset causa Christi, neque opus habebant, sibi hactenus aliquid expetere, quoniam praesentem habebant Dominum, erant tum tantum eius discipuli, iam vero suscepturi erant causam Domini, tanquam eius ministri et Apostoli. Denique res et experientia illam interpretationem confirmat. Nam quotiescunque sibi expetebant intelligentiam in docendo, aut prudentiam in viuendo, aut vim potestatemque in faciendo, item quoque patientiam in tolerando, toties preces eorum locum habuisse, dubitari nullo modo potest. Inde vero patet, Dominum intellexisse preces, quas facturi essent discipuli in causa ipsius. Confer tamen *Cap. XVI*, 23.

Sed notabile est, Dominum dicere hoc loco: ὅ, τι ἂν αἰτήσητε. Alias, nimirum loco citato *Cap. XVI*, 23.

dicit: *ὅσα ἂν αἰτήσητε τὸν πατέρα.* Hic autem in genere loquitur: quicquid petieritis, intellexitque se ipsum, quicquid petieritis a me; nam statim subiecit: ego vobis annuam, praestabo, tribuam. Vnde efficitur, vnum idemque esse, preces facere siue ad Patrem, siue ad Dominum nostrum. Aeque notatu dignissimum est effatum: *τοῦτο ποιήσω, ἐγὼ ποιήσω.* Alias, nempe loco citato, dicit: quaecunque petieritis a Patre, *δώσει ὑμῖν.* Ergo Dominus erat aeque ac Pater, per quem acciperent Apostoli, quaecunque demum postulare et desiderare possent in administrando munere Apostolico, et per quem praestituri essent maxima quaeque. Inde vero patet, competere Domino cum Patre vnam eandemque vim ac potestatem.

Ad extremum Dominus, se ista facturum esse, ait, *vt illustretur Pater per Filium.* Illustratur autem Pater, quando eius maiestas, hoc est, sapientia, iustitia, sanctitas, amor atque benignitas in operibus eius, in primisque hoc loco, in salute humani generis, per Filium reparanda et conferenda, innotescit inter homines et ab iis agnoscitur. Illustrabatur autem haec maiestas Patris per Filium, cum in vniuersum, quatenus in mundum venit, passus et mortuus est, e morte surrexit et coelos adscendit ad dextram Patris, tum vero etiam, quod in primis hoc loco est intelligendum, quatenus Apostolos suos idoneos reddidit, vt per munus eorum haec maiestas Patris conspicua fieret inter homines. His vero indicare voluit, partim, opus suum esse plane diuinum, et ita comparatum, in quo maxime conspicua sit maiestas Patris, quod iam supra, *Cap. XII*, 28. *et XIII*, 31. 32. significauerat, partim vero etiam munus, a discipulis suscipiendum, habiturum esse successus, ad illustrandam hanc maiestatem Patris efficacissimos.

Sed ob hanc ipsam causam, quoniam tam laetos successus muneris euangelici exspectare possent, eos

quoque hortabatur Dominus *versiculo decimo quinto*, vt, pro ipsorum in eum amore, mandata eius promto animo susciperent et summa fide exsequerentur. *Si amatis me*, inquit, (vos vero me amaturos esse, certo confido,) *exsequimini mea mandata*. Etenim ἐντολαὶ non denotant praecepta Domini omnia, hominibus omnibus communia, multo minus doctrinam Domini in vniuersum, sed mandata ea, quae dederat ac daturus erat discipulis suis ratione muneris Apostolici, ipsis demandandi. His, voluit Dominus, vt morem gererent; idque vt facerent, adiurauit eos per eorum in ipsum amorem, declarauitque, se ab hoc eorum amore certo exspectare optima quaeque.

Verum quo magis excitaret eorum animos ad mandata eius summa fide exsequenda, addidit *versiculo sexto et decimo* nouam promissionem de mittendo opitulatore in omnibus muneris Apostolici partibus. Perrexit enim hoc modo: *ego vero efficiam apud Patrem, vt mittat vobis adiutorem alium, qui perpetuo vobis adsit*. Ac vocabulum quidem notabile: παράκλητος, quo vsus est Dominus in sequentibus quoque aliquoties, non eodem modo constat explicatum esse ab interpretibus, atque etiamnum explicari. Nonnulli, iique antiquiores fere omnes, interpretati sunt *consolatorem*; ac sane hoc permittere videtur non tantum vsus loquendi; nam verbum παρακαλεῖν, saltem apud interpretes Alexandrinos et scriptores N. T. denotat: consolari; verum etiam orationis series et summa; versabatur enim Dominus in eo, vt consolaretur discipulos tristes e denunciatione discessus sui et futurae absentiae visibilis. Alii interpretati sunt *deprecatorem*, *defensorem*, et quidem apud Deum, eiusque causa prouocarunt ad locum *Rom. VIII*, 26. quae tamen interpretatio neque vsui loquendi, neque contextui et menti Domini, neque etiam rei ipsi conuenit; nec in loco Paulino inesse constat, quod inesse putarunt. Igitur alii, veluti CAMERON *in My-*

rothecio *ad h. l.* et IO. AVG. ERNESTI *in Opusc. Philol. Crit. p.* 214. *sqq.* explicarunt *doctorem*, *magistrum*, *diuinae veritatis apud Apostolos interpretem*, et quidem talem, qui eos non modo docuit, sed etiam ad docendos alios idoneos reddidit. Atque hanc interpretationem permittit non tantum vsus loquendi, sed exigere quoque videtur contextus verborum Christi. Nam primum Iudaei, graece loquentes, vocem *παράκλητος* et verbum *παρακαλεῖν* vsurparunt de doctore et alienae orationis interprete; veluti interpretes Alexandrini et PHILO, e quibus exempla commemorarunt CARPZOVIVS *in Exercitatt. in Ep. ad Hebr. e Philone p.* 154. et LOESNERVS *in Obseruatt. ad N. T. e Philone ad h. l.* Atque ipsum vocabulum *παράκλητος* Hebraei transtulerunt in linguam suam, vt multa alia vocabula, de quibus singulari Programmate olim egit SCHOETTGENIVS, et simili verbo expresserunt, nimirum: פְּרַקְלִיט vel: פְּרַקְלִיטָא, quo ipso vocabulo Syrus interpres in libris N. T. vocem *παράκλητος* vbique reddidit. Vid. BVXTORFIVS *in Lex. Talmud.* in hac voce, et WETSTEN. ad hunc locum. Deinde quocunque loco haec vox a Domino vsurpata legitur, adiecta reperiuntur ea attributa et actiones, vt vix dubitari possit, eam referri ad docendi modum rationemque. Etenim appellauit eum *ἄλλον παράκλητον*, qui in vicem ipsius esset successurus; Dominus vero erat discipulorum *διδάσκαλος*. *Cap. XIII*, 15. Vocauit porro *vers.* 17. nostri Capitis *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας*, qui est non alius, quam: doctor verissimus. Immo vero diserte dixit *vers.* 26. *ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν*; et *Cap. XVI*, 13. *ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν — καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν*. Habet igitur, quod negari non potest, haec interpretatio probabilitatem maximam.

Sunt tamen etiam, qui ne hanc quidem interpretationem probandam esse putent, et vocabulo huic tri-

buendam esse existiment significationem *adiutoris* et *opitulatoris*, eamque partim ex oratione contexta, partim ex vsu loquendi confirmari posse statuant. Ac profecto notio doctoris, aut consolatoris nimis videtur angusta esse, nec totum ambitum donorum, per Spiritum sanctum Apostolis exhibitorum, exprimere, quem isto vocabulo indicare voluit Dominus. Neque enim sanctus Spiritus immittebatur tantum, vt consolaretur discipulos, aut vberiori cognitione imbueret, sed etiam vt iis adesset sua vi peculiari in loquendo, scribendo, agendo, vniuerso munere Apostolico administrando; nec contulit iis tantum dona docendi, sed alia, quae magna multitudine commemorauit *Paulus* Apostolus, 1. *Cor.* XII, 4. *sqq.* et de quibus dicit *vers.* 11. πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα. Vnde Apostoli non tantum cum docerent, sed etiam cum ecclesias fundarent et gubernarent, doctores constituerent, et quicquid facerent in administrando munere, tribuerunt efficaciae sancti Spiritus. *Act.* XX, 28. Ac talia, tamque varia dona Dominus promisit quoque Apostolis; *Marc.* XVI, 17. 18. eaque haud dubie etiam in hoc nostro loco innuit. Nam primum promisit παράκλητον ἄλλον. Sed quali sensu ipse erat παράκλητος discipulorum, tali vero etiam erat sanctus Spiritus. Enimuero Christus discipulis erat non tantum instar doctoris, sed etiam domini, qui eos adiuuaret quouis modo, a cuius auctoritate et nutu vnice penderent, a quo omnia repeterent, sub cuius tutela penitus acquiescerent. Talis igitur ipsis quoque fuit sanctus Spiritus. Deinde subiecit haec: ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, et versu sequente: ὅτι παρ' ὑμῖν μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται. Sed formulae: μένειν μετά τινος, et εἶναι ἔν τινι, quae sibi penitus aequipollent, denotant sine dubio: adesse alicui favore, consilio, auxilio, vi et potentia, ei opem ferre, eum adiuuare quouis modo; veluti quando Dominus promisit gratiam suam singularem, suamque curam ac

prouidentiam perpetuam discipulis omnibus, vsus est verbis his: ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας. *Matth. XXVIII*, 20. Igitur quando hoc loco dicitur mansurus esse apud Apostolos, et quidem εἰς τὸν αἰῶνα, indicatur euidenter, eum iis adfuturum esse sua gratia, vi et efficacia perpetuo, quocunque tempore, in quibuscunque causis et negotiis, nunquam eos relicturum, nunquam destiturum sua ope suoque auxilio, neque in vita, neque in munere gerendo. Haec igitur orationis series postulare videtur atque adeo exigere notionem opitulatoris et adiutoris in voce παράκλητος. Nec abnuit vsus loquendi. Nam apud scriptores graecos elegantissimos, DEMOSTHENEM, LYSIAM, AESCHINEM et alios, vocabula παρακαλεῖν et παράκλητος vsurpata reperiuntur de iis, qui aduocantur et arcessuntur ab aliis ad causam eorum agendam, auxilium iis praestandum, opem ferendam quouis modo et in quacunque re, atque adeo de iis, qui sunt adiutores et opitulatores alicuius. Vid. REISKII *Index gr. Demosth.* in his vocabulis. Quod vero attinet ad vsum vocabuli graeci παράκλητος in Versione Alexandrina, et apud PHILONEM, et vocis פְּרַקְלִיט, in Iudaeorum loquendi consuetudinem vulgarem receptae, ex qua repetita est hoc loco, dubitari potest, num ei vere tribuerint notionem doctoris, an potius monitoris et opitulatoris; quod admodum probabiliter ostendit KNAPPIVS, *in Commentat. de Spiritu sancto et Christo paracletis, in Scriptis var. arg. Tom. I. p.* 127. *sqq.* Haec igitur notio isti vocabulo tribuenda est hoc loco.

Neque alium significatum videtur obtinere, quando Dominus, 1 *Io. II*, 1. παράκλητος appellatur, nempe opitulatoris, qui causam nostram egit olim, et agit etiamnunc, dexter sedens Patri. Nam in hoc loco sermo est de iis, qui, quamuis emendati, sancti et pii, tamen peccant et de peccatis sunt solliciti. In horum solatium dixit Apostolus: habemus παράκλητον, qui non est otio-

sus spectator rerum et sollicitudinum nostrarum, nec desinit vnquam, immo vero pergit perpetuo, nos iuvare, est et manet semper adiutor noster, salutis nostrae auctor; et habemus quidem παράκλητον πρὸς τὸν πατέρα, quod non denotat: *apud Patrem*, tanquam apud eum causam nostram agat, quam potius: *dum est apud Patrem, sedet ad dextram Patris, regnat cum Patre.* Sic describitur Dominus alias quoque, nominatim *Hebr. II*, 16. tanquam opitulator, qui σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, hoc est, hominibus opem tulit, et *Rom. VIII*, 34. qui nunc quoque, ad dextram Patris sedens, ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν, id est, causam nostram agit, nos tuetur, defendit, iuuat, omni beneficiorum genere ornat, salutem omnem curat et tribuit. Talis igitur est noster παράκλητος, *adiutor et opitulator noster, qui Patri dexter sedet*, habetque potestatem omnem in coelo atque in terra; et nominatim in loco Ioanneo primae Epistolae παράκλητος dicitur, quatenus est ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτιῶν, *expiator peccatorum nostrorum*, quo freti tanto confidentius exspectare possumus remissionem peccatorum.

Nec praetermittendum est, doctores veteris ecclesiae latinae vocabulum παράκλητος explicasse *aduocatum*; non male; posset certe sic explicari et reddi; modo vocabulum: *aduocatus* intelligendum explicandumque est ex latinae linguae consuetudine elegante et antiqua, qua denotat non causae patronum, qui causas agit in foro, accusatos defendit, pro iis deprecatur, eorum iura tuetur, quam potius amicum, quem aduocamus in consilium, vt nos moneat, auxilium nobis praestet, opem ferat, quique adeo nobis est in quocunque genere opitulator. Tales aduocati intelliguntur apud CICERONEM, TERENTIVM, PLAVTVM et alios. Hinc *aduocatio* est tempus deliberandi et consulendi amicos de causa aliqua, et deinde illa ipsa opera, quam praestamus amicis in consiliis suppeditandis et

auxilio ferendo quauis ratione. Vid. ERNESTI *Clau. Cic.* sub hac voce. Ex quibus omnibus satis euidenter intelligi posse putamus, vocabulo παρακλήτου tribuendam esse notionem non consolatoris, neque etiam doctoris, sed opitulatoris et adiutoris.

Caeterum quando Dominus in hoc nostro loco dicit: ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, id facile patet, non intelligendum esse de deprecatione, quae proprie dicitur, sed de eius effectu, hoc modo: efficiam, vt Pater vobis mittat, siue: Pater mittet mei causa; vnde dixit, *Cap. XV*, 26. se missurum esse Spiritum a Patre; est enim Pater et Filius vnum, vt alias locutus est Dominus, nempe ratione voluntatis, decretorum, consiliorum, operis ac potestatis; siue: Pater est in Filio et Filius in Patre; item: quae ego facio, facit Pater. *Vers.* 10. *Cap.* X, 30. 38.

Iam docet Dominus *versiculo decimo septimo*, quemnam παράκλητον intelligat, quem discipulis mittendum promiserat post discessum suum; scilicet *Spiritum veritatis, quem accipere mundus non potest, quippe quem non nouit, nec cognoscit, vos autem cognoscetis; apud vos perseuerabit, vobisque opem feret.* Igitur promissus παράκλητος erat τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, hoc est, Spiritus, qui est *veritatis auctor et promus*, quatenus ipse verax est, cui credere et fas sit, et sine omni periculo liceat, quippe veritatem ipsissimam tradit atque ad eam tradendam idoneos reddit, per quem adeo veritas hominibus demum innotuit. Sed hoc est in promtu.

Quaeritur autem, quid per τὴν ἀλήθειαν intellexerit Dominus. Scilicet non veritatem quamcunque, neque etiam, vt plerique fere omnes putant, doctrinam suam in genere, sed partem tantum doctrinae suae, eamque primariam, nimirum *de Christo et consiliis diuinis ad salutem generis humani per Christum;* quam Paulus Apostolus appellauit *veritatem et scien-*

eis spectator rerum et sollicitudinum nostrarum, nec desinit vnquam, immo vero pergit perpetuo, nos iuvare, est et manet semper adiutor noster, salutis nostrae auctor; et habemus quidem παράκλητον πρὸς τὸν πατέρα, quod non denotat: *apud Patrem*, tanquam apud eum causam nostram agat, quam potius: *dum est apud Patrem, sedet ad dextram Patris, regnat cum Patre.* Sic describitur Dominus alias quoque, nominatim *Hebr. II*, 16. tanquam opitulator, qui σπέρματος ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, hoc est, hominibus opem tulit, et *Rom. VIII*, 34. qui nunc quoque, ad dextram Patris sedens, ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν, id est, causam nostram agit, nos tuetur, defendit, iuuat, omni beneficiorum genere ornat, salutem omnem curat et tribuit. Talis igitur est noster παράκλητος, *adiutor et opitulator noster, qui Patri dexter sedet*, habetque potestatem omnem in coelo atque in terra; et nominatim in loco Ioanneo primae Epistolae παράκλητος dicitur, quatenus est ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτιῶν, *expiator peccatorum nostrorum*, quo freti tanto confidentius exspectare possumus remissionem peccatorum.

Nec praetermittendum est, doctores veteris ecclesiae latinae vocabulum παράκλητος explicasse *aduocatum;* non male; posset certe sic explicari et reddi; modo vocabulum: *aduocatus* intelligendum explicandumque est ex latinae linguae consuetudine elegante et antiqua, qua denotat non causae patronum, qui causas agit in foro, accusatos defendit, pro iis deprecatur, eorum iura tuetur, quam potius amicum, quem aduocamus in consilium, vt nos moneat, auxilium nobis praestet, opem ferat, quique adeo nobis est in quocunque genere opitulator. Tales aduocati intelliguntur apud CICERONEM, TERENTIVM, PLAVTVM et alios. Hinc *aduocatio* est tempus deliberandi et consulendi amicos de causa aliqua, et deinde illa ipsa opera, quam praestamus amicis in consiliis suppeditandis et

auxilio ferendo quauis ratione. Vid. ERNESTI *Clau. Cic.* sub hac voce. Ex quibus omnibus satis euidenter intelligi posse putamus, vocabulo *παρακλήτου* tribuendam esse notionem non consolatoris, neque etiam doctoris, sed opitulatoris et adiutoris.

Caeterum quando Dominus in hoc nostro loco dicit: *ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν*, id facile patet, non intelligendum esse de deprecatione, quae proprie dicitur, sed de eius effectu, hoc modo: efficiam, vt Pater vobis mittat, siue: Pater mittet mei causa; vnde dixit, *Cap. XV*, 26. *se missurum* esse Spiritum a Patre; est enim Pater et Filius vnum, vt alias locutus est Dominus, nempe ratione voluntatis, decretorum, consiliorum, operis ac potestatis; siue: Pater est in Filio et Filius in Patre; item: quae ego facio, facit Pater. *Vers.* 10. *Cap.* X, 30. 38.

Iam docet Dominus *versiculo decimo septimo*, quemnam *παράκλητον* intelligat, quem discipulis mittendum promiserat post discessum suum; scilicet *Spiritum veritatis, quem accipere mundus non potest, quippe quem non nouit, nec cognoscit, vos autem cognoscetis; apud vos perseuerabit, vobisque opem feret.* Igitur promissus *παράκλητος* erat *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας*, hoc est, Spiritus, qui est *veritatis auctor et promus*, quatenus ipse verax est, cui credere et fas sit, et sine omni periculo liceat, quippe veritatem ipsissimam tradit atque ad eam tradendam idoneos reddit, per quem adeo veritas hominibus demum innotuit. Sed hoc est in promtu.

Quaeritur autem, quid per *τὴν ἀλήθειαν* intellexerit Dominus. Scilicet non veritatem quamcunque, neque etiam, vt plerique fere omnes putant, doctrinam suam in genere, sed partem tantum doctrinae suae, eamque primariam, nimirum *de Christo et consiliis diuinis ad salutem generis humani per Christum;* quam Paulus Apostolus appellauit *veritatem et scien-*

tium optimum maximam, τὸ ὑπερέχον τῆν γνώσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Phil. III*, 8. Hoc sensu vocabulum ἀληθείας vsurpauit Dominus in sermonibus suis semper, vt vidimus ad *Cap. I*, 17. *et VIII*, 32. atque hoc sensu diserte explicauit, *Cap. XVI*, 15. *sq.* ibi enim: *Spiritus veritatis*, inquit, *me illustrabit; nam instituet vos de me rebusque, ad me pertinentibus.* Haec est ἀλήθεια, quam Dominus ipse in his terris tradidit prae caeteris, vt diserte profitetur; *Cap. XVII*, 4. 6. *sqq.* hanc perspicue manifestari ante omnia curauit per Spiritum diuinum discipulis, vt eam non modo et ipsi accurate intelligerent, sed etiam aliis tradere possent; hanc tradi voluit ab Apostolis in primis, Apostolique tradiderunt, tradendamque curarunt tanquam caput et summam, initium et finem institutionis ac doctrinae omnis. Atque hanc intellexit Dominus hoc loco, nempe caput doctrinae de se, Seruatore humani generis, de consiliis Patris arcanis in reparanda et conferenda salute per Filium, et de voluntate eius, vt Patrem et Christum cognoscant omnes, salutemque consequantur. Ac propterea appellauit sanctum Spiritum τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, quoniam effecturus erat, et vere efficiebat, vt hoc caput doctrinae primarium primum Apostolis, deinde per eorum ministerium aliis in vniuerso orbe terrarum innotesceret.

Sed hunc Spiritum *accipere non poterat mundus*, hoc est, homines, non nisi terrena amantes, desiderantes, appetentes, coelestia vero et aeterna contemnentes, cuiusmodi maxima pars erat, Iudaeorum in primis; et accipere non poterat propter hanc ipsam caussam, quoniam non nisi rebus terrenis inhiabat, Spiritum vero eiusque dona neque intelligebat, neque intelligere volebat, multo minus desiderabat. Discipuli vero cogituri erant, (nam praesentia tempora dicuntur pro futuris,) et vere cognoscebant, luce sancti Spiritus collustrati, et ab opinionibus praeconceptis de Christo, eius

regno et beneficiis sanati. Ad hos sanctus Spiritus venit non tantum, sed mansit quoque in iis per totam vitam eorum, iisque adfuit in omnibus muneris partibus, suoque auxilio eos sustentauit: *παρ' ὑμῖν μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται.*

Verum vt intelligatur, hunc esse sensum huius versiculi, comparandus est locus Pauli Apostoli, 1 *Cor. II,* 6. *sqq.* in quo continetur interpretatio huius nostri loci euidentissima. Etenim quem promisit Dominus sub nomine *πνεύματος*, eundem Apostolus appellauit *vers.* 10. 11. 12. *et* 15. *πνεῦμα τοῦ Θεοῦ*, itemque *ἐκ τοῦ Θεοῦ* et *πνεῦμα ἅγιον*, et quidem cum additamento: *τὸ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, scit omnia atque adeo arcana Dei consilia.* Porro *τὴν ἀλήθειαν*, quam dixit Dominus, appellauit Paulus *σοφίαν, vers.* 6., eamque quidem non talem, qualis esset sapientia huius saeculi, qualemque desiderarent Gentiles, vt dixerat Apostolus, *Cap. I,* 22. aut qualis esset principum Iudaicorum, sed sapientiam Dei, arcanam hucusque et reconditam, nunc vero e consilio Dei aeterno manifestatam. Sed quamnam *σοφίαν* intellexit Apostolus? Haud dubie doctrinam christianam; verum non vniuersam; nam doctrina christiana in vniuersum non erat abscondita et arcana, quippe iam per Prophetas tradita; sed intellexit partem doctrinae christianae eam, quae exponit de consiliis Dei arcanis per Christum, de Christo ipso, in cruce mortuo, de regno eius spirituali, de salute tenenda per fidem solam, sine obseruatione legis Mosaicae, et de adducendis ad hanc salutem hominibus omnibus, Gentilibus aeque ac Iudaeis; haec pars doctrinae abscondita erat et arcana hominibus illorum temporum, nec a discipulis ipsis accurate et euidenter intelligebatur, quam diu in his terris versaretur Dominus; haec demum reuelabatur per sanctum Spiritum primum Apostolis, ac deinde eorum ope hominibus omnibus. Atque hanc intellexit Paulus per *σοφίαν*· ita enim diserte

explicauit per vocabula aequipollentia, nimirum *vers.* 10. *et* 11. *τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ*, et *τὰ τοῦ Θεοῦ*, hoc est, arcana Dei consilia de salute humana per Christum, et *vers.* 12. *τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν*, beneficia diuina, per Christum nobis exhibita; nominatim vero *vers.* 2. *et Cap. III*, 11. docuit, *σοφίαν*, quam tradat ante omnia, tanquam basin omnis institutionis suae, quamque prae caeteris inculcauerit, esse doctrinam de Christo, eoque in cruce mortuo. Deinde quando Dominus sanctum Spiritum appellauit *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας*, et quare sic appellauerit, id explicauit Paulus, *vers.* 10. *et* 13. hoc modo: sapientiam, quam nemo vnquam audiuit ab aliis, nemo vspiam reperit in tota rerum natura, ne apud homines quidem sapientissimos, quam nemo vnquam cogitatione fingere potuit, eam nobis reuelauit per Spiritum suum omniscium, eamque nos tradimus verbis, non ab humana sapientia excogitatis, sed a sancto Spiritu nobis suppeditatis. Igitur ex hac interpretatione Apostoli sanctus Spiritus dicitur *Spiritus veritatis* ob triplicem causam; *primum*, quia per omniscientiam suam cognitam habet arcanam veritatem, siue, arcana Dei consilia de salute hominum per Christum; *deinde*, quia hanc veritatem, haec consilia arcana patefecit Apostolis; *denique*, quoniam eos idoneos fecit, vt ea tradere quoque possent aliis, atque ita auctor fuit, vt ea innotescerent orbi terrarum. Tum *κόσμος*, quem Dominus dixit accipere non posse Spiritum veritatis, a Paulo appellatur *αἰὼν οὗτος*, saeculum hoc, homines saeculi, et nominatim, *vers.* 8. *ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου*, et quidem ii, qui Dominum, omni laude celebrandum, necarunt in cruce; in vniuersum autem nominatur *vers.* 14. *ψυχικὸς ἄνθρωπος*, hoc est, homo rerum diuinarum scientia rudis, diuina et aeterna contemnens, amans vero et appetens terrena et caduca, exspectans et desiderans Messiam terrenum, regnum terrenum, bona terrena; hic enim ibi est *ψυχικὸς ἄν-*

θρωπος; eique opponitur πνευματικὸς, *vers.* 13. *et* 15. et τέλειος, *vers.* 6. magis instructus diuinarum rerum scientia, easque percipiens. Et quod Dominus dixit: mundus non potest accipere Spiritum veritatis, quippe quem neque intelligit, neque appetit, id explicauit Paulus, *vers.* 8. hoc modo: nemo procerum Iudaicorum agnouit illam sapientiam; neque enim, si agnouissent, Dominum gloriae egissent in crucem; *et vers.* 14. res illas arcanas, a diuino Spiritu manifestatas, non capit homo rudis, immo pro nugis habere solet, nec potest capere; est enim profectiori intelligentia opus, si de rebus eiusmodi recte statuere possit; plane vt supra *Cap. I,* 23. dixerat Apostolus: doctrina de Christo, in cruce necato, offendit Iudaeos, Gentilibus stolida videtur. Denique verba Domini in hoc nostro loco: *ὑμεῖς γινώσκετε αὐτὸ, ὅτι παρ' ὑμῖν μένει καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται*, Apostolus explicauit *vers.* 12. 13. *et* 16. hac ratione: accepimus Spiritum Dei, per eumque magnitudinem beneficiorum, exhibitorum nobis a Deo per Christum, intelligimus, eiusque ope aliis quoque ea explicare et commendare possumus; nos habemus mentem Christi. Ex quibus omnibus euidenter patet, per τὴν ἀλήθειαν intelligendum esse caput doctrinae de Christo et de consiliis Dei per Christum, sanctumque Spiritum appellari τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας hactenus, quatenus per eum tandem hoc caput manifestatum est et illustratum.

Caeterum vix videtur opus esse, vt moneamus, errare sine dubio vehementer eos, qui τὸ πνεῦμα interpretati sunt olim, aut etiamnunc interpretari sustinent de *vi et auxilio diuino.* Etenim primum hic Spiritus appellatur παράκλητος· sed vsus loquendi permittit nullo modo, hoc nomen accipere pro nomine abstracto, quod dialectici appellant, tanquam significet: auxilium. Quodsi dixerunt nonnulli, hoc nomen vsurpatum esse a Domino per prosopopoeiam, ii profecto obliti sunt,

hanc figuram orationis adhiberi non nisi tum, cum rei, vita carenti, vita et oratio tribuitur, siue, vt Rhetores loquuntur, cum res abstracta describitur vt persona, non autem vice versa; res mutari solent in personas, non personae in res. Deinde appellatur *παράκλητος ἄλλος*, qui successurus sit in locum Christi; comparatur igitur cum Christo, describitur tanquam auxiliator talis, qualis Christus fuit, et tali sensu, quo sensu Christus fuit discipulis auxiliator. Enimuero Christus fuit auxiliator discipulis non tropice, quatenus res aliqua interdum dici solet auxiliatrix, sed proprie, vt aliquis alteri est auxiliator; igitur pari modo sanctus Spiritus erat dicique poterat auxiliator discipulorum. Denique huic Spiritui Dominus, quotiescunque de eo locutus est in his sermonibus, tribuit praedicata eiusmodi, quae non nisi personae esse possunt; veluti: *ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν· vers.* 27. et *Cap. XVI*, 13. 14. *ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν*, et quae sunt reliqua. Quare dubitari vix posse videtur a viro docto et integro, per *πνεῦμα* indicari, intelligendumque esse subiectum aliquod, idque intelligens, volens, agens.

Sed Dominus, praeter hunc Spiritum, eiusque auxilium efficacissimum in omnibus muneris Apostolici partibus, promisit discipulis quoque suum ipsius auxilium praesentissimum, quo iis perpetuo esset adfuturus. Ita enim perrexit *versiculo duodeuicesimo: neque ego deseram vos pupillos, sed ad vos redibo.* Atque in verbo *ἔρχομαι* in promtu est, tempus praesens positum esse pro futuro, et simplex pro composito. Redibat autem Dominus ad discipulos primum proprie, post resurrectionem suam modo visibili; redibat vero etiam improprie et modo inuisibili post adscensionem in coelos, cum, vt promiserat abiturus in coelum, *Matth. XXVIII*, 20. praesens iis adesset eosque adiuuaret per-

petuo sua vi et omnipotentia in munere euangelico administrando; nam vbi Christus praesens est, ibi operatur, ibi auxilium praestat, ibi bona omnis generis largitur; posses denique etiam addere, eum rediisse ad discipulos, cum ratam faceret promissionem, mox datam, *versiculo secundo et tertio;* modo tenendum est, hunc reditum non vnice intelligi posse hoc loco, vt visum est recentiori interpreti. Atque ita Dominus discipulos suos non relinquebat orbatos parente, non deserebat eos auxilio, non destituebat solatio. Sanctus Spiritus non tantum iis adfuturus erat diuina ope; sed et ipse eos sustentabat vi sua gratiosissima. Subduxit se discipulis, neque tamen eos reliquit. Semper cum iis futurus erat, iisque praesentius aderat absens, quam adfuerat praesens.

Ac quoad quidem praesentiam visibilem breui tempore discessit Dominus, seque in perpetuum subtraxit conspectibus populi ingrati, sed rediit ad discipulos, his se conspiciendum praebuit; idque iis denunciauit *vndeuicesimo versiculo* his verbis: *mundus quidem me non amplius videbit propediem, vos vero videbitis me; atque vt ego viuam, viuetis et vos.* Etenim exiguum temporis erat, (μικρὸν, scilicet μέρος τοῦ χρόνου ἐστὶ,) quo elapso (καὶ pro: ἐν ᾧ,) ipsum non amplius videbant Iudaei; proximo sequente die videbant eum vltima vice, eundemque patientem et morientem in cruce. Sed discipuli eum videbant rursus; his rediuiuum se exhibebat, ab his eum ne mors quidem et sepulchrum distrahere poterat. Ac quam certo, inquit, viuam ego, tam certo viuetis et vos. Dominus enim viuebat, hoc est, reuiuiscebat e morte, (est enim verbum ζῆν pro: ἀναζῆν positum;) et viuus viuis discipulis contuendum se exhibebat; quo et hi ipsi reuiuiscebant, moesti vsque ad mortem et fere exanimati, vitam recipiebant; quod in sequentibus *Cap. XVI,* 20. 22. promisit Dominus his verbis: ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται, et: ὑμεῖς οὖν

λύπην μὲν νῦν ἔχετε, πάλιν δὲ ὄψομαι ὑμᾶς, καὶ χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία, καὶ τὴν χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς αἴρει ἀφ' ὑμῶν. Caeterum possent quidem verba Domini in hoc nostro loco referri quoque, vt placuit permultis interpretibus, ad vitam futuram, de qua locutus fuerat Dominus *versiculo secundo et tertio*, saltem accommodari, hoc modo: vt ego viuam in coelis apud Patrem, ita et vos viuetis in coelis; vt ego reuiuiscam ex sepulchro in vitam; ita et vos ex sepulchris vestris redibitis; negari tamen non potest, Dominum in hoc nostro loco non vitam alteram intellexisse, sed vitam hanc; quod et sequentia docent.

Etenim *illo tempore*, inquit, quo nempe ad vos rediero, *agnoscetis*, *me Patri*, *vos mihi*, *vobis me esse coniunctissimos*. Et Dominus quidem Patri erat iunctissimus, indiuiduo consortio non modo sensuum et consiliorum, sed etiam operis et potestatis; vt vidimus ad *versiculum decimum*. Discipuli autem iuncti erant Domino, quatenus vices eius tenebant in his terris, voluntatem eius exsequebantur, eiusque loco et vi docebant et agebant. Denique Dominus iunctus erat Apostolis, quatenus vices suas ipsis demandauerat, iisque aderat sua vi et beniuolentia in omnibus muneris partibus. Conf. *Cap. VI*, 56. *XV*, 4. *sqq.* Ac talem necessitudinem mutuam atque intimam intercedere inter Patrem et Dominum, atque inter hunc et discipulos, hi quidem intelligebant, postquam ad eos reuersus fuerat Dominus; intelligebant autem ex rebus et factis, cum viderent Iesum viuum, eiusque vim et auxilium experirentur in omnibus muneris partibus, atque impetrarent, vt Dominus promiserat, *vers.* 13. *sq.* quaecunque petierint.

Modo curam agere oportebat discipulos, ne sua culpa diuellerentur a Domino et a consortio mutuo, quod intercedebat inter eum et ipsos. Quare admonuit eos *versiculo vicesimo primo* hoc modo: *mea mandata*

qui tenet et exsequitur, is demum me amat; quisquis autem amat me, eum redamabit meus Pater, eum et ego amabo, eique me manifestabo. Repetiit Dominus, quae discipulis dixerat *versiculo decimo quinto*, ac denuo iis inculcauit, vt pro suo in ipsum amore mandata eius in administrando munere Apostolico diligentissime exsequerentur; hae enim sunt ἐντολαὶ, vt ad *versiculum decimum quintum* vidimus. Addidit tamen promissionem insignem; talem enim, inquit, non modo amabo ego, sed amabit quoque Pater, singulari cura, vi ac beniuolentia complectar non ego tantum, sed et Pater complectetur, eique me manifestabo. Vltima verba: ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν, videntur habere aliquid ambiguitatis; quare etiam explicantur duplici ratione, vel sic: ei me cognoscendum praebebo, me meumque amorem rebus et factis declarabo, efficiam, vt me cognoscat vberius; vel hoc modo: ei me denuo viuum conspiciendum exhibebo, reuisam illum, vt dixerat Dominus *versiculo duodeuicesimo:* προσέρχομαι πρὸς ὑμᾶς. Sed vtro modo explicaueris, sensus fere eodem redit, si reditum Domini intellexeris ea ratione, vt ad hunc ipsum *versiculum duodeuicesimum* vidimus, scilicet de reditu Domini non tantum visibili, sed etiam inuisibili. Promisit enim Dominus, sese non modo rediuiuum a morte frequenter praebiturum esse amicis intuendum, sed iis etiam perpetuo adfuturum sua gratia ac beneuolentia, et postremo venturum esse ad recipiendos eos in locum eum, quo nunc esset abiturus.

Sed discipulorum aliquis non videtur satis recte percepisse mentem Domini in his verbis, et, quae de manifestatione cum vitae et gloriae suae, tum amoris sui atque efficaciae in animis discipulorum dixerat, intellexisse de manifestatione gloriae suae modo visibili et externo. Nam *Iudas, non Coriathensis*, sed Iudas Thaddaeus, seu Lebbaeus, *Domine*, inquit, *qui fit, vt tu te nobis tantum velis manifestare, non etiam*

mundo? Videtur igitur de regno terreno cogitasse Iudas, et suspicatus esse, spem facere illis verbis Dominum, fore, vt aliquando se tanquam regem palam manifestare velit discipulis et amicis, miratus vero, quare id non facturus quoque esset genti Iudaicae, immo etiam Gentilibus, mundo vniuerso.

Ad quam quaestionem Dominus respondebat non aperte, quoniam discipuli his rebus capiendis tum non erant pares, sed sermonem flectebat ad id, quod eos maxime oportebat scire et credere, scilicet, Dominum non tantum, sed et Patrem iis perpetuo adfuturum esse sua gratia, suoque Spiritu, atque tum, ait, eos omnia scitu iis necessaria plane esse intellecturos. Etenim respondit hoc modo: *quisquis me amat, obtemperat quoque iussis meis; eum vero amabit Pater, nosque ad illum veniemus habitatum.* Igitur repetiit ex parte Dominus, quae *vers.* 21. dixerat, ac denuo discipulis inculcauit, nulla re magis opus esse in munere euangelico administrando, quam vt perseuerarent in amore aduersus ipsum, moremque gererent eius mandatis; (id enim denotat vocabulum: λόγος, et versu sequente: λόγοι, nimirum idem, quod ἐντολαὶ, *vers.* 21. mandata, iussa, pertinentia ad munus Apostolicum administrandum;) tum eos posse esse certissimos de peculiari favore Patris. De suo erga discipulos amore nihil dixit, vt fecerat *versiculo primo et vicesimo;* ponit autem, quem ipse amauerit, eum amari quoque a Patre. Tacite vero innuit, quare se manifestare non possit vnicuique, scilicet quia nec amet ipsum, nec ipsius iussis obtemperet. Addidit vero superioribus haec: πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν, quae tamen non eodem modo explicari solent ab interpretibus.

Atque illud quidem est in promtu, in Scripturis V. T. Deum dici *venire* ad homines, quando iis beneficia peculiaria promittit, aut tribuit; itemque *habitare*, siue *manere* apud eos, quibus prae caeteris benefacit,

et benefacere pergit, et inter quos suam vim benignitatemque operibus illustrioribus manifestam reddit; quemadmodum eos *relinquere* et ab iis *discedere* dicitur, quibus desinit benefacere, benignitatemque suam et beneficia illustria detrahit; de quibus vberius exposuimus in *Opusculis Theol*, *p.* 387. *sqq.* *et* 406. *sqq.* Iam quando dixit Dominus in hoc nostro loco, se et Patrem venturum esse ad eum, qui ipsum amauerit, et apud eum mansurum, (μονὴν ποιεῖν idem est, quod μένειν,) promisit hoc, se et Patrem eiusmodi hominem donis eximiis instructurum, beneficiis singularibus ornaturum, eique perpetuo adfuturum fauore, vi, praesidio et tutela. Antea dixerat: *ei me manifestabo*, hoc est, efficiam, vt me plane cognoscat, dum experietur meum amorem, meam vim, meum auxilium. Quod ibi dixit de se tantum, id hic refert quoque ad Patrem: ego et Pater ipsi praesto erimus fauore, gratia, auxilio; immo manebimus apud eum, constanter amabimus eum, ac complectemur cura ac tutela nostra perpetua, ornabimusque in dies omni genere beneficiorum. Haec promissio pertinebat ad discipulos; his dabat mandata singularia ratione muneris Apostolici, hos igitur peculiare auxilium suum exspectare iubet. Posses tamen etiam, si velles, eam transferre ad eos omnes, qui Dominum amant, suumque amorem fide et obedientia testatum faciunt; nam et his Dominus se in dies magis magisque patefacit, hos amat et Pater amat singulari modo, his adest suo numine, his in dies maiora dona ac beneficia largitur, atque omnes ex copia eius abundantissima accipiunt bona, et vberrima et longe praestantissima; vt est *Cap. I*, 16.

Est tamen etiam alia horum verborum interpretatio, non contemnenda, SEMLERO probata, in *Paraphr. ad h. l.* nimirum haec: nos, hoc est, et ego, et qui me amat, veniemus olim ad eum, nimirum ad Patrem, habitabimusque apud eum perpetuo. Habet

enim haec interpretatio magnam probabilitatem ab oratione contexta dicendique consuetudine, Domino in his sermonibus vsitata, nominatim *versiculo secundo, tertio et sexto* huius Capitis, ad quae loca videtur Dominus respexisse. Vsurpauit enim hoc loco verba: *μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν*, haud dubie propterea, quoniam supra dixerat: *ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πατρός μου μοναὶ πολλαί εἰσιν· καὶ ἐὰν πορευθῶ καὶ ἑτοιμάσω ὑμῖν τόπον, πάλιν ἔρχομαι καὶ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτὸν, ἵνα, ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, καὶ ὑμεῖς ἦτε.* Certe Dominus, dum promisit discipulis singularem fauorem Patris et auxilium praesentissimum, siue etiam peculiarem coniunctionem cum Patre, in altero saeculo exspectandam, excitare eos voluit ad mandata ipsius diligentissime exsequenda.

Sed addidit etiam in hanc rem argumenta alia, *versiculo quarto et vicesimo: me non amat, qui mandata mea neglexerit; et quae ego vobis mandata do, ea non mea sunt, sed Patris, qui misit me.* Duplici argumento vsus est Dominus, quo cohortaretur discipulos ad obedientiam, iussis eius praestandam; quorum primum est hoc: qui mihi denegauerit obedientiam, denegat mihi suum amorem; quod maximam vim habere debebat in animis discipulorum, Iesum intime amantium; alterum vero: qui mihi fidem et amorem denegat, denegat Patri; nam mandata, vobis a me iniuncta, non mea sunt, sed Patris, quippe ego nihil dico, nihil praecipio, nihil ago, nisi auctoritate Patris, a quo missus sum.

Sed nolebat Dominus, plura addere iis, quae hactenus exposuerat discipulis; ea potius asseruabat tempori futuro et vberiori institutioni sancti Spiritus. Quare *versiculo vicesimo quinto* et sequente perrexit hunc in modum: *haec habui, quae coram loquerer vobiscum in praesenti; reliqua omnia opitulator, sanctus Spiritus, quem meo loco ad vos mittet Pater, edocebit vos, atque in memoriam quoque vobis reuocabit ea, de*

quibus vos admonui. Igitur quoniam plura addere, nec volebat, nec poterat, amandat discipulos ad sanctum Spiritum, ipsis immittendum, eique vicarium, (ἐν τῷ ὀνόματί μου. *Vers.* 16.). Hic, inquit, explicabit vobis omnia, quae scire vestra interest, atque ea quoque, quae hactenus vobis exposui, quibus intelligendis nunc quidem non estis pares, *Cap. XVI*, 12. vt ea intelligatis plane. Per τὰ πάντα autem indicare voluisse videtur Dominus non totum ambitum doctrinae suae, quam potius partem in primis eam, quae proprie spectabat ad ipsum, eiusque fata, consilia et negotia, et de quibus tum nominatim cum iis erat locutus, nempe se proficisci ad Patrem, et ad consortium Patris, opus suum esse opus Patris, post abitum suum discipulos ipsius loco et vice accepturos esse opitulatorem et maxima quaeque in munere euangelico effecturos, reliqua. Haec omnia capere tum non poterant discipuli; intelligebant autem plane, postquam animis eorum illapsus erat sanctus Spiritus.

Caeterum valere iubet discipulos et optima quaeque exspectare versiculis sequentibus: *atque ita salutem vobis dico plurimam, meaeque salutis impertiam omne genus, non modo eo, quo homines solent impertire salutem; quare nolite dolere, nec formidare quicquam.* Loquitur Dominus vt abiturus, aut potius moriturus, suisque valedicens; neque tamen verba eius: εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, continent meram formulam valedicendi, Iudaeis solennem, quos alia formula vsos fuisse constat in salutationibus, neque adeo denotant fere idem, quod Latinorum: valete. Dominus salutem dixit discipulis cum effectu; nam subiecit primum: εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν, et deinde: οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν. Igitur salutem iis non tantum apprecabatur, sed tribuebat simul et tribuendam promittebat; (δίδωμι idem est, quod: δώσω·) porro salutem apprecabatur non more humano; homines apprecari solent salutem

terrenam, Dominus spiritualem; hominum vota saepe nec seria sunt, nec rata fiunt, Domini non item, quippe iis non tantum dicebat, sed etiam conferebat et collaturum se promittebat salutem verissimam et certissimam, ac praesens aderat iis sua gratia et potentia perpetuo, partim in vniuersum in vita feliciter transigenda, partim vero etiam in munere euangelico salubriter gerendo. Quare eos iubet bono animo esse, nec dolere ob praesentem abitum ipsius, nec formidare futura; praesertim cum hic ipse abitus et saluberrimus et laetissimus sit futurus.

Id enim innuere voluit Dominus *versiculo vicesimo octauo: audiuistis, quod dicebam, me abiturum esse, sed rediturum quoque ad vos; me si amatis, debetis gaudere, ad Patrem me proficisci; nam Pater me est maior.* His igitur docere voluit, quare laetari potius, quam dolere debeant discipuli ob discessum ipsius, eiusque rei caussa commemorauit causas triplicis generis. *Primum* enim dicit, se discedere quidem, sed tamen etiam esse rediturum ad eos; redibat autem, vt vidimus ad *versiculum duodeuicesimum*, partim visibili modo post resurrectionem suam, omnesque discipulos incolumes reperiebat, partim vero etiam ratione inuisibili post adscensionem in coelos; vtrumque laetitiae caussa fuit discipulis verissima et vberrima. *Deinde* se abire, ait, non quouis, non in regionem aliam et longinquam, vt opinabantur discipuli, quemadmodum vidimus ad *Cap. XIII*, 36. sed ad Patrem et ad consortium gloriae et maiestatis, quam habuit apud Patrem ante mundum conditum, vnde missurus esset discipulis suum Spiritum, suoque auxilio praesentissimo adfuturus, quo adeo etiam eos esset recepturus; ac propterea discipulos oportebat et gratulari ipsi de hac tanta eius maiestate et gloria, et vero etiam laetari sua ipsorum caussa, cum sibi ipsis discessus Domini saluberrimus esset futurus. *Denique* meminisse eos volebat, de

quo saepius eos admonuerat, scilicet quod migraturus esset ad Patrem, mortem oppetiturus, e morte in vitam rediturus, coelum adscensurus, maiestatem in coelo suscepturus, id vnice esse opus Patris. Hoc enim haud dubie significare voluit verbis: *ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί.*

Verum in his verbis explicandis haesitarunt interpretes omni tempore, nonnulli quoque iis abusi sunt ad impugnandam diuinam Iesu maiestatem. Primum vero tenendum est, quod series orationis manifeste docet, Dominum dixisse, Patrem se esse maiorem, non ratione naturae et attributorum, sed ratione operis. Nam descripsit se in toto hoc loco tanquam legatum Patris, a quo missus fuisset, vt opus aliquod exsequeretur, apud quem fuisset olim, et ad quem esset rediturus. *Vers.* 10. 11. 12. 13. 14. 16. 20. 31. *Cap. XVI,* 28. Rex vero quando maior dicitur legato, quis demum hoc intellexerit de natura et attributis, tanquam alia natura esset mittentis, alia missi? Quoad naturam pares sunt, modo ratione mandati ille hoc est maior. Id autem inculcauit Dominus sexcenties, et nuspiam magis, quam in hoc ipso Euangelio Ioanneo, intelligique et credi voluit ab omnibus, opus suum non esse humanum, sed plane diuinum, a Patre ipsi demandatum deliberato consilio, atque adeo esse opus Patris ipsius, illustrans gloriam Patris, se nihil facere, ne dicere quidem, suo arbitratu, sed volente et iubente Patre, quicquid habeat, se habere a Patre, quicquid doceat, docere ex mandato Patris, quicquid agat, agere per Patrem et ad gloriam Patris, quando vitam ponat, ponere e consilio et ad voluntatem Patris, qui fidem ei deneget, denegare Patri, Patrem ipsi dedisse vitam habere in se, potestatemque, suscitandi mortuos et iudicium habendi, imperium tradidisse ipsi in genus humanum, vt daret vitam aeternam, quibuscunque Pater voluerit, immo vero imperium in vniuersum orbem terrarum.

Cap. *V*, 19. *sqq.* *XVII*, 2. *Matth.* *XXVIII*, 18. reliqua. Quare quam diu viueret in his terris, se facere, dicebat, opera Patris, fatebaturque sub finem vitae: *illustraui gloriam tuam in his terris, absolui opus, abs te mihi iniunctum. Io. IX*, 4. *XVII*, 4. Ac tali modo se spectauit Dominus, talique modo spectandus est, cum diceret: *pater me est maior;* nimirum vt legatus, missus a Patre ad perficiendum negotium diuinum. Sed in causa eiusmodi inter mittentem et missum non alia ratio intercedit, nisi haec, vt mittens obtineat in hoc negotio partes primarias, atque hactenus dici possit maior misso.

Pari modo locuti sunt Apostoli de opere Domini, vt, quicquid fecisset olim, quicquid faceret nunc, facturusque esset vsque ad finem rerum humanarum, ad Patrem referrent eiusque consilium et decretum; Patrem dicunt, misisse Filium, constituisse regem et dominum, inprimisque caput ecclesiae, quam regat, omnique bonorum genere exornet, per Filium mortuos excitare, iudicium extremum habere et cuique pro factis rependere, Filium exaltasse ad dextram maiestatis suae, eique dedisse dignitatem summam, vt eum adorarent omnes, confiterentur omnes dominum ad gloriam Patris. Loca in hanc rem sunt in promtu. Inprimis tamen Paulus Apostolus, praesertim in loco 1 *Cor.* *XV*. 24. *sqq.* ex quo hic noster lucem capere potest, habet haec: *Deus Christo subiecit omnia*, *πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ*, hoc est, homines omnes et res humanas omnes ei tradidit; demandauit ipsi negotium, homines regundi et ad felicitatem adducendi; siue, vt alias loquitur, constituit eum caput et dominum ecclesiae, quam suo sibi sanguine acquisiuit, quamque impleret bonorum omni genere. Igitur Deus voluit, Deus instituit, vt Christus esset rex et dominus humani generis; opus Christi est opus Patris; non Pater ipse peragit hoc opus, sed peragit per Filium; Pater

non suscitabit e morte homines, non iudicabit viuos et mortuos, sed hoc demandauit Filio; Pater regnat per Filium et Filius per Patrem. *Regnabit autem, donec deuicerit hostes omnes*, hoc est, donec superauerit impedimenta omnia et operis sui vniuersi, et salutis humanae, atque aboleuerit mala omnia, e peccato orta, *quorum extremum est mors*, eorumque vim penitus destruxerit. *Aliquando vero et ipse subiicietur ei, qui ipsi subiecit omnia*, quod, more humano dictum, idem est, atque versiculo quarto et vicesimo: *regnum tradet Deo et Patri*, hoc est, imperium, quod tanquam Messias gessit in his terris ad salutem humani generis, reddet ei, a quo accepit, non regnabit amplius in his terris, vt regnat nunc. Atque *tum*, sublata pernicie humani generis, depulsis miseriis omnibus, etiam morte, fidelibusque omnibus ad beatas sedes adductis, *tum erit finis*, vt rerum humanarum in his terris, ita quoque *οἰκονομίας* Messianae, constitutae propter peccatum, ad depellendam perniciem, humano generi illatam; non amplius opus erit cura Christi, quam in his terris gessit. *Tum Deus erit omnia in omnibus*, hoc est, tum apparebit, haec omnia redire ad Deum, Dei institutum et opus fuisse, omnia, quae Christus fecit, facta esse ex voluntate Dei, totum opus eius plane divinum esse, et sapientissimum atque ad illustrandam gloriam Dei efficacissimum, et hominibus in omnem aeternitatem longe saluberrimum.

Igitur et Dominus noster, et vero etiam Apostoli in opere eius salutari partes veluti primarias tribuunt Patri, quoniam et demandauit Filio, et exsequitur per Filium. Filius par est Patri, sed non maior Patre. Pater est et manet primus in toto hoc negotio, quatenus instituit omnia, et omnia sic fieri voluit per Filium. Atque ita *Pater* dici potest *maior Filio*, quatenus est fons et principium omnium, quae Filius habet et peregit in opere salutari; Filius vero habet omnia et egit

omnia per Patrem; ἀρχὴν τοῦ υἱοῦ Patrem appellarunt doctores ecclesiae graecae, *principium Filii*, quatenus Pater adeo etiam essentiam suam communicauit cum Filio, Filius vero eam habet a Patre, et per Patrem talis est, qualis est. Nominatim vero Seruator et Dominus humani generis est per Patrem, hoc est, Patre volente, decernente, instituente, demandante ei negotium reparandae salutis humanae, et Filius subiecit se voluntati Patris, suscepit et peregit hoc negotium, ipsi a Patre demandatum, τὸ ἔργον, ὃ δέδωκεν αὐτῷ ὁ πατὴρ, ἵνα τελειώσῃ, τὴν ἐντολὴν τοῦ πατρὸς, τὸ θέλημα τοῦ πατρός· suscepit et peregit non suo arbitratu, sed ex voluntate Patris, et ad gloriam Patris, declarauit, sibi summo oblectamento esse, voluntati Patris morem gerere, eiusque obsequio se non minus exsatiari, quam cibo, atque in praesentissimo vitae periculo profitebatur, se promtum esse paratumque, vt satisfaciat Patris voluntati, seque obedientem praebuit adeo vsque ad supplicium crucis.

Id quod idem Apostolus vehementer laudauit in loco *Phil. II*, 6—11. qui hunc nostrum egregie illustrat. Ibi enim: Iesus Christus, ait, quamuis esset conditionis diuinae, et Deo aequalis ratione naturae et attributorum, tamen non raptum iuit, non cupide et vbiuis vsurpauit sibique vindicauit hanc cum Deo aequalitatem, immo vero ab ea re abstinuit, et maluit esse Patris minister, semet ipsum depressit ad conditionem seruilem, similis factus hominibus, habituque externo omni se gessit vt hominem, quasi non esset Filius Dei summus, Deo aequalis, immo vero se tenuem reddidit, tanquam destitutus esset ornamentis diuinis, obedientem se praestitit Patri eo vsque, vt mortem subiret, postulante id Patre, atque adeo mortem ignominiosissimam in cruce. Quare eum exaltauit Deus, et dignitate ornauit, qua excelleret supra alios omnes, vt Iesum adorarent viui ac mortui, profiterenturque gentes omnino omnes, Ie-

sum Christum esse Dominum ad gloriam Patris, intelligentes omnes et celebrantes, quam benignus et sapiens sit Pater, quanto iure Iesum euexerit ad dignitatem tantam, et quam salubriter haec instituerit. Quod Paulus in hoc loco docuit, Iesum, quamuis esset conditionis diuinae et Deo par, tamen longe infra dignitatem suam descendisse, se Deo postposuisse, Deo se subiecisse, formam ministri assumsisse ad perficiendum munus, ipsi demandatum, atque in eo obedientem se praestitisse, vt adeo mortem subiret, id significauit Dominus his verbis: *Pater me est maior*; Pater ita decreuit, ita voluit, vt subirem mortem, ex morte redirem ad vos, ac deinde proficiscerer ad Patrem; fiat voluntas Patris!

Etenim probe tenendum est, Dominum subiecisse haec: *Pater me est maior*, duplici consilio, vt series orationis clare docet, partim vt consolaretur discipulos ob mortem suam, partim vt eorum fidem confirmaret. Antecedunt enim: *μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, μηδὲ δειλιάτω*· sequuntur autem haec: *καὶ νῦν εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι, ἵνα ὅταν γένηται, πιστεύσητε.* Id vero effecit Dominus triplici ratione. Primum dixit: *abeo a vobis, sed redibo*; quibus praedixit mortem suam, breui instantem, et vero etiam reditum e morte in vitam et reditum ad discipulos; conf. *vers.* 19. *et Cap. XVI*, 16. 22. ac mortem quidem praedixit, ne offenderentur, cum eueniret, reditum autem, quoniam in eo habituri essent solatium ac spem, fore, vt breui post redux in vitam conspiciendum iis se praebeat. Deinde addidit: *proficiscar ad Patrem*; quod intellexit de abitu suo in coelos ad capessendam gloriam apud Patrem; in quo itidem erat non tantum causa solatii, sed etiam laetitiae, partim ratione Domini, quia peruenturus esset ad maiestatem in coelis, partim ratione discipulorum, quoniam iis promiserat, post abitum suum iis immissurum esse Spiritum opitulatorem, cuius auxilio effecturi es-

sent maxima quaeque, atque adeo maiora, quam ipse potuisset efficere. Denique subiecit: *Pater me est maior;* Pater, a quo totus pendeo, per quem sum, qui sum, per quem facio, quicquid facio, per quem mihi accidit, quicquid accidit, Pater vult, vt mortem subeam, vt redeam e morte, vt ad eum proficiscar, atque in eius voluntate penitus acquiesco; in quo rursus erat multum solatii, cum audirent discipuli, ea omnia accidere Domino de consilio Patris, eique Dominum se penitus submittere.

Ac propter hanc ipsam causam perrexit Dominus *versiculo vndetricesimo* disserere hac ratione: *haec praedicere vobis volui, antequam euenirent, vt, cum euenerint, crederetis* tanto confidentius. Etenim quae locutus erat Dominus de abitu suo, de reditu suo et profectione ad Patrem, ea dixisse videbatur neque admodum attentis, multisque modis animo perturbatis, neque admodum intelligentibus; dixerat tamen, vt, cum euentus accederet, cum mortem obiret, cum viuus rediret ad discipulos, cum denique proficisceretur ad Patrem, recordarentur discipuli horum effatorum, et, quid iis sibi voluisset, intelligerent atque in fide confirmarentur.

Ad extremum hic profecto in consilium vocari potest ac debet analogia doctrinae, non Theologiae dogmaticae, ne quis erret! sed doctrinae, in hoc ipso Euangelio Ioanneo traditae. Audiuimus enim in superioribus, Dominum docuisse diserte, inculcasse iterum iterumque et credi voluisse, se habere, quae habeat Pater, se facere, quae faciat Pater, seque esse parem Patri, ratione attributorum et operum. Iam vero nonne sibi repugnasse putandus esset Dominus, si hoc loco dixisset, aut dicere voluisset, Patrem se esse maiorem ratione naturae? Aut qui tandem Ioannes haec verba Domini tali modo intelligere potuisset, intelligique voluisset, quem scimus docuisse, Seruatorem fuisse ante

initia mundi, apud Deum fuisse, immo vero Deum esse? Ex quibus omnibus patet euidenter, neminem offendere, nec cuiquam mirum videri posse effatum Domini: *ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί.*

Iam vero Dominus denunciat discipulis, tempus discessus sui, hoc est, mortis, instare quam proxime, immo iam adesse, testaturque vero etiam animum et promtum paratumque, et imperterritum. *Plura hoc tempore,* ait, *loqui vobiscum, non licet; nam impetum in me facturus est princeps huius saeculi; neque tamen valebit aduersus me quicquam.* Vidimus supra *ad Cap. XII,* 31. in tali sermone Domini per *τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου* intelligi peruersos homines illius saeculi, in primis Iudaici, eiusque principes, Pontifices, sacerdotes, reliquos; *Luc. XXII,* 52. appellantur *ἀρχιερεῖς καὶ στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ καὶ πρεσβύτεροι,* et *Cap. XXIV,* 20. *οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ἄρχοντες καὶ ὁ λαὸς,* nominatim vero *Act. IV,* 27. *Ἡρώδης τε καὶ Πόντιος Πιλάτος,* et 1 *Cor. II,* 6. 8. *ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου,* cum explicatione hac: *qui Dominum gloriae cruci affixerunt.* Hi erant, qui aggrederentur Dominum hostili impetu, eumque in potestatem suam manu armata redigerent, ad iudicia raperent, ad mortem damnarent, in crucem agerent et necarent, prorsusque deiicere et extinguere tentarent; id quod indicare voluit Dominus verbis his: *ἔρχεται ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων.* Neque tamen contra eum efficere poterant quicquam, *καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν·* immo vero fecerunt, quod decreuerat consilium Dei sapientissimum ac benignissimum, vt est *Act. IV,* 28. *II,* 23. Nam mortem subiit in salutem humani generis, mox e morte in vitam rediit, coelum adscendit, euectus ad dextram Patris, de coelo immisit discipulis sanctum Spiritum, ac per eos praedicabatur tanquam Seruator generis humani in Iudaea, in omni orbe terrarum, talisque agnoscebatur ab ingenti multitudine. Dixit igitur Dominus verissime, nihil quicquam periculi timen-

dum esse contra ipsum, eiusque opus salutare ab improbitate Iudaica.

Hos sermones Domini cum discipulis, commemoratos in hoc et antecedente Capite, habuit inter coenam vltimam, cum mensae adhuc accumberent. Eos tamen abrumpere voluisse videtur, dum subiecit haec: *sed vt intelligant omnes, quantopere amem Patrem eiusque mandatis satisfacere cupiam, surgite, discedamus.* Discedere autem volebat ex vrbe Hierosolymitana, vbi coenam vltimam ceperat, ad montem oliuarum, in hortum eum, seu potius in praedium illud, in quo hac ipsa nocte tradebatur in potestatem hostium. Monebat autem discipulos, non monebatur ab aliquo, surgendum esse de coena, tempus adesse, discedendi. Praescius igitur et volens morti instanti obuiam iuit; neque tamen temere, sed ex decreto Patris, quoniam sciebat, Patrem velle, vt mortem oppeteret; τὴν ἐντολὴν ἀπὸ τοῦ πατρὸς appellauit, *Cap.* X, 18. nulla alia causa impulsus, quam amore erga Patrem et obedientia aduersus mandata eius. Atque inde omnes omnium temporum homines intelligere et possunt, et vero etiam debent, quanto amore complexus fuerit Patrem, et quam promta obedientia eius voluntati sese subiecerit, ratumque fecerit effatum: *ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι.* Id vero impressum esse voluit mentibus discipulorum omnium, se, quicquid pateretur, pati praescium et volentem, atque ita iubente et decernente Patre, a cuius voluntate voluntas ipsius nullo vnquam tempore dissideret. Monebat denique discipulos, vna discedere, eumque comitari, vt spectatores essent ac testes passionum ipsius.

CAPVT XV.

Sed antequam discessisse videtur Dominus ex eo loco, in quo celebrauerat epulum paschale, sermonesque antecedentes habuerat cum discipulis, subiecit etiam alios, in hoc et sequente Capite literis consignatos a Ioanne, eosdemque notatu aeque longe dignissimos, atque superiores. Ac certo quidem dici non potest, vbi et quando hos sermones habuerit cum discipulis, itemque vbi et quando preces fecerit, *Cap. XVII.* commemoratas, num in illis ipsis aedibus amici in vrbe Hierosolymitana, eodemque coenaculo, in quo coenam vltimam ceperat, an vero, vt aliis placet, post discessum ex vrbe Hierosolymitana, siue inter eundum et in itinere ipso ad montem oliuarium, siue in praedio, in quod sese cum discipulis recepisset. Hoc quidem colligi posse videtur ex Capitis antecedentis versiculo vltimo; illud tamen magnam probabilitatem habet ex *Cap. XVIII*, 1. vbi Dominus, finitis his sermonibus, demum egressus esse dicitur, seque contulisse comitantibus discipulis in hortum, in quo tradebatur in hostium potestatem.

Vix enim auellere se a discipulis et amicis potuisse videtur Dominus amantissimus et de salute eorum maxime sollicitus. Igitur primum atque ante omnia rediit ad eam admonitionem, quam aliquoties iam, in primis *Cap. XIII*, 14. seqq. 34. *XIV*, 15. 21. iis inculcauerat, vt scilicet mandatis ipsius ratione muneris Apostolici ipsis demandandi, omni ex parte satisfacerent, et quouis modo fructus ferrent, ad ipsius causam promouendam efficacissimos. Id vero fieri nullo modo posse, docuit, nisi perseuerarent constanter in consortio fidei et amoris erga ipsum, a quo si suo vitio sese distrahi paterentur, aut quicquam suis viribus sibi arrogarent, ni-

hil vnquam effecturos esse in munere eorum administrando. Quod, quo magis intelligerent ac tenacius tenerent, explicauit adhibita rei notissimae similitudine, nempe vitis ac palmitum. In quam similitudinem quomodo inciderit, et vnde eius vsurpandae occasionem sumserit, num a vineis, inter quas medias pertransiuerit, an e vino, in mensa apposito, siue potius a fructu vitis, quem, vt est apud *Matthaeum*, *Cap. XXVI*, 29, sese porro non sumturum esse affirmabat, certo dici non potest, nec opus est, quaerere. Caeterum hos quoque sermones, aeque ac antecedentes, *Cap. XIII. et XIV.* ad discipulos pertinere, eorumque munus, atque adeo de iis vnice explicandos esse, et *vers.* 16. *et* 26. *sq.* huius Capitis postulant, et tota series orationis euidenter docet; quamuis posses, si volueris, per accommodationem transferre quoque ad alios, nominatim ministros ecclesiae in vniuersum, vt deinde videbimus.

Orsus autem est sermones hoc modo: *ego sum vitis vera, meus Pater vinitor, qui palmitem in me sterilem quemuis amputat, fertilem purgat, vt fructus ferat copiosiores.* Igitur vitem se appellauit Dominus, discipulos vero palmites. Vt autem vitis habet et palmitibus confert succum et vim crescendi, et palmites e vite trahunt, quicquid succi habent, et longe lateque se spargunt propagines, ita Christus habet vitam et vim fructificandi, eamque subministrat discipulis, et discipuli a Christo hauriunt et habent vitam et vires, fructus proferendi copiosissimos, longe lateque sparsos per omnes orbis terrarum regiones. Qua quidem similitudine, sciunt omnes, Dominum describere voluisse mutuam eamque intimam coniunctionem, quae inter ipsum et discipulos intercedat, et quidem coniunctionem efficacem, quae sit in dando et accipiendo, vtilitatemque afferat longe lateque patentem. Iam haec coniunctio ratione discipulorum erat non tantum communis cum sectatoribus Christi omnibus, sed iis propria

et plane peculiaris, quatenus erant non tantum discipuli Christi, sed etiam legati eius et ministri. Etenim cum locum habeat coniunctio mutua inter Christum eiusque sectatores omnes, etiam ratione horum Christus vitis, ipsi vero palmites dici possunt; et *Christus* quidem *vitis*, quatenus in eo sita est salus humana, ab eo in homines omnes salus redundat, tanquam ex fonte, quippe eam habet, acquisiuit et tribuit; *Christiani* vero *palmites*, quatenus omnem salutem suam in Christo quaerunt, a Christo accipiunt et repetunt, per Christum vires quoque consequuntur, voluntati eius conuenienter et credendi, et agendi, salutemque tenendi; plane vt supra, *Cap. VI*, 35. se dixerat τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, auctorem vitae et felicitatis, quia vitam habet in se et dare potest, deinde vitam posuit pro omnibus et vitam acquisiuit, denique vitam dat et confert; aut, vt Paulus Apostolus, *Col. I*, 18. et alias, Christum appellauit *caput ecclesiae*, ecclesiam vero *corpus Christi*; et Christus quidem est *caput*, siue, quod idem est, *dominus ecclesiae*, quatenus eam suo, sibi sanguine acquisiuit, acquisitam regit, tuetur, omnique beneficiorum genere ornat; nam illud regere est non tantum in praecipiendo, sed in dando et largiendo, fitque non tantum per leges, sed per efficaciam peculiarem, vt Apostolus explicauit sequente versiculo, vbi, in Christo habitare, ait, πᾶν τὸ πλήρωμα, totam summam bonorum, quibus opus est humano generi vniuerso ad tenendam salutem omnimodam; et *Eph. I*, 23, vbi Christum, docuit, ecclesiam suam, quam regat tanquam dominus, implere bonorum omni genere; ecclesiam autem dixit esse *corpus Christi*, quatenus imperio eius subest, ab eo pendet, regitur, beneficiis ac bonis omnis generis ornatur. Atque et talis coniunctio locum habuit inter Christum et Apostolos ante omnia. Sed praeter hanc etiam alia, iisque propria et peculiaris, scilicet coniunctio domini et legatorum, qui in vi-

ces eius succedebant, eiusque causam agebant; et Christus erat *vitis Apostolorum*, quatenus eos ablegauit tanquam dominus ministros suos in sua ipsius causa, mandatis peculiaribus instruxit et idoneos reddidit ad haec mandata exsequenda; *Apostoli* vero erant *palmites*, quoniam in munere administrando vnice pendebant a Christo, domino, mandata eius exsequebantur, eius vices sustinebant, nominatim quoque vires ab eo accipiebant, doctrinam Domini, in primis quatenus pertinebat ad Dominum ipsum eiusque opus salutare, non tantum accurate intelligendi, sed etiam recte tradendi, muniusque euangelicum vniuersum rite administrandi; quare etiam Apostoli, vt est 2 *Cor. III*, 5. 6. profitebantur, se idoneos esse muneri euangelico gerendo non sua vi, sed vnice vi diuina.

Iam Dominus appellauit se vitem *ἀληθινήν*, hoc est, vnice veram vitem, cui inhaereat oportet, quisquis fructum proferre voluerit, siue, vnum verissimumque dominum, a quo pendeant, cuius mandata exsequi, a quo vim omnem, euentum exoptatum omnem, salutem omnem omnes discipuli, homines omnes repetere debeant. Sed Patrem suum appellauit *vinitorem*, (vocabulum *γεωργὸς* positum est pro: *ἀμπελουργὸς*,) et quidem ob causam duplicem. Prima inest in *versiculo secundo*: Pater meus, inquit, omnem palmitem in me, hoc est, quemque discipulum ac ministrum, mihi adhaerentem, me profitentem suum dominum, sed sterilem, fructus non ferentem, repudiat, vt palmitem inutilem, noxium, discipulum et ministrum meum non agnoscit; fertilem vero, fructus promittentem et edentem, hoc est, discipulum munus administrantem rite et cum fructu, purgat, id est, curat, fouet, prouehit vlterius, auget et ornat in dies maioribus donis, vt fructus ferre possit et copiosiores et generosiores. Est enim formula: *καθαίρειν τὸ κλῆμα*, vinitoribus solennis, qui dicuntur amputare palmites, quo vberiores fructus ferant, adeo-

que palmites fouere, curare, vim crescendi et fructificandi augere. Igitur Dominus Patrem dixit *vinitorem*, quoniam Pater, vt Dominus ipse, fouet, curat, auget, vlterius prouehit suo fauore, in primisque suo Spiritu, discipulos et ministros fideles et vtiles; fere vt Dominus dixit alias: *habenti et recte vtenti, dabitur, vt abundet; nihil habenti, abutenti potius, vel negligenti adeo nihil addetur, vt eo quoque, quod habere videbatur, sit spoliandus. Matth. XIII*, 12. *XXV*, 29. Promisit igitur Dominus eiusmodi ministro non suam tantum, sed etiam Patris curam ac beniuolentiam plane singularem; vt dixerat in antecedente sermone: eum amabit Pater. *Cap. XIV*, 23. Alteram causam, quare Patrem vinitorem appellauerit, *versiculo octauo* huius Capitis indicauit his verbis: Pater meus celebrabitur per vos, meos discipulos, vestrique muneris fructus. Igitur Pater vinitor est, quatenus ad eum, velut ad fontem, atque ad gloriam eius illustrandam, redeunt fructus negotii, vt Domini, ita quoque discipulorum, quippe qui sic voluit, decreuit, instituit.

Sed perrexit Dominus *tertio versiculo* hoc modo: *et vos quidem purgati estis, per doctrinam, quam vobis tradidi.* Continuauit igitur sermonem allegoricum de palmitibus amputatis. Eiusmodi palmitibus purgatis et mundis similes erant discipuli, quatenus purgati erant a prauis moribus saeculi, in primisque malignitate Iudaica aduersus Dominum, vicissim vero adducti ad meliorem ipsius cognitionem, fidem, amorem, obedientiam; (supra, *Cap. XIII*, 10. eosdem dixerat puros a prauis sensibus et consiliis, praesertim aduersus ipsum;) idque factum erat per institutionem et disciplinam Domini, qua hactenus erant vsi; διὰ τὸν λόγον, ὃν λελάληκα ὑμῖν. Posthac vero magis purgandi erant, in primis a praeconceptis opinionibus, ipsis adhuc adhaerentibus, quo copiosiorem fructum proferrent; idque effecit Pater, vinitor, per suum Spiritum. Erant

igitur palmites frugiferi, et quidem palmites vitis, vnde haurire possent vitam omnimodam.

Ac propter hanc causam Dominus serio monebat discipulos, commemorandis quoque argumentis grauissimis, ne sua culpa disrumperent coniunctionem mutuam, quae inter eos et ipsum intercederet, vt potius constanter in ea persisterent, quemadmodum ipse eam esset sua ex parte seruaturus in perpetuum. *Permanete in me*, inquit, *vt ego permanebo in vobis*. Loquebatur Dominus cum discipulis, quod est ante omnia tenendum, non tanquam discipulis, quam potius tanquam futuris ministris et legatis suis. Hos iubebat omnem operam impendere, vt constanter ei adhaererent fide, amore atque obedientia, non tantum in vita vniuersa, sed etiam et nominatim in exsequendis mandatis ipsius, et in gerendo munere Apostolico, nec vlla vnquam causa diuelli se ab eius consortio paterentur. His promittebat, se quoque iis constanter adhaesurum esse, et adfuturum suo fauore, sua ope, suo auxilio in omnibus vitae et muneris partibus, vt fructus proferre possint quam plurimos. Id enim denotat formula: μένειν ἔν τινι, nempe: alicui addictum manere deditumque, mutua caritate et officiis mutuis cohaerere, et quidem constantia ac perpetuitate, nullis impedimentis superanda. *Cap. VI*, 56. Igitur Apostoli manebant in Christo, quatenus per totam vitam suam ipsi addicti erant ac dediti, non tantum in professione nominis ipsius, sed etiam in administrando munere Apostolico, sic, vt nullis impedimentis et difficultatibus, nullis persecutionibus, molestiis, aerumnis, ne morte quidem, deterreri se ab ipso sinerent. Christus vero manebat in discipulis, quatenus et ipsis perseuerabat addictissimus, eos nunquam deserebat sua cura et auxilio suo, iisque suppeditabat, quibuscunque demum opus haberent non tantum ad vitam bene beateque agendam, sed etiam atque in primis ad munus feliciter administrandum, siue, vt pro-

misit *versiculo septimo*, quaecumque demum exoptare possent ipsi. Itaque cum diceret Dominus: μείνατε ἐν ἐμοὶ, adhortabatur eos ad constantiam indefessam in professione nominis ipsius, sed praesertim muneris Apostolici administratione.

Ad quam constantiam quo magis eos excitaret, vsus est argumentis pluribus, quae non poterant non maximam vim habere in animis discipulorum. Ac primum quidem inest in verbis: κἀγὼ ἐν ὑμῖν, quibus vidimus promisisse Dominum discipulis, quod ad ipsum attineret, se constantissime seruaturum esse consortium intimum, quod inter ipsum et eos intercederet, seque eos amaturum impense, suaque vi et ope sustentaturum omni tempore omnique modo. Ego, inquit, vobis semper coniunctissimus ero, ita vos et mihi.

Alterum vero argumentum, desumtum ab huius coniunctionis consilio et effectis, humano generi saluberrimis, continetur verbis sequentibus: *vt palmes fructum proferre non potest ex se, nisi permanserit cum vite copulatus; ita nec vos, nisi manseritis coniuncti mecum. Ego vitis sum, vos palmites; quicunque coniunctus permanserit mecum, vt cum illo ego, fructus proferet quam plurimos; nam sine me efficere poteritis nihil quicquam. Quisquis vero non permanserit mihi iunctus, non secus ac palmites exarescentes abiicitur, qui in vnum collecti igni dantur cremandi.* Vsus est Dominus in his verbis similitudine, quo magis ea infigeret animis discipulorum. Perrexit enim in allegoria incepta. Vitem se appellauit discipulorum, et quidem verum, quatenus, vt ad *versiculum primum* vidimus, vnice erat is, a quo proficisceretur, quicquid faceret ad salutem, et nominatim ad muneris euangelici administrationem frugiferam; palmites vero nominauit discipulos, quatenus salutem omnem, vimque omnem ad recte agendum et munus cum fructu administrandum vnice acciperent a Christo, cui adeo vnice

inhaerere eos oporteret, si fruges proferre voluerint. Fruges enim exspectabat Dominus ab Apostolis, munerisque eorum administratione, volebatque, vt fruges proferrent quam plurimas; quae quidem erant in eo, vt nomen eius profiterentur coram hominibus, euangelium de gratia Dei, per Christum tenenda, praedicarent omnibus gentibus, doctrinam salutarem propagarent in orbe terrarum, et viua voce, et per literas, discipulos ipsi colligerent, ecclesias fundarent, atque ita vniuerso generi humano, ad consequendam cognitionem Dei et Christi, fidem veram, animi et vitae sanctitatem, aeternamque felicitatem vtilitatis afferrent quam plurimum. Ita diserte praeceperat, cum iis demandaret munus Apostolicum. *Matth. XXVIII*, 19. 20. Hoc erat consilium coniunctionis inter Iesum et discipulos, qua dominum et ministros; haec debebant esse effecta, hi fructus. Palmes vero fruges ferre non potest ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, ex se, sua vi, siue, vt explicatur verbis proxime sequentibus: ἐὰν μὴ μείνῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ, auulsus a stirpe, a quo succum trahit, vimque frugiferam accipit. Ita vos, inquit Dominus, vestra vi, seiuncti a me meoque consortio, fruges muneris proferre non poteritis; coniuncti vero constanter mecum, meaque ope, adspirante Patre eiusque Spiritu, fructum edetis multum, res magnas efficietis, vt promiserat, *Cap. XIV*, 12. vtilitatem ingentem afferetis generi humano vniuerso. Atque id profecto euentus comprobauit in Apostolis. Manebant in Christo eiusque consortio constanter, non tantum fide et amore, sed etiam assiduitate indefessa in praedicando euangelio de Christo, nullisque impedimentis ab ipso seiungi se patiebantur, immo tolerabant Christi causa grauissima quaeuis, mortem ipsam; atque ita fructus ferebant plurimos, hoc est, copiosissimos, multis, immo humano generi in vniuersum, saluberrimos, perpetuo duraturos. Dixit vero etiam, quo magis commoueret discipulos, in partem

contrariam: palmes, a vite resectus, non modo nullum fructum edit, sed exarescit, moxque abiicitur. Quibus verbis innuere voluit hoc: quisquis vestrum sua culpa disiungi se siuerit a me, meo consortio, mei nominis professione, muneris euangelici administratione indefessa, is, instar palmitis inutilis, a Patre meo, vinitore, abiicietur, iacturam faciet iurium, beneficiorum, praemiorum, meis discipulis et legatis promissorum.*) Pari modo alias quoque hortabatur Dominus discipulos eosdem et in eadem causa, ne desciscerent a professione nominis ipsius, quamuis hominibus inuisi, nec deterreri se ab ea paterentur vllo metu malorum, cum diceret: quisquis, contemtis hominum probris, me dominum palam professus fuerit coram hominibus, eum ego agnoscam meum ministrum ac discipulum coram Patre meo coelesti; quem vero mei puduerit apud homines, quique me abnegauerit, hunc et ego abnegabo apud Patrem meum, discipulum meum et ministrum non agnoscam. *Matth.* X, 32. 33. *Luc.* XII, 8. 9. Dominum autem etiam in hoc nostro loco respexisse quoque ad calamitates, discipulis imminentes propter nominis ipsius professionem, et admonere voluisse ad constantiam in iis perferendis, sequentia docent inde a *versiculo duodevicesimo* huius Capitis. Inde vero etiam intelligi potest, quid Dominus voluerit his verbis: ὅτι χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν. Palmes fruges ferre non potest ἀφ' ἑαυτοῦ, sua vi, resecatus a vite, adeoque ἐὰν μὴ μείνῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ, nisi haereat in vite, ab eaque succum trahat; ita, inquit, vos, tanquam discipuli mei ac legati, fructus proferre, efficere aliquid non poteritis χωρὶς ἐμοῦ, dissociati a me, fonte vitae et salutis omnis, ac deterriti calamitatum grauitate, atque adeo, vt interpretatus est Dominus ipse, ἐὰν μὴ ἐν ἐμοὶ μείνητε, nisi

*) *Rom.* XI, 17. Iudaei appellantur *rami succisi*, quatenus deiecti erant iuribus ac beneficiis populi Dei.

inhaerere eos oporteret, si fruges proferre voluerint. Fruges enim exspectabat Dominus ab Apostolis, munerisque eorum administratione, volebatque, vt fruges proferrent quam plurimas; quae quidem erant in eo, vt nomen eius profiterentur coram hominibus, euangelium de gratia Dei, per Christum tenenda, praedicarent omnibus gentibus, doctrinam salutarem propagarent in orbe terrarum, et viua voce, et per literas, discipulos ipsi colligerent, ecclesias fundarent, atque ita vniuerso generi humano, ad consequendam cognitionem Dei et Christi, fidem veram, animi et vitae sanctitatem, aeternamque felicitatem vtilitatis afferrent quam plurimum. Ita diserte praeceperat, cum iis demandaret munus Apostolicum. *Matth. XXVIII*, 19. 20. Hoc erat consilium coniunctionis inter Iesum et discipulos, qua dominum et ministros; haec debebant esse effecta, hi fructus. Palmes vero fruges ferre non potest *ἀφ' ἑαυτοῦ*, ex se, sua vi, siue, vt explicatur verbis proxime sequentibus: *ἐὰν μὴ μείνῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ*, auulsus a stirpe, a quo succum trahit, vimque frugiferam accipit. Ita vos, inquit Dominus, vestra vi, seiuncti a me meoque consortio, fruges muneris proferre non poteritis; coniuncti vero constanter mecum, meaque ope, adspirante Patre eiusque Spiritu, fructum edetis multum, res magnas efficietis, vt promiserat, *Cap. XIV*, 12. vtilitatem ingentem afferetis generi humano vniuerso. Atque id profecto euentus comprobauit in Apostolis. Manebant in Christo eiusque consortio constanter, non tantum fide et amore, sed etiam assiduitate indefessa in praedicando euangelio de Christo, nullisque impedimentis ab ipso seiungi se patiebantur, immo tolerabant Christi causa grauissima quaeuis, mortem ipsam; atque ita fructus ferebant plurimos, hoc est, copiosissimos, multis, immo humano generi in vniuersum, saluberrimos, perpetuo duraturos. Dixit vero etiam, quo magis commoueret discipulos, in partem

contrariam: palmes, a vite resectus, non modo nullum fructum edit, sed exarescit, moxque abiicitur. Quibus verbis innuere voluit hoc: quisquis vestrum sua culpa disiungi se siuerit a me, meo consortio, mei nominis professione, muneris euangelici administratione indefessa, is, instar palmitis inutilis, a Patre meo, vinitore, abiicietur, iacturam faciet iurium, beneficiorum, praemiorum, meis discipulis et legatis promissorum. *) Pari modo alias quoque hortabatur Dominus discipulos eosdem et in eadem causa, ne desciscerent a professione nominis ipsius, quamuis hominibus inuisi, nec deterreri se ab ea paterentur vllo metu malorum, cum diceret: quisquis, contemtis hominum probris, me dominum palam professus fuerit coram hominibus, eum ego agnoscam meum ministrum ac discipulum coram Patre meo coelesti; quem vero mei puduerit apud homines, quique me abnegauerit, hunc et ego abnegabo apud Patrem meum, discipulum meum et ministrum non agnoscam. *Matth.* X, 32. 33. *Luc.* XII, 8. 9. Dominum autem etiam in hoc nostro loco respexisse quoque ad calamitates, discipulis imminentes propter nominis ipsius professionem, et admonere voluisse ad constantiam in iis perferendis, sequentia docent inde a *versiculo duodevicesimo* huius Capitis. Inde vero etiam intelligi potest, quid Dominus voluerit his verbis: *ὅτι χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν.* Palmes fruges ferre non potest *ἀφ᾽ ἑαυτοῦ*, sua vi, resecatus a vite, adeoque *ἐὰν μὴ μείνῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ*, nisi haereat in vite, ab eaque succum trahat; ita, inquit, vos, tanquam discipuli mei ac legati, fructus proferre, efficere aliquid non poteritis *χωρὶς ἐμοῦ*, dissociati a me, fonte vitae et salutis omnis, ac deterriti calamitatum grauitate, atque adeo, vt interpretatus est Dominus ipse, *ἐὰν μὴ ἐν ἐμοὶ μείνητε*, nisi

---

*) *Rom.* XI, 17. Iudaei appellantur *rami succisi*, quatenus deiecti erant iuribus ac beneficiis populi Dei.

manseritis coniuncti mihi, meque vobis habueritis coniunctum, dominum vestrum et nutritorem. Igitur ingentia emolumenta prospiciebat Dominus a ministerio Apostolorum ad salutem humani generis, eoque magis eos hortabatur, ne vnquam ab eo descriscerent.

Alio argumento in hanc rem vsus est *versiculo septimo*, simulque explicauit accuratius, quid sit, quod in antecedentibus dixerat: μείνατε ἐν ἐμοί. Etenim, *si manseritis in me*, inquit, *meique sermones manserint in vobis, quicquid vobis libuerit, precibus vestris impetrabitis*. Scilicet subiecit Dominus verbis: ἐὰν μείνητε ἐν ἐμοὶ, haec: καὶ τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν μείνῃ, quae non videntur esse synonymica, sed potius differre sic, vt illa exprimant perpetuitatem consortii cum Christo in vniuersum, haec autem perseuerantiam in assensu, doctrinae de Christo habendo, vt supra, *Cap. VIII*, 31. dixerat: μένειν ἐν τῷ λόγῳ. Saltem τὰ ῥήματα rursus non denotant doctrinam Christi vniuersam, sed partem eius eam, quae agit de Christo, et sermones Domini eos, in quibus locutus erat de se atque docuerat, quis et qualis esset, qualemque se haberi voluisset; id quod postulat perpetua loquendi consuetudo in Euangelio Ioanneo, veluti *Cap. V*, 47. *VI*, 63. 68. *XII*, 47. *sq.* in primis vero *Cap. XVII*, 8. vbi Dominus: doctrinam, inquit, a te acceptam, iis tradidi, eamque didicerunt et crediderunt, me a te esse profectum. Igitur per τὰ ῥήματα intelligenda est *doctrina de Christo*, ad salutem humanam a Patre misso. Hanc prae ceteris Dominus tradidit discipulis; hanc sincera fide discipuli susceperant; hanc sanctus Spiritus iis erat praecipue traditurus; *Cap. XIV*, 26. *XVI*, 15. hanc Dominus iubebat ante omnia praedicari omnibus gentibus; *Luc. XXIV*, 47. atque in hac volebat discipulos inprimis persistere, sic, vt eam partim ipsi firmiter tenerent, partim vero aliis prae reliquis traderent, nec ab ea vnquam recederent. Idque fecisse quoque constat Apostolos; praedicarunt Chri-

stum, eundemque cruci affixum, hancque statuerunt esse basin omnis institutionis euangelicae. 1 *Cor. II*, 2. *III*, 11. Igitur sermones Christi manebant in discipulis, siue, quod idem est, discipuli manebant in sermonibus Christi, quatenus et ipsi perseuerabant constanter in fide, Iesum esse missum a Deo humani generis Servatorem, et vero etiam hanc fidem praedicabant prae ceteris, atque adducere ad eam omnes omni studio annitebantur, etiam cauebant magna vigilantia, ne hoc caput doctrinae summum ac praecipuum aut omitteretur in institutione publica, aut peruerteretur a quoquam; vt constat ex Actuum Apostolicorum Epistolarumque Paulinarum locis permultis. Neque id fecerunt frustra. Etenim cum permanerent constanter partim in fide et amore erga Dominum suum, partim in praedicando euangelio de Christo, accipiebant dona largissima, quae demum exoptare possent, videbantque effectus muneris sui longe saluberrimos. Hunc enim sensum esse verborum: ὃ ἐὰν θέλητε, αἰτήσεσθε καὶ γενήσεται ὑμῖν, supra vidimus. *Cap. XIV*, 13. 14. Quae quidem promissio maximam vim habere debebat in animis discipulorum ad praestandam fidem et in munere administrando obedientiam et assiduitatem indefessam.

Sed aliam addidit Dominus *versiculo octauo*, scilicet hac tali ratione eos effecturos esse, vt vel maxime illustretur gloria Patris. *Hoc modo*, inquit, *si fructus protuleritis quam plurimos, Pater meus celebrabitur, vosque praestabitis meae disciplinae alumnos.* Celebratur autem Pater eiusque gloria illustratur, quando maiestas, in operibus eius conspicua, nominatim vero, vt vidimus ad *Cap. XIII*, 31. *sq. et XIV*, 14. eius sapientia et benignitas admirabilis in reparanda et conferenda salute humana per Christum agnoscitur; et celebratur per alios, quando efficiunt verbis et factis, vt haec maiestas Patris, haec eius sapientia et benignitas agnoscatur et colatur. Haec enim dicitur in libris sacris N. T.

δόξα τοῦ πατρὸς, ratione habita ad Christum. Hanc Dominus illustrauerat dictis et factis. *Cap. XIII*, 31. sq. *XVII*, 4. 6. Hanc volebat per Apostolos quoque illustrari; vt iam supra significauerat; *Cap. XIV*, 14. hancque vere illustrabant, cum docerent in primis atque ante omnia, Patrem misisse Filium, atque adeo in mortem tradidisse ad reparandam salutem humanam, eum vero etiam reuocasse e mortuis, ad dextram suam collocasse, dominumque constituisse viuorum et mortuorum, vt conferret salutem credentibus omnibus, atque ita efficerent, vt conspicuus fieret hominibus amor Patris incredibilis erga genus humanum. Id quod eos fecisse, constat ex Actuum Apostolicorum Epistolarumque locis innumerabilibus. *Rom. V*, 8. 1 *Io. IV*, 8. sqq. reliqua. Hi erant fructus muneris euangelici, quos in primis desiderabat Dominus, et exspectabat ab Apostolis; atque fructibus eiusmodi ferendis, ad gloriam Patris spectantibus, eos, ait, dignos se praestituros esse disciplina ipsius, obseruantes sermonum mandatorumque eius, et factorum aemulos, Patri carissimos et probatissimos. Caeterum et hic, vti alias semper, omnia retulit Dominus ad gloriam Patris, veluti causam primariam totius operis sui, *vinitorem* appellauerat supra, quippe qui omnia sic voluerit, decreuerit, instituerit; innuitque, quemadmodum opus suum, ita etiam negotium Apostolorum non modo esse ipsius, Domini, sed Patris, et spectare ad illustrandam gloriam Patris; quo maioris momenti Apostolis esse debebat munus, fidei ipsorum demandandum. Atque Apostoli etiam in hac re morem gesserunt Domino, quippe totum opus ipsius retulerunt εἰς δόξαν τοῦ πατρὸς, vt intelligeretur, quam benignus esset Pater, quamque salutifer hominibus per Christum. *Phil. II*, 11. reliqua.

Sed porro reuocauit discipulis in mentem, reuocarique sibi voluit, partim suum erga eos amorem plane singularem, partim vero etiam exemplum suum in

peragendo opere, sibi a Patre demandato; *versiculo nono et decimo. Quantopere*, inquit, *Pater amat me, tantopere amaui vos; quare vestrum mihi amorem conseruate; conseruabitis autem, si mandatis meis parueritis; quemadmodum ego morem gessi mandatis Patris, eumque amaui constanter.* Ac profecto si quid vnquam poterat excitare discipulos, vt lubentissimo animo satisfacerent voluntati Domini, erat profecto amor, quo eos hactenus complexus fuerat, plane singularis, cuius et constantiam, et magnitudinem testabatur, dum prouocaret ad amorem Patris erga ipsum: quam certo et quantopere me amat Pater, tam certo et tantopere amaui vos. Et quantopere Pater amaret ipsum, non poterat esse iis ignotum, cum audiuissent ex parte vocem, de coelo delapsam: *hic est filius meus, vnice dilectus.* Quantus vero et quam constans erat amor Domini erga discipulos; tantus quoque et tam constans debebat esse amor discipulorum erga Dominum. Sed exigebat simul etiam documentum amoris, plane vt fecerat in antecedente sermone, *Cap. XIV*, 15. 21. 23. et quidem eiusmodi, cuiusmodi ipse sui erga Patrem amoris edidisset. Ipse vero suum erga Patrem amorem testatum fecit obedientia perpetua et constantissima vsque ad mortem, factis declarans, se illius amori respondere amore mutuo. Hoc ipsius exemplum volebat imitari discipulos, at perseuerare vsque ad mortem in amore erga eum et in obedientia aduersus mandata eius.

Ad extremum promittit, hanc amoris et obedientiae constantiam futuram esse et sibi et discipulis caussam laetitiae liquidissimae et perpetuae; *versiculo vndecimo: haec habui, quae vobis dicerem* et a vobis teneri vellem; quae si obseruaueritis, *vos et mihi gaudio eritis perpetuo, et ipsi gaudio fruemini cumulatissimo.* Etenim de discipulis laetari poterat Dominus, cum ipsum amarent constanter; et, hoc amore impulsi,

mandatis eius satisfacerent, fructusque ferrent permultos, ad illustrandam gloriam Patris, et promouendam salutem humanam efficacissimos; discipuli vero sentiebant laetitiam multam et magnam, cum viderent fructus muneris sui vberrimos, intelligerentque, Dominum iis adesse suo Spiritu, seque ipsi et Patri acceptos esse probatissimosque.

Igitur haec omnia proprie dicta erant discipulis, tanquam Apostolis futuris, de iisque intelligenda et explicanda sunt. Possent tamen etiam accommodari ad doctores ecclesiae in vniuersum, in primis si comparentur cum iis, quae Apostoli vere praestiterunt in ministerio Domini, praestarique voluerunt a doctoribus ecclesiae omnibus. Scilicet et hi coniuncti sunt cum Christo, vt palmites cum vite, non modo per vincula communia cum Christianis omnibus, nimirum fidei, amoris et obedientiae, quatenus Christum agnoscunt et colunt tanquam Dominum, salutis auctorem vnicum, ab eoque repetunt et suscipiunt salutem suam omnem, sed etiam per vincula propria, muneris nimirum et officiorum, quatenus et ipsi sunt *ministri Christi*, qui se, vires suas omnes, vitam totam dicarunt Christo, eiusque euangelio praedicando; *administratores doctrinae diuinae*, annunciantes consilia Patris recondita de salute hominum per Christum; 1 *Cor. IV*, 1. *legati Christi*, qui personam eius sustinent, eiusque nomine et loco hortantur, vt in gratiam redeant homines cum Deo; 2 *Cor. V*, 20. *adiutores Dei* in procuranda salute certorum quorundam hominum, iis adducendis ad veram cognitionem, fidem, animi vitaeque sanctitatem et tranquillitatem, et quidem sic, vt institutionem totam superstruant fundamento posito, qui est Iesus Christus. 1 *Cor. III*, 5. *sqq.* Vt vero tales sint, talesque se praestent in munere administrando, oportet eos, *manere in Christo*, hoc est, curam omnem ponere in eo, vt non modo iuncti reperiantur Christo fide integerrima et

amore, verum etiam euangelium eius rite tradant, huius autem caput et summam putent esse Christum, salutis humanae auctorem optimum maximum, hunc statuant praedicandum esse ante omnia, ad hunc referenda omnia, huius causa et ope agenda omnia, ad ductum exempli Apostolorum, nominatimque Pauli, qui nihil maius, nihilque salubrius tradere se posse existimabat, quam *Christum, eundemque in cruce mortuum*, in tradendo hoc capite doctrinae vitam omnem consumebat, et quicquid viuebat, Christo viuebat, cui Christus erat veluti principium vitale, quod ipsum animabat ad agendum, quicquid ageret; qui: *omnia*, ait, *et in omnibus Christus*; et: *amor Christi vrget nos*. 1 *Cor. II*, 2. *Gal. II*, 20. *Col. III*, 11. 2 *Cor. V*, 14. Etenim *sine Christo*, hoc est, seiuncti a consortio Christi per talem fidem et amorem, et neglecto capite de Christo, fructus proferre, ecclesiae christianae salubres esse, nullo modo possunt. Habent denique *incitamenta grauissima*, in muneris euangelici grauitate et salubritate, in amore Christi aduersus homines, in spe auxilii, vt a Domino eiusque Spiritu, ita quoque a Patre, qui ministrum pigrum repudiat, probum autem et fidelem fouet, curat, beneficiis maioribus et praemiis ornat, denique in beneplacito Christi et Patris. Tali modo haec transferri commode possent ad doctores ecclesiae in vniuersum; proprie tamen ad Apostolos pertinent. Sic quoque, quae sequuntur.

Etenim inde a *versiculo duodecimo* vsque ad *decimum septimum* repetiit Dominus praeceptum de amore mutuo, quod supra, *Cap. XIII*, 34. *sq.* dederat, tanquam adiumentum, muneris Apostolici salubriter administrandi, nouisque argumentis inculcauit; atque et illud praeceptum vidimus proprie pertinuisse ad Apostolos, quippe quos volebat Dominus, vt se, futuros ministros Christi, et in tradendo euangelio socios, complecterentur amore plane singulari, ipsorumque con-

iunctionem et societatem mutuo animorum consensu conseruarent, nec eam vllo modo discindi paterentur odiis, rixis et altercationibus, quibus illo ipso tempore locum dedissent. *Vellem autem in primis*, inquit, *vt vos ametis inuicem pari modo, quo ego vos amaui.* Supra dixerat *praeceptum nouum*, quatenus maxime necessarium erat partim discipulis ipsis, in quibus animaduerterat Dominus arrogantiae et discordiae vestigia, partim ad munus ipsorum salubriter administrandum et ecclesiam Christi fundandam ac constituendam. Hic appellauit praeceptum, quod prae ceteris obseruari ab iis vellet, summam praeceptorum suorum. Exigebat vero amorem non vulgarem, sed eximium, nempe eiusmodi, quo ipse eos hucusque erat complexus, hoc est, constantissimum et efficacissimum, quo maior inter homines esse non posset.

Nam subiecit haec *versiculo decimo tertio et quarto: amorem maiorem nemo praestiterit, quam qui vitam impendat amicis. Amicos meos praestabitis vos, modo morem gesseritis meis mandatis.* Explicat igitur, quid sibi voluisset, cum diceret: *sicut amaui vos.* Amabat enim sic, vt pro aliis vitam profundere non dubitaret; quod est documentum amoris summi. Ac talem, tam constantem et efficacem amorem, qui aliorum causa mortis periculo se obiicit, exigebat a discipulis, et quidem propter hanc causam, quoniam ipse amare alios soleat tali modo. Sed per hunc ipsum suum erga alios amorem adhortatur discipulos denuo, sicut fecerat *Cap. XIV*, 15. 21. *sqq.* vt suum erga Dominum amorem testentur obedientia promta, mandatis ipsius, ratione muneris Apostolici, praestanda; haec enim sunt: *ὅσα ἐγὼ ἐντέλλομαι ὑμῖν*, vt in locis laudatis: *αἱ ἐντολαί.*

Sed prouocauit Dominus ad alia quoque amoris sui documenta, Apostolis in primis exhibita, *quinto et decimo versiculo: vos tractaui non tanquam seruos, seruo consilia domini manifestari non solent, sed tanquam*

amicos, quippe vobis patefeci consilia Patris, exsequenda per me. Reuocauit discipulis in mentem, reuocarique ab iis voluit, quomodo inter eos hactenus fuisset versatus, scilicet non tanquam dominus cum seruis, sed vt amicus cum amicis, alienus a fastu et arrogantia, parem sibi habens amicum, ei nihil celans, pectoris quoque abscondita ei patefaciens. Seruus nescit, quid facturus sit dominus, cum seruo non agere solet dominus familiariter, consilia sua ei non manifestat, nec rationem reddit iussorum suorum; id amicus amico facere solet; idque fecerat Dominus discipulis; hi erant apud ipsum velut interioris admissionis; his explicabat explicareque poterat τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, *Matth. XIII*, 11. *Luc. VIII*, 10. hoc est, futura regni sui fata, per similitudines adumbrata, reliquis, qui dicuntur οἱ ἔξω, *Marc. IV*, 11. non item; his annunciabat in primis sua ipsius fata futura, mortem, resurrectionem, abitum ad Patrem, eorumque consilia. Atque hoc sibi voluit Dominus, cum diceret: ὅτι πάντα, ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου, ἐγνώρισα ὑμῖν: nam intellexit non doctrinam suam vniuersam, sed consilia Patris abscondita, pertinentia ad Dominum eiusque opus salutare. Iam quali modo Dominus tractauerat discipulos, tali modo volebat, vt tractarent se inuicem, nempe instar amicorum, intime iunctorum, et communia omnia habentium. Caeterum τὸ· οὐκέτι expressum extat in libris editis tanquam vocabulum duplex: οὐκ ἔτι, atque explicatur: non amplius; vnde orta est interpretatio vulgaris: *non amplius vos seruos dicam*; quae vel propterea locum habere non potest, quoniam tali modo talique sensu Dominus discipulos appellauerat nunquam; vtraque vox autem apud interpretes Alexandrinos, atque adeo apud scriptores Graecos, vsurpatur pro simplici negatione: οὐκ, vt iam notauit GLASSIVS *Philol. S. p.* 379. *edit. Dathii.* Sic 2 *Cor. I*, 23.

Non vos delegistis me, sed ego vos, vosque destinaui, vt fructus proferretis, eosque perpetuos; atque Pater, quaecunque petieritis in causa mea, vobis largietur. Iubebat Dominus discipulos, meminisse, quanto ipsos amore, prae reliquis hominibus sui temporis, amplexus fuerit, quantoque beneficio ornauerit, dum eos in numerum discipulorum suorum adsciuisset volens et vltro, eiusmodi quid non promeritos. Neque enim illi eum selegerant magistrum, ducem, amicum, sed Dominus eos selegerat discipulos, comites, amicos; non illi fecerant initium coniunctionis mutuae, sed Dominus; non illi prouocauerant Dominum ad amicitiam beneficiis, sed Dominus eos. Verum docebat quoque, quonam consilio id fecisset, scilicet, se eos destinasse, (*ἔθηκα ὑμᾶς*,) vt, suscipiendo munere apostolico, tradendoque euangelio, fructus proferrent ad salutem generis humani. Hi enim sunt fructus illi, quos Dominus intellexit hoc loco, nempe fructus muneris apostolici, pertinentes non tantum ad homines illorum temporum, Iudaeos et Gentiles, sed ad homines temporum sequentium omnium, atque adeo ad genus humanum vniuersum; et fructus quidem nunquam perituros, sed duraturos vsque ad finem rerum humanarum, *καὶ ὁ καρπὸς ὑμῶν μένει.* Ac profecto fructus eiusmodi protulerunt Apostoli, praedicandoque euangelio in orbe terrarum, ecclesiam Christi fundando et propagando, doctrinam diuinam literis consignando et id genus aliis modis, commoda attulerunt vniuerso generi humano, eaque perpetua et duratura vsque ad finem rerum humanarum, in hoc saeculo non tantum, sed etiam in altero. Ac tales fructus poterant afferre, auxilio sancti Spiritus sustentati; neque enim esse, inquit Dominus, quod Pater largiri non possit et in causa sua largiri velit; rursus enim sermo est, quemadmodum *Cap. XIV*, 13. *sq.* non de precibus in vita quotidiana, sed in causa Christi. Caeterum verbum *ὑπάγειν* vel redundat,

vel exprimit voluntatem Domini, vt circumeundo per orbem terrarum docerent euangelium non in certo aliquo loco, sed vbique.

Verum commoda eiusmodi, et saluberrima humano generi, et perpetuo duratura, si afferre vellent, opus erat vel maxime amore mutuo, concordia aliisque inseruiendi studio indefesso. Atque id denuo inculcavit Dominus discipulis *versiculo septimo et decimo: haec praecipio, vt vos inuicem ametis.* Neque etiam eo consilio haec de suo erga discipulos amore commemorauerat, vt illis exprobraret beneficia, sed vt, amore ipsius prouocati, diligerent se inuicem eo ardentius, et coniunctis viribus adferre niterentur fructus perpetuos.

Iam venit Dominus ad calamitates, propter nominis sui professionem imminentes discipulis, atque, vt eas constanter perferant, hortatur, suoque exemplo consolatur: *Saeculi huius odia si experiamini, mementote, ea et me fuisse perpessum.* Haec Dominus commemorauit, ne mirarentur discipuli, si innocentia et sanctitas ipsorum tueri eos non posset ab odio saeculi, nec indignum putarent ipsorum persona, in his terris perpeti, quae ipse fuerit perpessus. Mea me innocentia, dicere voluit, tueri non potuit ab huius saeculi odiis, ita nec vestra; me persecuti sunt insidiis vsque ad mortem, ita et vos. Per τὸν κόσμον autem facile quisque videt, et *versiculus secundus et vicesimus* euidenter docet, intellexisse Dominum saeculi sui, in primis Iudaeorum improbitatem ac peruersitatem. Conf. *Cap. XIV*, 30.

Cuius odii causam explicat *versiculo vndeuicesimo: si essetis de saeculo hoc, saeculum vos tanquam suos amaret; quoniam vero de hoc saeculo non estis, sed ex hoc saeculo selecti a me, non potestis non incurrere in eius odium.* Formula: ἐκ τοῦ κόσμου εἶναι, vsus erat Dominus supra, *Cap. VIII*, 23. de Iudaeis, hominibus mundanis, hoc est, amantibus et appetentibus non nisi

bona terrena, diuitias, honores, etiam regnum et felicitatem huius mundi. Alteram autem: *ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ εἶναι*, vsurpauerat in eodem loco de se, quatenus coelestia spirabat, parabat, promittebat. Iam discipuli non erant de hoc saeculo, quatenus segregauit eos Dominus ab illius saeculi grege, et ad suam disciplinam admisit, iisque instillauit, et instillare voluit per suum Spiritum opiniones et sensus coelestes, regni sui ciuibus et praeconibus dignos. Tales cum essent, cumque secessissent a partibus hominum infidelium, et partes Christi sequerentur, non poterant non iis esse exosi. Similis simili gaudet.

In eadem admonitione perrexit Dominus versiculo sequente: *memores estote effati mei: non potior est seruus domino. Me si persecuti sunt, persequentur et vos; si meam doctrinam admisissent, admissuri essent et vestram.* Scilicet Dominus iam in aliis sermonibus, ad eosdem discipulos habitis, *Matth. X*, 24. *Io. XIII*, 16. eodem exemplo vsus erat, seruum non esse melioris conditionis domino, immo vero contentum esse debere, si cum domino eodem loco habeatur. Id effatum denuo iis in memoriam reuocauit, eiusque memores esse voluit, ne indigne ferrent iniurias ipsis illatas, aut mirarentur, si eiusmodi quid acciderit ipsis, suis discipulis et operis adiutoribus, quod accidisset eorum magistro ac domino, vt potius hoc ipsius exemplo se consolarentur. Habent autem profecto verba vltima, quoniam in iis deesse videtur particula negandi, difficultatem aliquam. Quare interpretes nonnulli verbum *τηρεῖν* putant positum esse pro: *παρατηρεῖν*, quod denotat: obseruare insidiose, animo infesto et ad nocendum parato, vno verbo: insidiari. Hinc sensus esset hic: vt sermonibus meis insidiati sunt, ita et vestris. Atque sic quidem verbum ipsum *παρατηρεῖν* vsurpatum legitur, *Marc. III*, 2. *et Luc. XIV*, 2. verum formula: *τηρεῖν τὸν λόγον*, illo sensu in N. T. reperitur nuspiam, sed

potius semper denotat: doctrinam admittere et observare. Quare alii existimant, haec verba dicta esse in solatium discipulorum, hoc sensu: vt meam doctrinam admiserunt, ita et vestram admittent. Erunt quidem, qui meam vestramque doctrinam repudient; neque tamen etiam deerunt, qui, vt meam, ita et vestram recipiant. Verum huic interpretationi repugnare videtur contextus. Atque huic quidem conuenientissimum videtur esse, verba haec interpretari sic: si suscepissent me docentem, susciperent et vos; quod idem esset, ac: vt repudiarunt me, ita repudiabunt vos.

Alias huius rei causas affert Dominus *versiculo vicesimo primo: sed haec omnia facient vobis propter me, et quoniam non cognoscunt eum, qui me misit.* In his breuiter locutus est Dominus. Primum dicit, discipulos afflictum iri tot ac tantis malis, *διὰ τὰ ὄνομά μου*, odio nominis mei; odio habebant Christum, ergo et eos, qui nomen eius profitebantur. Refert igitur ad se, quicquid mali inferendum sit discipulis, seque, ait, id susceptурum esse sic, tanquam ipsi fuerit illatum. Porro dixit: *ὅτι οὐκ οἴδασι τὸν πέμψαντά με.* Vt igitur malum omne, discipulis illatum, ad se refert; ita, quicquid aduersus ipsum committatur, ad Patris contumeliam pertinere docet. Nesciunt Patrem, quamuis eum se nosse glorientur. Patrem si nossent, eiusque consilia de salute hominum per Filium suum, non repudiarent hunc Filium, ab ipso missum.

Iam docet, quantopere tali modo peccent Iudaei; nam de his manifeste loquitur, atque hi sunt, quos *vers.* 18. appellauit *τὸν κόσμον*. *Nisi ego*, inquit, *venissem ad eos, et inter eos docuissem, peccassent excusatius; nunc non habent, quod sceleri suo protendant.* Igitur ista ignorantia Patris non poterat excusare eorum *ἀπιστίαν*. Ignorabant Patrem, eiusque consilia de salute hominum per Filium suum; sed poterant agnoscere ex institutione Domini et ipsorum prophetarum.

Non agnoscebant, quia agnoscere nolebant. Quare non habebant, quo excusare possent suam improbitatem.

Me qui aspernatur, aspernatur Patrem; id enim denotat verbum μισεῖν. Denuo ad Patrem refert Dominus, quicquid iniuriarum afferatur ipsi ab aliis. Me qui non amat, nec Patrem amat, eiusque consilia sapientissima et saluberrima. Me qui non colit, nec Patrem colit. Me qui repudiat, repudiat Patrem, cuius auctoritate loquor, quae loquor, cuius iussu facio, quicquid facio. Tanta fiducia loquebatur Dominus de opere suo, tanquam Patris, adeoque plane diuino! Ac tantopere peccant in Dominum non tantum, verum in Patrem, qui Iesum contemnunt!

Porro nisi miracula edidissem inter eos, cuiusmodi nemo vnquam edidit, minor esset eorum culpa; nunc cum ea viderint suis oculis, et tamen aspernati fuerint me meumque Patrem, plane sunt inexcusabiles. Hic nouo argumento demonstrat Dominus improbitatem Iudaeorum. In antecedentibus dixerat, se venisse in has terras, vixisse inter Iudaeos et docuisse, atque tentasse omnia, quae eos possent adducere ad fidem et reuocare ad mentem meliorem. Hic ad miracula sua prouocat; haec enim sine omni dubitatione intelligenda sunt per τὰ ἔργα. Inde vero patet euidenter, non modo vere edidisse Dominum miracula, et quidem, vt hoc loco diserte dicit, tot ac tanta, quot et quanta ante ipsum omnium prophetarum nullus vnquam ediderit, verum etiam miracula eius habuisse consilium sapientissimum hoc, vt, quicunque ea videndi occasionem haberent, allicerentur ad eum audiendum et suscipiendum, tanquam legatum, a Deo missum, et auctoritate virtuteque diuina agentem. Conf. *Cap. II*, 23. 24. *V*, 56. *X*, 38. *XIV*, 11. Huius improbitatis Iudaeorum mentionem fecit Dominus non sine causa, sed vt ostenderet, eius culpam quaerendam esse vnice in Iudaeis, atque vt moneret discipulos, quemadmodum fecit statim,

Cap. XVI, 1. ne offendi se paterentur hac improbitate.

Ac propter eandem causam *versiculo quinto et vicesimo* subiecit haec: *atque ita valet quoque hic, quod est in libris eorum sacris, nempe: me oderunt sine causa.* Haec verba petita esse ex *Ps. LXIX*, 5. constat quidem; sed quaeritur, num contineant vaticinium de Messia eiusque aduersariis, an effatum Dauidis de se suisque inimicis. Alterum si locum habet, vt omnino videtur probabile, Dominus verba Psalmi, tanquam sententiam generalem, transtulit ad se, atque ostendere voluit, in se quoque ratum factum esse, quod extaret in libris sacris, quodque confirmaret experientia, pro amore odium, pro bene factis male facta rependi, optime merentem contemni ab hominibus, et quidem δωρεὰν, sine causa, temere, non prouocatis male factis, sed potius bene factis ad amorem excitatis. Similis sententia extat quoque *Ps. XXXV*, 19. Quoniam vero Dominus prouocauit ad libros sacros, vel inde patet, sermonem esse de Iudaeis eorumque malignitate, atque hos intelligi per τὸν κόσμον.

Verum hunc sermonem, ingratum sibi, et tristem discipulis, mitigauit Dominus per sequentem promissionem *versiculo vicesimo sexto et septimo: sed cum venerit opitulator, quem ego vobis mittam a Patre, spiritus veritatis, a Patre proficiscens, is testabitur de me; atque et vos de me testabimini, qui conuersati fuistis mecum ab initio.* Scilicet in antecedentibus questus erat Dominus de improbitate Iudaeorum, qui ipsum, quamvis docentem eos, et miracula maxima inter eos patrantem, non admisissent, immo vero odiis et inimicitiis prosecuti, repudiassent. Similem sortem denunciavit Apostolis. Sed iam animos eorum erigit laeta spe, fore, vt quamuis repudiatus a multitudine, tamen suscipiatur ab aliis et agnoscatur tanquam Seruator humani generis, a Patre missus in has terras; idque euen-

CAPVT XVI.

Sed denuo recurrit Dominus ad calamitates, discipulis imminentes, quo magis muniret eorum animos, ne perturbarentur, cum ipsis acciderint subito impetu praeter exspectationem. *Haec praedixi vobis*, quae scilicet denunciauit, inde a *versiculo duodeuicesimo* antecedentis Capitis, de odio Iudaeorum, et de malis, ab iis perferendis, *ne offenderemini*, hoc est, ne deterreri vos pateremini a professione mei nominis. Etenim *σκανδαλισθῆναι* in specie dicebantur ii, qui conditione Domini externa, eaque humili et paupere, decepti, peruerse de eo iudicarent, saltem dubitarent de eo, eiusque legatione diuina, aut calamitatibus imminentibus eo se adduci paterentur, vt a professione nominis ipsius desciscerent.

Atque calamitatum eiusmodi exempla quaedam nominatim commemorauit Dominus *secundo versiculo: exterminabunt vos ex sua societate; immo vero res veniet eo, vt, quisquis vos interfecerit, se Deo gratum fecisse putet.* Primum nominauit excommunicationem, quae fuit poena infamiae apud Iudaeos, vt vidimus ad *Cap. IX*, 22. cum, qui in crimen aliquod graue prolapsi fuerant, in primis contra religionem et disciplinam ecclesiasticam, excluderentur tanquam exsecrabiles et pestilentes, non tam sacris communibus, quam consuetudine et familiaritate cum Iudaeis, haberenturque non amplius pro membris populi Iudaici, sed instar paganorum et portitorum. Deinde nominauit periculum capitis. Ac profecto eo insaniae progrediebantur Iudaei, vt Apostolos a religione defecisse, adeoque dignos putarent poena capitis, existimantes, se agere causam religionis, atque adeo cultum exhibere Deo, si eiusmodi homines

e medio tollerent; cuius rei exemplum extat in Stephano, in primisque in Paulo Apostolo, vt constat ex Actis Apostolorum. *Cap. VI*, 13. *XV*, 1. *sqq.* Etenim in formula: *λατρείαν ποιεῖν*, genus dicitur pro specie, cultus pro victima; nam victimas dicebant *προσφέρειν*. Vnde reddi potest vel: Deo victimam offerre; vel: Deo cultum praestare.

Verum vbi tristia denunciat Dominus, addit simul etiam solatium. *Haec facient vobis, quoniam nec Patrem norunt, nec me.* Non sua causa discipulis perpetiendae erant istae calamitates, tanquam malefici essent et poenis digni, sed Patris et Domini causa; plane enim Iudaei ignorabant Patrem, eiusque consilia et decreta de salute humani generis, multo magis Filium, eiusque opus salutare. Conf. *Cap. XV*, 21. Hanc calamitatum futurarum causam volebat Dominus, vt discipuli in memoriam reuocarent, semperque cogitarent, se Patris et Christi causa pati, et vero etiam inde colligerent, Patrem et Filium non defuturos esse, vt iis opem ferant, aduersariis vero resistant, ipsas autem calamitates non dedecori sibi ducerent, sed honori; id quod fecisse quoque constat Apostolos. *Act. V*, 41. *Rom. VIII*, 31. *ss. Iac. I*, 2. 1 *Petr. IV*, 12. *sqq.* reliqua.

Volebam autem, vos praemonere de his, vt, quando euenerint suo tempore, recordemini, ea me vobis praedixisse, cum antea, quamdiu vobiscum conuersarer, ea vobis non aperuerim. Ac de calamitatibus, propter professionem nominis sui perferendis, satis superque Dominus suos discipulos monuit statim ab initio, cum eos sibi iungeret, et nominatim, cum eos mitteret ad euangelium praedicandum in Iudaea. *Matth. X*, 16. *sqq.* Sed de calamitatibus, etiam post suum discessum perferendis ab Apostolis, non opus erat praemonere, quam diu versaretur inter eos. Eas vero nunc, cum instaret tempus, ab iis discedendi, celare eos amplius non poterat.

Sed erat etiam alia causa, quae vehementer perturbaret animos discipulorum, nempe discessus Domini, de quo sermonem fecit *versiculo quinto* et sequentibus. *Iam vero discedam ad eum, qui me misit; vos quidem non quaeritis ex me, quonam sim abiturus, quin potius, cum haec dixerim, tristitia impleuit animos vestros.* De hoc discessu suo in his ipsis sermonibus vltimis aliquoties iam locutus erat cum discipulis, docueratque etiam, quonam esset profecturus, nimirum ad Patrem, qui ipsum misisset. *Cap. XIV*, 2. *sqq*. Atque etiam discipuli, eorumque nomine Petrus, *Cap. XIII*, 36. diserte iam interrogauerant ipsum, quonam esset abiturus; et Thomas, *Cap. XIV*, 5. conquestus erat, se nescire, quo abire vellet. Quare denuo quaerendi de hoc discessu, nulla adesse videbatur necessitas. Neque tamen propterea taxabat discipulos hoc loco, sed potius, quoniam ita se dedissent tristitiae, vt de causis et commodis huius discessus nec ipsi cogitarent, nec accuratius a Domino edoceri cuperent. Atque id voluit Dominus his verbis indicare.

Iam igitur de causis et commodis sui discessus instituit discipulos *versiculo septimo* et sequentibus. Ac primum quidem docet, discessum suum iis ipsis futurum esse longe saluberrimum. *Sed credite mihi*, inquit, *salubrem vobis fore meum discessum; nisi enim discederem, non posset venire ad vos opitulator, eum vero, vbi discessero, mittam vobis.* In his verbis locutus est Dominus de salubritate discessus sui, non ratione hominum omnium, sed ratione discipulorum. Vsi enim erant discipuli hactenus disciplina Domini et consuetudine, iis suauissima et saluberrima, nihilque magis optare poterant, quam vt ea frui possent perpetuo. Aliter visum erat Domino; neque enim diutius versari volebat cum iis in his terris, sed potius suam consuetudinem iis subtrahere. Quare eos, propterea moerentes, docuit, multo vtilius iis futurum esse, si ab iis dis-

cederet, quam si longius apud ipsos maneret. Etenim sanctus Spiritus, quem iis immisit, multo maiora effecit in iis, quam efficere poterat Dominus ipse, vt iam *Cap. XIV*, 12. 16. innuebat; largiebatur iis non modo vberiorem de Christo scientiam, quam qua ipse eos poterat imbuere, verum etiam multa alia dona, eaque excellentissima, ad munus apostolicum administrandum necessaria, suppeditabat facundiam, cui nemo posset resistere, et vim potestatemque ad edenda miracula, quo efficacius esset ipsorum de Iesu testimonium, fortes quoque et inuictos reddidit imbecilles eorum animos aduersus omnia aduersariorum terricula. Quam diu vtebantur disciplina Domini, non opus habebant magistro et adiutore alio; neque tamen pares erant, vt est *versiculo duodecimo*, capere institutionem eius, in primis de consiliis diuinis ad salutem generis humani per Christum, immo vero vsque ad mortem eius fouebant opiniones praeconceptas, spemque de regno eius mundano. Hanc inanem spem tum demum eripi sibi patiebantur, postquam Dominus discesserat ex his terris, sanctumque Spiritum iis immiserat. Et quod ad eos ipsos attinebat, aequum erat, vt se accommodarent ad consilium Domini. Itaque saluberrimus erat discessus discipulis ipsis.

Verum etiam causae Domini in vniuersum; de quo locutus est Dominus inde a *versiculo octauo* vsque ad *vndecimum*. Perrexit enim hoc modo: *qui cum venerit, manifestabit mundo peccatum, innocentiam et poenam; et peccatum quidem, quoniam me repudiarunt; innocentiam, quoniam abeo ad Patrem meum, neque vobis amplius conspicuus ero; poenam, quia destructa est potestas principis huius mundi.* In hoc loco, paululum difficiliori, primum sumere possumus hoc, per τὸν κόσμον, vt in his sermonibus Domini vniuersis, intelligi in primis mundum Iudaicum; de quo vidimus ad *Cap. XII*, 31. Deinde in promtu est, verbum ἐλέγχειν

habere significatum hunc, vt denotet: persuadere argumentis, vt alter verum agnoscere et fateri cogatur, atque adeo, monstrare, manifestare, vti magister quisque in sua arte dicitur ἐλέγχειν, quando argumentis demonstrat, rem aliquam ita se habere, ne amplius de ea dubitari possit.

Iam vero quid per τὴν ἁμαρτίαν intelligatur, patet ex additamento: ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ. Igitur ἡ ἁμαρτία est ἀπιστία Iudaeorum; et verba: ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, habent sensum hunc: manifestum reddet, quam grauiter peccauerint Iudaei, dum me repudiarunt; id quod profecto erat peccatorum omnium atrocissimum. Et quomodo hoc effectum fuerit, historia docet. Scilicet misso sancto Spiritu, et Apostolis Iesum praedicantibus, multa millia Iudaeorum conuincebantur erroris et peccati, adducebanturque eo, vt Iesum tanquam Messiam agnoscerent et fateri cogerentur, Iudaeos, dum Iesum repudiassent, insectati fuissent, in crucem egissent, peccasse longe grauissime. Prima oratio Petri, statim die pentecostali post immissionem sancti Spiritus ad Iudaeos habita, in qua demonstrauit, Iesum, ab ipsis in cruce necatum, esse Dominum et Messiam, tanta vi percussit animos audientium, vt illo ipso die tria millia transirent ad partes fidelium. *Act. II*, 14. *sqq.* Atque id est, quod Dominus dicebat: ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας.

Porro vocabulum: δικαιοσύνη, quidnam denotet hoc loco, itidem intelligi explicarique potest ex ratione subiecta: ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μου ὑπάγω καὶ οὐκ ἔτι θεωρεῖτέ με. Etenim Dominus post mortem videbatur causa sua cecidisse, talisque esse, qualem clamabant Iudaei, homo rebellis, impostor, rex Iudaeorum opinatus. Sed postquam redierat e morte in vitam coelosque conscenderat, tum demum intellectum est, eum esse iustum, sanctum, innocentem, immo vero, quem se erat professus, Filium Dei, missum Seruatorem humani gene-

ris. Quodsi is non fuisset, Deus eum nec reuocasset e morte, nec in coelum recepisset, nec sanctum Spiritum misisset. Ad hoc documentum maiestatis suae euidentissimum prouocauit Dominus ipse in hoc Euangelio, veluti *Cap. VIII*, 28. cum diceret, *quando me extuleritis in crucem, tum intelligetis, me esse eum, quem dixi*; itemque *Cap. XII*, 32. prouocaruntque Apostoli saepius; vt *Act. II*, 22. *sqq. XVII*, 31. *Rom. I*, 4. 1 *Cor. XV*, 14. *sqq.* 1 *Tim. III*, 16. reliqua. Atque haec est hoc loco δικαιοσύνη, nempe sanctitas et innocentia Christi; nam ad eum est referenda. Haec manifesta reddebatur, cum Apostoli, illuminati a sancto Spiritu, praedicarent inter omnes gentes, ac primum inter Iudaeos, Iesum, quem contemserant, conuiciis lacessiuerant, ad mortem damnauerant tanquam rebellem et impostorem, cruci affixerant, sepeliuerant, hunc eundem Iesum rediisse e morte in vitam, ad Patrem profectum esse, ornatumque gloria et maiestate diuina. Igitur verborum: ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ δικαιοσύνης, sensus est hic: efficiet, nimirum per Apostolos, vt mundus, in primis Iudaicus, intelligat, qualis ego et quantus sim. Atque id discipuli et ipsi tum demum plane et perspicue cognoscebant, cum Dominus non amplius versaretur inter eos homo tenuis, visibili corpore, et tamen sentirent ipsum viuum ac potentem, nihilque non praestantem eorum, quae esset pollicitus; id quod Dominus innuere voluit verbis his: καὶ οὐκ ἔτι θεωρεῖτέ με.

Denique quidnam denotet κρίσις, etiam iudicari potest ex verbis, quae subiecit Dominus: ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται. Sed per τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου, vidimus supra ad *Cap. XII*, 31. intelligi omnes eos, quicunque tum inter Gentiles, maxime autem inter Iudaeos, vim haberent potestatemque, qua impedirent propagationem euangelii, nominatim principes Iudaeorum, Pharisaeos, legis peritos, sacerdotes. Hi enim erant in primis, qui se Domino opponere, eum e

medio tollere, populum ab eo auertere, atque impedire omni virium contentione tentabant, quo minus agnosceretur tanquam Messias. Sed hic *ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου* damnabatur, *κέκριται*, quatenus eius vis ac potestas frangebatur, aut imminuebatur, adeoque odia eius, facta et consilia vana reddebantur atque irrita. Idque factum est per Spiritum sanctum, ministerio Apostolorum, dum docerent, Iesum esse Messiam vnicum et verissimum, finem habere oeconomiam Mosaicam, non opus esse amplius ritibus, a lege praeceptis, vnam viam tenendae salutis esse fidem in Christum. Atque ita, quamuis resisteret princeps mundi, tamen euangelium Iesu Christi tradebatur vbique, Hierosolymis, in Palaestina, in toto orbe terrarum, eiusque regnum propagabatur, vicissim vero vis ac potestas improbitatis Iudaicae frangebatur, in primis destructo templo et euersa republica Iudaica; *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται*. Hanc interpretationem huius loci paulo difficilioris putaremus reliquarum omnium maxime probabilem, vtpote vsui loquendi optime conuenientem, atque euentu et experientia comprobatam.

Sane paulo obscurius loquebatur Dominus. Sed ea vberius explicare, aut plura addere, quamuis voluerit, non poterat propter imbecillitatem discipulorum, tum quoque praeconceptis opinionibus, in primis de Messia eiusque regno occupatorum, neque adeo caput et summam doctrinae, ipsis traditae, nempe de Christo, eiusque opere salutari, plane percipientium. Quare amandat eos ad sanctum Spiritum eiusque institutionem vberiorem. *Haberem alia multa*, inquit, *quae vobis dicerem; sed vos iis capiendis nunc non estis pares. At vero ille, spiritus veritatis, cum venerit, ducet vos ad veritatem ipsissimam; neque enim tradet ex se hausta, sed aliunde accepta; quin et futura vobis aperiet.* Etenim *πᾶσα ἀλήθεια* scriptoribus graecis est, non: omnis veritas, sed: veritas ipsa, mera, absoluta, ita distincte

et sine vlla ambiguitate, aut deprauatione declarata, vt ad perspicuitatem et intelligentiam nihil possit addi, siue: veritas praecipua, optima maxima. Igitur quando dicebat Dominus: τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, (quo nomine supra appellauerat sanctum Spiritum, *Cap. XIV*, 17.) ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, exprimere voluit non tam perfectionem et plenitudinem cognitionis, quam potius veritatem et perspicuitatem, itemque praestantiam et excellentiam, et dicere hoc: quae nunc non intelligitis, nec intelligere potestis, Spiritus tradet vobis verissime et clarissime; tradet vobis optima maxima. Sed per ἀλήθειαν intelligitur non vniuersa doctrina diuina, sed caput eius summum ac praecipuum, nimirum de Christo, eiusque persona, fatis et opere salutari; de quo vocabuli ἀληθείας significatu diximus supra ad *Cap. I*, 17. et ad loca reliqua, ibi excitata; haec enim est veritas optima maxima. Atque et hoc caput doctrinae tradidit olim Dominus discipulis; sed illi, vt est *Luc. XVIII*, 34. eorum omnium nihil intelligebant; adeo iis obscura videbantur omnia. Verum illapso mentibus eorum sancto Spiritu, ista omnia et perspicue intelligebant, et accurate aliis tradere poterant. Sed hoc sensu intellexisse Dominum πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, intelligique voluisse, patet ex sequentibus: οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ κ. τ. λ. Loquitur Dominus de sancto Spiritu more humano, tanquam legato, qui nihil quicquam debet loqui, quam quod iussus est a mittente. Vt supra dixerat, se nihil locutum fuisse, nisi quod audiuerit a Patre; *Cap. VIII*, 26. 28. *XII*, 49. 50. ita Spiritus sanctus, ait, quaecunque tradet, non suo arbitratu, sed ex mandato tradet; nihil suggeret vobis, nisi quod acceperit a me et Patre, et quod conspiret cum mea et Patris voluntate, hoc est, non nisi verissima et diuina. Sed adiecit Dominus aliquid amplius, scilicet hoc: non tantum aperiet vobis omnem veritatem de rebus praeteritis, verum etiam, quoties res postu-

labit, quae futura sunt, praedicet vobis, antequam euenerint, de quibus ego vobis nihil dixi.

Ille me illustrabit; nam de meo sumet annunciabitque vobis. Hic explicat Dominus, quidnam intellexerit per πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, et quare sanctum Spiritum appellauerit πνεῦμα τῆς ἀληθείας. Scilicet, vt vidimus, intellexit per πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν caput doctrinae de se, de sua persona, fatis, morte, resurrectione, reditu ad Patrem, atque vniuerso opere salutari; et Spiritum sanctum appellauit πνεῦμα τῆς ἀληθείας, quoniam auxilio Spiritus hoc caput doctrinae primarium in plenissima luce collocatum est. Nam dixit primum: ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, quae vobis annunciabit, desumta erunt a me rebusque meis, tradet vobis, quae pertinent ad me, instituet vos in primis de me, mea persona, conditione, opere, reliqua; tum vero etiam: ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, illustrabit gloriam meam. Gloria Domini erat partim in omnibus, quae pro ingenti amore suo fecit et passus est ad salutem humani generis, partim in conditione eius illustrissima per reditum in vitam, adscensionem in coelos et sessionem ad dextram Patris manifestata. Hanc gloriam Domini illustrabat sanctus Spiritus, cum suppeditaret discipulis cognitionem de eo vberrimam, eosque idoneos redderet ad praedicandum Iesum, atque ita eorum ministerio efficeret, vt inter Iudaeos et Gentiles maiestas Iesu innotesceret.

Iam causam affert, quare de rebus, ad ipsum pertinentibus, in primis instructurus sit sanctus Spiritus discipulos. Ita enim pertexit: *omnia, quaecunque Pater habet, mea sunt; propterea dixi, eum sumturum esse de me, vobisque traditurum.* Non vno in loco huius Euangelii declarauerat Dominus: quisquis videt me, Patrem videt; Pater in me est et ego in Patre; quae dico, non mea sunt, sed Patris; quae facio, non mea sunt, sed Patris; ego et Pater vnum sumus. *Cap. XIV*, 9. 10. 28. *X*, 30. Quibus effatis eam exprimere vo-

luisse vidimus intimum consortium inter se et Patrem, non modo ratione doctrinae, sed voluntatis, consiliorum, etiam operum et ἐνεργείας in causa salutis humanae. Idem consortium indicauit his verbis: πάντα, ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστι, adeoque dicere voluit non: doctrina mea est doctrina Patris, sed aliquid amplius, nempe hoc: quae Pater habet, habeo ego, quae vult, volo ego, quae facit, facio ego ad salutem generis humani; nihil est inter nos non commune; a Patre proficiscuntur omnia, sed nihil est illius, quod idem non sit meum, vnum consilium, vna voluntas, vnus sensus, vna ἐνέργεια, vnum idemque opus. Quibus omnibus docere voluit, causam suam esse plane diuinam et hominibus saluberrimam, adeoque maximi momenti esse, vt sanctus Spiritus ante omnia eam manifestam reddat et discipulis, et vniuerso mundo. Sed tale consortium, ait, est quoque inter Patrem et me, atque inter sanctum Spiritum; nihil quicquam est Patris et meum, quod sancto Spiritui non sit commune; quod volumus nos, Spiritus vult; quod facimus nos, facit idem Spiritus in causa salutis humani generis. Hic igitur quicquid tradet vobis, de rebus meis sumet, facietque nihil, quod non conspiret cum mea Patrisque voluntate.

Iam vero Dominus ad finem sermonum videtur properasse. Etenim denuo incipit loqui de suo discessu, proxime imminente, ac propterea discipulos consolari. *Propediem*, inquit, *non videbitis me amplius, propediem vero videbitis rursus; atque ego reuertar ad Patrem.* Vt igitur erigeret Dominus animos discipulorum moestos ob discessum ipsius, primum docet, tantum per breue tempus se ex eorum oculis discessurum, mox autem iisdem se redditurum esse; quo non obscure indicauit, se per mortem et sepulturam abfuturum esse a conspectu discipulorum, sed post paucos dies se, e morte in vitam reducem, iis conspiciendum praebitu-

rum. Atque hoc erat solatium primum. Alterum est in verbis: *ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα*, idque duplex, alterum ex parte Domini, quia per discessum suum peruenturus erat ad gloriam et maiestatem in coelis, alterum ratione discipulorum, quod, vbi ipsis conspicuus esse desierit, sedens ad dextram Patris, maiora ipsis esset largiturus. Conf. *Cap. XIV*, 28.

Verum tantus moeror occupauerat discipulorum animos, vt saepius iterata nec intelligerent, nec eorum meminissent, neque sibi persuadere possent, tam propinquum esse discessum Domini. *Discipulorum autem nonnulli quaerebant inter se, quid esset, quod diceret, propediem eos ipsum non visuros esse, propediem vero rursus visuros, ipsumque abire ad Patrem; quid est, inquiunt, illud: propediem? Nescimus, quid sibi velit.*

At Iesus, intelligens, discipulos in animo habere, vt ipsum percunctentur, praeuenit eorum interrogationem, docens, sibi notas esse arcanas animorum cogitationes. Coepit igitur vltro disserere in hunc modum: *Quaeritis inter vos, quid sit, quod dixi, vos me propediem non visuros, propediem vero rursus visuros esse.* Quod dixi, verissimum reperietis. *Vos, credite mihi, plorabitis* non ita multo post, *et lamentabimini, dum mundus gaudebit; tristitia afficiemini* ingenti, *sed tristitia vestra vertetur in laetitiam.* Etenim discipuli plorabant, lugebant, lamentabantur, cum Iesum viderent capi, damnari, cruci affigi, mori, sepeliri; *Marc. XVI*, 10. dicuntur post mortem Domini versati esse in luctu et fletu magno; Iudaei vero, hi enim manifeste hoc loco intelliguntur per *τὸν κόσμον*, laetabantur, Iesu veluti deuicto. At vero breui commutabantur rerum vices. Nam moeror discipulorum vertebatur in gaudium, gaudium mundi in moerorem. Vt mors Christi discruciabat discipulos, Iudaeos vero gaudio afficiebat; ita resurrectio Christi discipulos gaudio affecit, conturbauit vero Iudaeos. Ac propterea voluit Dominus, vt

moerorem istum breuem fortiter ferrent discipuli, spe mox secuturi gaudii.

Atque hanc breuitatem doloris, ex morte ipsius sentiendi, illustrauit pulcherrima similitudine *versiculo vicesimo primo et secundo. Vt mulier, parturiens exactis mensibus, dolorem sentit, sed, enixa infantem, mox doloris oblita, nil nisi gaudium spirat de homine, in lucem edito,* videtque, laetitiam longam emtam sibi esse dolore breui; *ita vos lugebitis quidem,* (ἔχετε pro: ἕξετε, vt habet quoque Codex Cantabrigiensis,) *sed, vbi reuisam vos* post dies pauculos, *gaudio perfundetur animus vester, quod nemo vobis poterit eximere,* quod erit constans ac perpetuum. Neque enim causa laetandi esse poterat discipulis maior et constantior, quam cum viderent eum, quem in cruce mortuum luxissent, rediuiuum ex mortuis, calamitatibus huius vitae ereptum, coelum adscendentem atque ad dextram Patris sedentem, diuina maiestate ornatum; cumque intelligerent, ea omnia euenisse consilio diuino sapientissimo benignissimoque, spectante non nisi ad salutem humani generis. Luctus breuis erat, gaudium perenne.

Discipuli, non intelligentes, quid Dominus vellet, cum loqueretur de discessu suo, suoque reditu, itemque de abitu ad Patrem, et ipsorum luctu et fletu futuro, optasse videntur, eumque rogare voluisse, vellet de his rebus mentem suam explicare euidentius. Cui desiderio non satisfecit Dominus; subiecit tamen haec *versiculo tertio et vicesimo: illo tempore nihil quicquam habebitis, quod ex me quaeratis.* Innuit tempus post resurrectionem suam et adscensionem in coelos, quo tristitia eorum commutabatur gaudio liquidissimo. Illo tempore intelligebant clare et perspicue, quid sibi voluerit Dominus, cum ipsis denunciaret discessum suum, reditumque et abitum ad Patrem, quod antea percipere non poterant; nec amplius quicquam habebant, cuius explicationem vberiorem desiderare pos-

sent. Tum satisfactum erat desideriis eorum omnibus, vbi plus sibi exhibitum videbant, quam sperauerant, aut sperare ausi fuerant. Et vbi vota eorum aliquid amplius desiderauerint, vel ad intelligendum, vel ad faciendum, cognitum habebant Patrem, quem a Domino audiuerant, nihil negare amicis eius et nomine ipsius petentibus.

Idque repetiit verbis sequentibus: *illud persuasum vobis habeatis, quicquid in causa mea petieritis a meo Patre, vobis ab eo datum iri.* Ad Patrem amandat discipulos; hunc iubet precibus adire in rebus omnibus, quibus demum opus habituri essent, siue ad intelligentiam vberiorem, siue in vniuersum ad muneris euangelici administrationem; hunc, promittit, ipsis suppeditaturum esse, quaecunque demum in hac re desiderare possent; vt et inde intelligerent, quod dixit *vers.* 27. et quod vehementer optabat Dominus, negotium, ipsis demandandum, gratissimum fore Patri acceptissimumque. Etenim per formulam: *αἰτεῖν τὸν πατέρα ἐν τῷ ὀνόματί μου,* quid intellexerit Dominus, ad *Cap. XIV,* 13. *sq.* vidimus; nempe: *precari in causa mea,* in rebus, ad me meamque causam pertinentibus. Nisi velles, vt faciunt plerique fere omnes, hanc formulam interpretari: *iussu meo, meo monitu precari,* hoc sensu: in vestris precibus potestis prouocare ad me; potestis dicere ad Patrem: Filius tuus iussit nos, te precibus adire, admandauit nos precibus nostris ad te, nobisque aditum patefecit ad te, ac promisit, te exauditurum esse nostras preces, quas eius iussu facimus. Caeterum, quod est notabile, hic preces facere iubet ad Patrem, sed loco laudato ad se; hic promittit, Patrem suppeditaturum esse, quicquid petierint, ibi, se esse daturum. Atque et inde patet, quid sit, quod supra dixerat Dominus, *vers.* 15. se habere, quaecunque habeat Pater; et *Cap. X,* 30. se et Patrem vnum esse.

Ad preces eiusmodi crebro faciendas admonuit Do-

minus discipulos *versiculo quarto et vicesimo. Hactenus in meo nomine non petiistis quicquam; petite et accipietis; ac fruemini gaudio abundantissimo.* Scilicet preces, de quibus sermo est hoc loco, pertinebant ad causam Christi, et ad ea, quibus opus erat discipulis in administrando apostolico munere. Hactenus vero causam Christi nondum in se susceperant, multo minus apostolico munere functi erant; quare sibi non poterant expetere aliquid in hac causa. Porro Dominus antea non praeceperat discipulis, vt in precibus suis ad ipsum prouocarent; quod demum fecit in sermonibus his vltimis, in quibus eos instruxit de munere gerendo; vnde et propter hanc causam precari tali modo hactenus non poterant. Iam vero suscepta causa Christi, susceptoque munere apostolico, ipsis suppeditabatur occasio creberrima, tali modo precandi. Quare Dominus iis inculcauit denuo et necessitatem et vtilitatem precandi, dum promitteret, preces eorum habituras esse hanc vim, vt impetraturi sint in gerendo munere euangelico bona ac beneficia tot ac tanta, de quibus laetari satis nunquam possint. Haec enim est ἡ χαρὰ πεπληρωμένη, nempe laetitia omnibus numeris absoluta, abundantissima.

In sequente versiculo Dominus se excusare videtur propter sermones suos, discipulis paulo obscuriores. *De his omnibus*, inquit, *vobiscum loquendum mihi fuit paullulum obscurius; instat vero tempus, quo non ita obscure loquar vobiscum, sed apertissime vos edocebo de Patre meo.* Ac sane Dominus in his sermonibus locutus erat cum discipulis veluti per aenigmata, nondum ad plenum intelligentibus, quid sibi vellet, cum diceret: abeo ad Patrem, redibo ad vos, breui post me non videbitis, sed breui post me rursus videbitis; vos lugebitis, sed tristitia vestra vertetur in laetitiam perennem. Haec dixit Dominus: λαλεῖν ἐν παροιμίαις, hoc est, vti oratione eiusmodi, quae habet aliquid obscuritatis et

difficultatis ad intelligendum. Huic opposuit τὸ ἀναγγέλλειν παῤῥησίᾳ, hoc est: loqui plane et perspicue, sine inuolucris verborum, vt facile intelligi possis. Atque hoc tali modo in posterum se locuturum esse promittit discipulis, ac vere locutus est, quando verbi causa legitur apud *Lucam*, *Cap. XXIV*, 26. 27. 44. 45. discipulis Scripturas interpretatus fuisse, exorsus inde a Mose et prophetis omnibus, atque, vaticinia omnia inter se conferens, demonstrasse, sic fuisse visum consilio Patris, vt Christus haec omnia pateretur, quae passus fuerat, et per ignominiam intraret in suam gloriam, atque ita oculos eorum aperuisse, vt, quod scriptum et actum esset, intelligerent et crederent; aut quando idem *Lucas* tradit, *Act. I*, 3. Dominum post mortem suam signis indubitatis demonstrasse, se viuere, multisque modis per dies quadraginta discipulis se conspiciendum praebuisse, eosque instituisse de regno Dei, siue, quod idem est, atque hoc loco: *de Patre*, hoc est, de consiliis Patris et decretis per Filium suum ad salutem humani generis, adeoque de vniuerso instituto Patris per Christum ad homines eripiendos miseriis peccatorum, eosque beandos.

Iam haec cognitio Patris accuratior quantam vtilitatem ipsis esset allatura, docuit sequentibus versiculis: *Illo tempore*, quo plenius vos edocuero de Patre meo, eiusque consiliis ac decretis, *preces facietis meo nomine* et bona accipietis longe praestantissima; *vt non dicam, me deprecaturum esse pro vobis apud Patrem, quippe qui vos amat sua sponte, quia me amatis atque ab eo me profectum esse creditis.* Igitur non vno modo discipulis saluberrima erat cognitio Patris eiusmodi, qualem ipsis suppeditare post mortem suam promittebat Dominus; primum, excitabat fiduciam eorum, qua instar liberorum precibus adire poterant Patrem in causa Domini, (conf. *vers.* 23. *et XIV*, 13. *sq.*) et optima quaeque ab eo exspectare atque accipere; deinde con-

firmabat eorum spem, fore, vt tanquam amici et ministri Iesu Christi grati sint atque accepti Patri; ac profecto discipulis non potuit aliquid esse maioris momenti, quam vt persuasi essent de gratia Patris aduersus ipsos in primis hactenus, quatenus satisfacerent mandatis Domini in administrando munere apostolico. Neque tamen negare voluit Dominus, se deprecaturum esse apud Patrem pro discipulis; immo vero statim pro iis deprecabatur; *Cap. XVII*, 9. *sqq.* sed asseuerabat, non opus esse, vt deprecando amorem Patris ipsis conciliaret, quoniam Pater iam per se et sua sponte eos amaret, eorumque votis ac precibus locum daturus esset volens ac lubens, iisque adfuturus suo numine ac fauore perpetuo; idque propterea, quoniam essent eius amici, nomen ipsius profitentes, et vicem eius gerentes in his terris.

Ad finem subiecit Dominus verba haec, notatu vel maxime digna: *ego a Patre profectus in hanc terram veni, nunc, relicta terra, ad Patrem reuertor.* Etenim ex his verbis patet euidenter, Dominum extitisse, antequam nasceretur, et apud Patrem fuisse, antequam veniret in has terras. Id enim indicare voluit Dominus his verbis: *ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρὸς*, non quidem: se missum esse a Patre, quam potius: se e gremio Patris profectum esse, atque inde venisse in has terras, cum humanam naturam indueret; nam addidit haec: *καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα*, redeo ad Patrem, a quo profectus sum, coelum repeto, e quo descendi. Igitur quod docuit Ioannes initio Euangelii, *Cap. I*, 1. 18. scilicet, Dominum extitisse ante mundum conditum, et apud Deum fuisse et in gremio Patris, atque adeo Deum esse, id Dominus ipse professus est hoc loco. Confer quoque *Cap. VI*, 62. 38. *III*, 13. 31.

Iam discipuli: *nunc, inquiunt, perspicue loqueris et sine aenigmate; nunc intelligimus, te scire omnia, nec opus habere, vt quis quaerat ex te quicquam; quare*

credimus, te a Deo esse profectum. Scilicet cum dubii haererent discipuli, vt est *versiculo vndeuicesimo*, quid sibi vellet, quando diceret, eos breui ipsum non visuros, breui vero rursus visuros esse, cumque in eo essent, vt mentem ipsius percontarentur, praeuenit Dominus vota eorum; inde colligebant, ipsum nihil latere quicquam, ne arcana quidem animi humani cogitata et desideria; in quo verissime putabant esse argumentum omniscientiae diuinae; inde vero porro argumentabantur, verissimum esse, quod modo dixisset, nempe se profectum esse a Patre. In qua responsione discipulorum, negari non potest, fuisse aliquid arrogantiae humanae et fiduciae nimiae, cum dicerent, se nunc intelligere sermones Domini, cum tamen *versiculo duodeuicesimo* essent professi, se sensum eorum non capere, Dominus autem inde a *vicesimo versiculo* nihil dixisset, quod non in antecedentibus dixerat decies, cumque profiteri non dubitarent, se nunc fidei suae in Dominum adeo certos esse, vt nullo modo dubitare possent, eum a Patre esse profectum.

Hanc ambitionem discipulorum coercuit Dominus *tricesimo primo et secundo versiculo*, atque, vt discerent, viribus suis diffidere, respondit hoc modo: *vosne creditis nunc?* scilicet, me a Patre esse profectum; quibus indicare voluit, fidem discipulorum non adeo certam esse, de qua gloriari possent, eosque monere, vt cauerent, ne ipsorum fides, viso Domini supplicio, deficeret, et paulo post dubitare inciperent. *En, instat tempus, immo iam adest, quo dispergamini in sua quisque* latibula, *et relinquatis me solum; neque tamen solus ero, Pater mihi aderit* suo auxilio. Praeuidet Dominus hostium impetum, suam capturam, discipulorum fugam, hosque considerat tanquam oues, demto pastore errantes, latibula quaerentes et pereundi periculo expositas. Atque id breui post factum esse a discipulis, historia passionis dominicae docuit. *Matth.*

XXVI, 31. 36. Quod tamen dolendum erat non sua, sed discipulorum causa; nam ego, inquit, non opus habeo praesidio vestro; Patrem mecum habeo; desertus ab amicis, non desolatus ero a Patre. De formula: μετ' ἐμοῦ εἶναι, vidimus ad *Cap. VIII*, 29.

Ad extremum docet Dominus, quare haec omnia dixerit discipulis, quae in his sermonibus exposuisset, scilicet eo consilio, ne perturbari se paterentur, aut exanimari tumultu, quem proxime viderint exoriri in ipsum, et in eos quoque cooriturum, vt potius exuerent omnem metum, vicissim spem et fiduciam conciperent, et bono animo essent, partim sua, partim vero etiam illorum ipsorum causa, quoniam, quaecunque demum acciderint, habitura essent euentum exoptatissimum. Etenim *haec*, inquit, *vobis dicere volebam, vt, quod ad me attinet, essetis tranquillo animo; vos habebitis quidem calamitates multas in hoc mundo; sed estote forti animo; ego vincam mundum.* Igitur primum ratione Domini nihil erat, quod formidarent discipuli; quod ad me attinet, potestis esse tranquillo animo, quamuis me videbitis ad iudicium trahi, condemnari, in cruce mori, sepeliri. Causa erat haec, quam exposuerat in proxime antecedentibus: *Pater mecum est, Pater mihi adest, Patrem habeo protectorem.* Si Deus nobiscum, quis contra nos? Etenim vocabulum εἰρήνης denotat animi tranquillitatem, animum fiducia plenum, imperterritum; et ἐν ἐμοὶ est loco: περὶ, seu: ἕνεκα ἐμοῦ, ratione mei, vel, quod attinet ad me. Deinde nec discipulis, quamuis eos manerent calamitates multae et graues, metuendum erat quicquam, et quidem propterea: ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον. Per τὸν κόσμον autem rursus intellexit in primis Iudaeos. Hi enim erant praecipue, non tantum in Palaestina, sed in omnibus locis orbis terrarum, vbicunque essent dispersi, qui discipulos afficerent calamitatibus grauissimis. Sed hunc mundum, inquit, vici. *Vincere* dicuntur ii, qui hostibus

superiores discedant, eorumque impetus irritos reddant, ne nocere iis possint. Iam Dominus vicit mundum, primum in sua ipsius causa, vt dixerat supra, Cap. *XIV*, 30. *XVI*, 11. deinde vero etiam ratione discipulorum, quatenus vi et omnipotentia sua irrita reddebat praua consilia Iudaeorum aduersus Apostolos, vimque eorum reprimebat, ne nocere ipsis, aut causae eorum, vllo modo possent.

Atque hi sermones Domini videbuntur homini christiano vnicuique maxime notabiles. Sunt sermones eius vltimi, quos habuit eo ipso die, quo tradebatur in potestatem hominum, et veluti in momento mortis. Loquitur tanquam proxime moriturus, suisque valedicturus; neque tamen meminit mortis, nec crucis; mortem appellauit abitum ad Patrem, crucem suam glorificationem. Et quod ad discipulos attinet, iis veluti aperuit cor suum, amore plenissimum. Tali modo hucusque non locutus erat cum iis, ea παῤῥησίᾳ, eoque animo, vt amicus cum amicis. Dixit, quae iis scitu essent necessaria partim de suis ipsius, partim de eorum fatis futuris, instituit eos de munere, post mortem suam ipsis committendo, tradidit iis vices suas, inter homines in posterum suscipiendas, admonuit eos ad amorem mutuum et concordiam in gerendo munere in primis, instruxit aduersus imminentem malorum procellam, consolatur reditu suo, proxime futuro, amore Patris, plane singulari, et immissione sancti Spiritus, promittit ipsis loco tristitiae praesentis laetitiam perennem.

In vniuersum notatu dignum est, Ioannem in Euangelio suo de rebus Christi vltimis exposuisse vberius, quam fecerunt Euangelistae reliqui. Pauca tantum, sed magni momenti, verba fecit de aduentu Domini in has terras. Pauca, sed praeclare facta, sermonesque illustriores ex tribus annis eius vltimis literis consignauit; in maxima parte operis egit de diebus vitae Christi vltimis, quae locutus fuerit, quid fecerit, quo-

modo se gesserit, vt intelligeretur, Iesum fuisse aeque venerabilem in morte, atque in tota vita sua.

Sed quod est maximum, hi sermones Domini valde accommodati sunt consilio Ioannis in scribendo Euangelio. Continent enim argumenta et euidentissima et illustrissima partim de personae Iesu maiestate diuina, partim de operis eius praestantia admirabili; quod vtrumque demonstrare voluit Ioannes ex ipsis effatis et factis Domini. In his enim sermonibus declarauit pluribus modis, quis et qualis esset, veluti, cum diceret, Patrem videre, qui ipsum videat, Patrem in ipso esse et se in Patre, habere se, quae Pater habeat, facere, quae faciat Pater, exiisse se e gremio Patris, et venisse in has terras, nunc vero redire ad Patrem, a quo fuerit profectus, effata sua non sua esse, sed Patris, opus suum non suum esse, sed Patris, venisse se, non tantum, vt doceret, sed vt vitam poneret pro aliis, eum se esse, per quem vnice via pateat ad vitam aeternam, et quae sunt eius generis alia; ex quibus patet manifeste, quod demonstrare volebat Ioannes, Iesum esse Filium Dei verissimum et humani generis Seruatorem.

CAPVT XVII.

His sermonibus finitis, coepit Dominus statim, in eodem loco, eodemque tempore, praesentibus et audientibus discipulis, clara voce preces facere, e quibus, nisi Iesum nosses, posses cognoscere et personae eius maiestatem, et animi magnitudinem atque aduersus genus humanum amorem ingentem, operisque infinitam excellentiam. Erat in eo, vt obuiam iret calamitatibus atrocissimis et supplicio ignominiosissimo in cruce; sed de his nihil est in his precibus, horum nullam mentionem fecit; vnus et totus est in cogitanda salute humana; hanc vnam contuetur; huius vnius causa precatur. Nam et quae sibi expetiit a Patre, ea quoque refert ad salutem humani generis. Locutus autem est primum de se, *a versu primo vsque ad quintum;* deinde de discipulis, *a sexto versiculo vsque ad vndeuicesimum;* denique de fidelibus omnibus, *a versu vicesimo vsque ad finem Capitis.*

Etenim *Iesus cum haec locutus esset, precatus est hunc in modus: Pater, tempus adest, illustra tuum Filium, vt et te tuus Filius illustret.* Ac Patrem appellauit, seque Filium, non alio sensu, quam quo saepius haec nomina vsurpauerat in sermonibus, a Ioanne commemoratis, scilicet hactenus, quatenus Patri fuit coniunctissimus, vti quoad opera et decreta, ita etiam quoad naturam, et nominatim, vt explicauit Dominus ipse *versiculo quinto,* quatenus gloriam habuit apud Patrem ante mundum conditum. Deinde *ὥρα,* quam adesse dicit Dominus, est tempus passionis et mortis eius; itemque resurrectionis et adscensionis in coelum. Hoc erat tempus, quo conspicua redderetur atque innotesceret gloria et Patris et Filii summa. Nam formula

δοξάζειν τινά, denotat: facere, vt innotescat aliis alicuius dignitas, patefacere gloriam alicuius, eam conspicuam facere. Et *gloria Filii*, vt vidimus supra, *Cap. XII*, 23. 28. *XIII*, 31. *sq. et XIV*, 13. *sq.* erat *primum* atque in genere, in personae eius maiestate, quam intellexisse Dominum hoc loco, ex *versiculo quinto* patet; *deinde* in opere eius salutari, nominatimque in vi et potestate, et acquirendi per mortem, et conferendi hominibus vitam aeternam, de qua statim locutus est Dominus sequente versiculo; *denique* in attributis eius, in tota vita ipsius, in primisque in morte conspicuis, cuiusmodi erant sanctitas, patientia, obedientia, et potissimum amor erga genus humanum incredibilis. Hanc gloriam Filii illustrabat Pater, hoc est, efficiebat, vt innotesceret hominibus; et illustrabat quidem *primum* per miracula praeter modum magna, edita in morte Iesu; *deinde* per resuscitationem e mortuis, et euectionem ad dextram suam in coelis; *denique* per praedicationem Euangelii in vniuerso orbe terrarum; quibus omnibus effectum est, vt multa millia gloriam et maiestatem Iesu perciperent, ipsumque agnoscerent Filium Dei, humani generis Seruatorem et Dominum. Id quod Paulus docuit, *Phil. II*, 9. *sqq.* his verbis: quare Deus eum in altum euexit, ac dignitate ornauit, qua super alios omnes excelleret, vt adorarent ipsum omnes omnino homines in coelo atque in terra, gentesque omnes venerarentur Dominum ad gloriam Patris. *Gloria Patris* autem, conspicua cum in vniuerso opere Christi, tum in primis in eius morte, est in sapientia, iustitia, sanctitate, ac potissimum in gratia eius et benignitate in reparanda et conferenda salute per Filium. Haec gloria Patris illustrabatur vel maxime per mortem Christi, quatenus inde manifesta reddebantur illustrissimo modo illa attributa Patris, in primis vero amor eius, quod est attributorum diuinorum summum et maxime admirabile; de quo amore quotiescunque lo-

cuti sunt Apostoli et Dominus ipse, toties eum in primis conspicuum factum esse docent inde, quoniam non modo misisset Filium in has terras, sed eum adeo etiam in mortem tradidisset; *Cap. III*, 16. *Rom. V*, 8. vbi Paulus: Deus, inquit, commendauit amorem suum erga nos, eiusque specimen edidit summum, quod, cum adhuc essemus peccatores, Christus nostra vice mortuus est; et Ioannes, 1 *Ep. IV*, 9. amor Dei erga nos inde maxime intelligitur, quod Filium suum, eundemque vnicum, misit in has terras, vt per eum felicitatis aeternae redderemur participes. In hoc amore igitur est gloria et maiestas summa, vt Patris, ita etiam Filii; quemadmodum primum ac praecipuum erat eritque in omnem aeternitatem, hunc amorem agnoscere. Atque vt hic amor Patris et Filii innotesceret hominibus, id erat, quod precaretur Dominus hoc loco.

Atque ita explicauit Dominus in sequentibus; nam gloriam Patris et suam retulit ad opus salutare, ipsi demandatum. Perrexit enim sic: *quandoquidem ei imperium tradidisti in genus humanum, vt vitam aeternam largiretur omnibus, quotquot ei attribuisses.* Maius aliquid atque illustrius dicere de se non poterat Dominus, quam in his verbis dixit. Vindicauit enim sibi imperium in genus humanum, hoc est, opus, quo res humanas omnes, earumque vicissitudines omnes omnium temporum et locorum gubernat, salutemque aeternam tribuit omnibus, eam ab ipso expetentibus. Haec enim sine omni dubitatione est *ἐξουσία πάσης σαρκὸς*, imperium in homines. Hoc Pater ipsi tradidit, tanquam Seruatori hominum, vt, qui hominibus comparasset vitam aeternam, eam quoque iis tribueret. *Cap. V*, 27. Iussit enim eum sedere ad dextram, id est, voluit, vt secum regnaret, et haberet vnum idemque imperium, quod Pater habet. Eiusmodi imperium alias quoque sibi vindicauit Dominus, atque adeo etiam amplius, nempe, imperium in vniuersum orbem terrarum.

Matth. XXVIII, 18. Nam *potestas in coelo atque in terra* non potest esse alia, nisi quam habet aliquis et exercet in totum hoc vniuersum. Ac talem potestatem ipsi tributam esse a Patre, Apostoli quoque docent non vno in loco, veluti Paulus, *Eph. I*, 20. *sqq.* vbi diserte dicit, Patrem ipsi tradidisse imperium, partim in vniversum orbem terrarum, non tantum aeui praesentis, verum etiam futuri, vt omnia regeret, in omnibus efficacem se praeberet, omnia ab ipso penderent; partim vero in ecclesiam, cuius caput et dominus esset, cui suppeditaret bona omnia, quibuscunque vnicuique opus esset ad tenendam felicitatem huius et futurae vitae. Verum hoc imperium Pater tradidit Filio ea lege: *ἵνα πᾶν, ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον*, quod ex modo loquendi hebraico dictum est, pro: *ἵνα πᾶσι, οὓς δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ ζωὴν αἰώνιον*, explicatumque ab Apostolo, *Hebr. VII*, 25. hoc modo: *beatos reddere potest, quicunque per eum salutem quaerunt, viuens in aeternum et causam nostram agens.* Hinc vero manifestum est, imperium Christi non tantum esse in docendo et per doctrinam praecipiendo, gubernando et ducendo, vt plerisque interpretibus et Theologis placet, sed in dando. Iesus autem dat vitam aeternam, quam sua morte acquisiuit, non tantum, quatenus viam monstrat, consequendae vitae, nec, quatenus bona suppeditat, quibus opus est ad hanc vitam tenendam, sed quatenus sua vi morientes ex hac vita in alteram ducit, in eaque suam cuique sortem tribuit pro factis, seruis piis et fidelissimis, qui in minoribus fidem seruarunt, maiora concredit, denique aliquando mortuos quoque reuocabit in vitam. In Christo igitur est vita aeterna hominum omnium omniumque temporum, tanquam reparatore et datore; et quicunque appetunt vitam aeternam, eos oportet eam exspectare a Christo. Ita placuit Patri, quicquid largitur hominibus, per Filium largiri, et quibuscunque vult vitam aeternam donare, donare per

Filium. Hac lege dedit ei potestatem in genus humanum, vt daret vitam aeternam iis, quos curae ac disciplinae ipsius commisit. Hos enim intellexit Dominus in verbis: πᾶν, ὃ δέδωκας αὐτῷ, quos ei discipulos et amicos conciliauit; vt ad *Cap. VI*, 37. vidimus.

Visum igitur erat sapientiae et benignitati Patris, vitam aeternam hominum omnium tradere in manus Filii. Quare eius tenendae non potest esse ratio alia, quam vt cognoscat quisque fideque amplectatur et Patrem, qui curae Filii salutem humanam tradidit, et Filium, cui haec cura est commissa a Patre. Atque hoc innuit Dominus *versiculo tertio: est autem vita aeterna haec, vt cognoscant te, vnum verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum.* His verbis abusos esse, constat, nonnullos inde a SAM. CRELLIO vsque ad nostra tempora, ad impugnandam diuinitatem Christi, cum ex iis demonstrare sibi posse viderentur, Dominum ipsum hic professum esse disertis verbis, ac docere voluisse, se non esse Deum, vnum verum Deum esse Patrem, se vero esse non nisi legatum veri Dei, et nihil amplius, quam merum hominem, adeoque vero Deo longissime inferiorem. Verum eiusmodi quid docere neque voluisse, neque vero etiam potuisse Dominum, euidenter docet et oratio contexta, et locus ipse. Vidimus enim, eum in proxime antecedentibus asseuerare, sibi traditum esse a Patre imperium in genus humanum, vt vitam aeternam daret, quicunque disciplinae suae se committere voluerint. In sequentibus autem sibi asserit gloriam, quam habuisset apud Patrem ante mundum conditum. Enimuero Dominus num quaeso potuisset haec de se asserere, si nihil amplius esset, quam merus homo? Aut si asseruit haec de se, vt tamen eum disertis verbis asseruisse videmus, num potuit, salua veritate, declinare a se honorem, se esse Dei Filium, Patri parem, Deumque ipsum? In hoc vero loco postulat, atque adeo exigit, vt quicunque voluerint consequi ae-

ternam vitam, γινώσκωσι τὸν ἀληθινὸν Θεὸν καὶ Ἰησοῦν Χριστόν. Iam illud γινώσκειν, sciunt et concedunt omnes, hoc loco, vt in multis aliis locis Scripturarum sacrarum, denotare non tantum: cognoscere, sed: *colere*; hoc colere autem competere non nisi vero Deo. Ac Dominus hoc loco diserte illud colere non tantum ad Patrem refert, sed etiam ad se, exigitque ab omnibus, qui vitam aeternam adipisci voluerint, vt pari et aequali iure colant Christum, quemadmodum Patrem; neque enim discernit, discernique voluit Patrem et se, cultumque Patri, et cultum ipsi debitum; sed parem cultum sibi vindicat atque Patri, plane vt fecerat supra. *Cap. V*, 23. At vero si parem se fecit Patri et Patri par haberi voluit, qui tandem potuisset in vno eodemque loco dicere, se Patre esse inferiorem?

Sed ad intelligendum hunc locum defendendumque ac vindicandum a peruersis interpretationibus, tenenda sunt haec. Primum atque in vniuersum facile quisque videt, Dominum nostrum in hoc loco, quemadmodum in tota hac oratione, locutum esse non tanquam Filium Dei, quam potius tanquam legatum Dei, siue tanquam missum a Deo Seruatorem; nihil dixit in his quidem verbis de natura sua diuina, nihil de attributis, dixit vero: ὃν ἀπέστειλας, Ἰησοῦν Χριστόν, Iesum esse missum Seruatorem. Tanquam talem se spectauit in his precibus, spectarique vt talis voluit, nempe qui venerit in has terras, non sua sponte, sed missus a Patre, cui Pater tradiderit potestatem, vitam aeternam dandi hominibus, qui perfecisset opus, sibi a Patre demandatum, et Patrem glorificasset in his terris, atque nunc exspectet a Patre, tanquam legatus Patris, eam maiestatem, quam, tanquam Filius, habuisset apud Patrem ante initia mundi. Haec vero ratio loquendi de se obtinet in toto hoc Euangelio, in quo vbique se descripsit tanquam eum, qui, quicquid sit, per Patrem sit, quicquid habeat, doceat, agat, per Patrem habeat, doceat, agat,

cuius opus totum non suum sit, sed Patris. Atque hactenus potiorem partem operis salutaris Patri tribuit, tribuique voluit, quippe qui illud decreuit ac constituit; quo sensu supra dixerat, *Patrem se esse maiorem; Cap. XIV*, 28. hactenus Pater est, et manet auctor summus, fons primarius salutis humanae, a quo originem duxit, quoniam ab aeterno eam decreuit, et Filio tradidit negotium, instaurandi hanc salutem. Atque ita et in hoc nostro loco partes potiores in opere salutari Patri tribuit, voluitque, vt ante omnia agnoscerent omnes hoc consilium diuinum in reparanda salute hominum. Deus est, a quo proficiscitur, quicquid est salutis humanae, Filius autem, Iesus Christus, quem pro salute humani generis misit in mundum, et per quem donat, quicquid ipsius benignitas donare constituit hominibus, vt vtrique gratiam habeant, et Patri quidem, tanquam auctori summo omnium, Filio autem, qui ex eius voluntate negotium, saluandi homines, suscepit volens ac lubens.

Deinde in promtu est et hoc, verba Domini: ἵνα γινώσκωσί σε κ. τ. λ. intelligenda esse atque explicanda ex hac ipsa ratione, quae est inter Deum et Iesum Christum, adeoque τὸ γινώσκειν τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, significare: *verum Deum cognoscere talem, qualis est in Christo et qualem se reuelauit per Christum*; et: γινώσκειν Ἰησοῦν Χριστὸν, *cognoscere Iesum Christum talem, qualis est per Patrem et qualem se reuelauit.* Enimuero Deus verus est talis, qui adeo adamauit humanum genus, vt daret etiam Filium suum vnum, vt, quisquis in eum crederet, liberaretur ab interitu, consequereturque vitam aeternam et beatam; Iesus Christus est talis, qui est Filius Dei, qui fuit apud Deum, quem Pater dedit, et misit in has terras, tradiditque pro nobis in mortem, vt liberaret homines ab interitu, impetraretque iis vitam aeternam, qui rediit ad Patrem, et constitutus est a Patre dominus humani gene-

ris, vt vitam aeternam largiretur omnibus, quotquot Pater ei attribuisset. Tanquam talem Iesus reuelauit verum Deum, quemadmodum docent sermones Christi omnes, in primis in hoc Ioanneo Euangelio commemorati, inde a Capite tertio, nominatim vero hae ipsae preces Domini, *vers.* 4. *sqq.* Scilicet reuelauit Deum, non qualis est in vniuersum, sed qualis est hominibus; non ratione naturae atque essentiae diuinae, sed ratione decretorum et consiliorum; nam quoad naturam Deus cognocsi non potest, hactenus *inhabitat lucem inaccessam, nemo eum vidit vnquam, nec videre poterit;* 1 *Tim. VI,* 16. non ratione attributorum et operum potentiae, sed ratione operum gratiae, exhibitae per Christum; illa cognitio Dei notissima erat; eam habebant Iudaei, et Gentiles quoque assequi poterant; *Rom. I,* 19. 20. hanc vero ante Iesum nec habuit quisquam vnquam, nec suppeditauit; *Cap. I,* 18. haec, vt D. Paulus ait, 1 *Cor. II,* 7. *sqq. abscondita fuit hucusque et occultata, hanc nemo vnquam habuit, nemo audiuit ab aliis, nemo cogitatione fingere, aut reperire potuit;* atque hanc cognitionem de Deo appellauit Dominus τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, *vers.* 6. 11. 12. 26. et τὸν λόγον τοῦ πατρὸς, *vers.* 6. 14. 18. itemque τὰ ῥήματα τοῦ πατρὸς, *vers.* 8. denique τὴν ἀλήθειαν, *vers.* 17. *et* 19. Tanquam talem Iesus Christus reuelauit se verbis et factis, nimirum tanquam Filium Dei, qui in coelo fuit, de coelo venit, hominibus salutem paraturus, et in coelum redit, eandem collaturus. Atque hic demum est *vnice verus Deus,* et *verus Christus;* haec demum est vera veri Dei et Christi cognitio. Ac tanquam talis cognosci et coli vult Deus et Iesus, nempe tanquam Deus, qui misit Filium, et tanquam Filius, qui missus est a Patre ad salutem hominibus impetrandam et conferendam. Alia quaecunque cognitio Dei non recta est, nec sufficiens ei, qui profitetur nomen Christi atque ad salutem adspirat, per eum partam. Qui Deum agnoscit quidem tanquam

numen summum, rerumque omnium creatorem et gubernatorem, atque ab eo, tanquam tali, salutem exspectat, is agnoscit Deum non recte, non modo eo, quo eum manifestauit Filius, eumque agnoscendum colendumque esse docuit ac praecepit. Qui Iesum agnoscit quidem tanquam virum sanctum, instructum donis extraordinariis, religionis doctorem, is eum agnoscit non recte, hoc est, non eo modo, quo se manifestauit et agnosci colique voluit. Tum demum Deum vere et recte cognoscimus, si eum agnoscimus talem, qualem se patefecit per Filium, Iesum; et Iesum vere et recte cognoscimus, si eum agnoscimus talem, qualem se est professus et qualem Pater demonstrauit. Igitur quid est τὸ γινώσκειν τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν; Scilicet nullo modo: *agnoscere vnum verum Deum esse*; nec: *agnoscere Deum tanquam creatorem et gubernatorem huius vniuersi, rerumque humanarum*; non; sed potius: *agnoscere*, verum Deum pro amore immenso, quo complexus est homines, decreuisse ab aeterno, eos saluos reddere per suum ipsius Filium, ac propterea eum misisse in has terras, et salutem humanam omnem in manus eius tradidisse; et quidem *agnoscere cum effectu*, sic, vt Deum propter hunc amorem eius ingentem non modo colas toto animo, sed etiam tuam salutem ab hoc amore Dei per Filium repetas. Conf. *vers.* 22—26. Et quid est τὸ γινώσκειν, ὃν ἀπέστειλας, Ἰησοῦν Χριστόν; Nempe: agnoscere, Iesum esse Christum, de coelo missum a Deo Seruatorem mundi, salutis humanae omnis reparatorem et datorem vnicum, sic, vt eum tanquam talem colas, tuamque salutem omnem ab eo expetas atque exspecles.

Atque hanc talem cognitionem Dei et Christi, Dominus docet, vnam esse et verissimam rationem tenendae vitae aeternae, adeoque vnice salubrem. Cognitio Dei in vniuersum nihil prodest ad salutem consequendam; nam et *mali genii*, vt est *Iac. II*, 19: *sciunt et*

credunt, vnum esse Deum, et tamen odio in eum feruntur. Neque etiam cognitio Dei, quatenus est fons bonorum omnium, itemque cognitio Iesu Christi, quatenus doctrinam diuinam tradidit, sufficiens est homini christiano ad vsum et fructum felicitatis, a Christo partae. At vero salubris est, immo vero saluberrima ea Dei et Christi cognitio, quam vidimus. Est enim haec vna vox et Christi, et Apostolorum omnium, salutem humanam omnem vnice repetendam esse a gratia Patris et beneficio Filii, in hoc vno, neque in vllo alio, esse salutem, et quicunque voluerint vere et omni ex parte beati fieri in hoc atque in altero saeculo, eos oportere agnoscere fideque suscipere gratiam Patris, per Filium exhibitam, suamque salutem omnem quaerere in Iesu, salutis humanae omnis duce atque auspice vno.

Ad extremum arctissime coniunxit Dominus in causa salutis tenendae haec duo: *cognoscere vnum verum Deum*, et: *cognoscere, quem misit, Iesum Christum.* Vtrumque debet esse coniunctum. Neque enim salutem consequi potest, qui Deum colere dicat, contemto Iesu Christo, nec, qui in Christum credere putet, neglecto Deo et Patre, cum vtrique sint partes eaedem in caussa salutis, multo minus, qui amorem Patris et Filii, Iesu Christi, repudiauerit.

Ex quibus omnibus efficitur, sensum huius nostri loci esse hunc: ratio tenendae vitae aeternae non nisi haec est, vt, quicunque eam appetierint, agnoscant, vnum verum Deum esse, qui pro immenso amore suo decreuisset atque instituisset, salutem humani generis reparare per suum ipsius Filium, siue, vt est in versiculo antecedente, salutem humani generis tradere in manus Filii, eoque consilio Filium misisset in has terras, hunc Filium autem esse Iesum, salutis humanae omnis auctorem vnum et verissimum, vtque adeo omnes salutem suam vniuersam ab hoc tali Deo et Iesu Christo repetant. Atque id erat, quod desideraret Do-

minus, hisque precibus significare vellet, nimirum, vt agnoscerent homines, vere esse veri Dei consilium et institutum sapientissimum atque benignissimum, salutem hominum instaurandi et vitam aeternam iis largiendi per suum ipsius Filium, huncque Filium esse Iesum Christum, atque adeo voluntatem seriam Dei esse hanc, vt omnes omnino huic consilio et instituto eius se accommodarent per fidem, atque hoc tali modo salutem appeterent, vitamque aeternam consequerentur. Id demum sibi voluit Dominus his verbis: *αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ, ὃν ἀπέστειλας, Ἰησοῦν Χριστόν.*

Pari modo locutus est Dominus *versiculo quarto* de Patre suo, tanquam eo, cuius benignitati primario accepta referenda sit salus humani generis, de se autem, tanquam Filio, qui negotium, saluandi homines, ex voluntate Patris hucusque peregerit. *Illustraui te in his terris; exegi opus, a te mihi demandatum.* Et *Patrem* quidem *illustrauit*, hoc est, effecit, vt agnosceretur Pater, agnoscique ab hominibus posset, nominatim tanquam talis, qualis esset erga homines; manifestauit eum tanquam Patrem suum, qui amauisset homines adeo, vt ad eos seruandos beandosque daret suum ipsius Filium; manifestauit itaque amorem Patris erga homines, decreta et consilia Patris de salute eorum, per Filium reparanda, et vero etiam voluntatem Patris, vt agnoscerent omnes amorem, vt Patris, ita Filii, in eo spem salutis ponerent atque ita salutem consequerentur. Conf. *Cap. VI*, 29. 40. Atque et inde patet, quid sit versu antecedente: *γινώσκειν τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν.* Illustrauerat autem Patrem non tantum verbis, sed etiam, et vel maxime factis, nimirum per omnia, quae non modo docuerat, sed etiam egerat, cum veniret in has terras, inter homines versaretur, miracula patraret, in primis pateretur et mortem subiret, in omnibus autem quaereret non honorem suum, sed Patris, atque

referret omnia ad cognoscendam gloriam Patris. *Cap. XIII*, 31. *sq. XIV*, 13. *sq. XV*, 8. *VIII*, 50. Nam ex his intelligere poterant omnes homines, vt illius aetatis, ita temporum omnium, quantus esset amor Patris erga humanum genus, cuius seruandi causa misisset suum ipsius Filium, atque adeo in mortem tradidisset, quanta potentia Patris, qui tot ac tanta mala auerruncare ab hominibus posset, quanta denique sapientia, qui tam mirabili consilio mundum seruare decreuisset ac beare.

Porro *exegerat opus*, a Patre ipsi traditum. Sed per hoc opus intellexit Dominus non opus suum vniversum; nullo modo; nam illo tempore, quo has preces fecit Dominus, nondum absolutum erat opus eius, immo perficiendum restabat opus maxime illustre, et multo maius, quam quod hucusque exegerat, nempe moriendi ad salutem hominum. Neque etiam per mortem eius erat absolutum; post reditum in vitam et adscensionem in coelos aliud opus suscepit, nempe imperium in genus humanum; de quo loquebatur secundo versiculo; restat quoque opus summae potestatis, iustitiae et sanctitatis, reuocandi mortuos omnes e sepulchris et retribuendi vnicuique pro factis. Itaque per opus illud, quod exegisse dixit Dominus hoc loco, intellexit id, quod Pater ipsi tradidit peragendum in his terris; venerat in hunc mundum, suscepta natura humana, vixerat inter homines, amplexus sua sponte conditionem humilem, quamuis esset conditionis diuinae, docuerat euangelium, miseris omnis generis auxilium praestiterat, exemplum praebuerat amoris, modestiae, abstinentiae, patientiae, mansuetudinis, obedientiae, sanctitatis reliquarumque virtutum perfectissimum atque omnibus omnium temporum hominibus ad imitandum longe efficacissimum. Hoc opus absoluerat Dominus, et quidem summa fide, constantia, promtitudine,

inter aerumnas maximas. Atque hoc opus fuisse exactum, propterea laetabatur Dominus.

Sed nunc declarauit, qualisne legatus esset, nempe talis, qui cum eo, a quo fuisset ablegatus, inde ab aeterno in arctissima coniunctione vixisset, paremque maiestatem habuisset. *Iam illustra me quoque apud te ea maiestate, quam habui apud te ante mundum conditum.* Atque et hic praedicauit Dominus de se, quae sunt ad intelligendam diuinam eius maiestatem illustrissima et notatu dignissima. *Primum* dixit: habui δόξαν· per τὴν δόξαν autem exprimitur id, quod Hebraei dicunt: כָּבוֹד, hoc est, maiestas diuina, quae est in vniuerso ambitu et beatitatis, et naturae, attributorum, consiliorum operumque diuinorum; vt ad *Cap. I*, 1, 14. vidimus. *Deinde* asseuerauit: habui gloriam παρὰ σοί· ergo apud Patrem in coelis; fuit itaque in coelis, antequam venisset in hunc mundum, siue, vt Ioannes initio Euangelii interpretatus est: *fuit apud Deum, in gremio Patris. Cap. I*, 1. 18. Porro profitebatur, quod est *tertium*, se habuisse gloriam apud Patrem, antequam in has terras venisset, immo vero, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, ante initia mundi, siue, vt Apostoli loquuntur: πρὸ καταβολῆς κόσμου, et, vt idem Ioannes explicauit: ἐν ἀρχῇ, hoc est, ab aeterno; nam eiusmodi formulis Hebraeos aeternitatem exprimere solitos fuisse, est in promtu, et ad *Cap. I*, 1. vidimus. *Denique* precabatur, vt gloria et maiestate eadem, qua tanquam Filius Dei fruebatur ab aeterno, frui eum quoque iuberet Pater, tanquam filium hominis et humani generis Seruatorem. Haec qui tandem dicere, atque adeo precari a Patre potuisset Dominus, nisi esset Filius Dei verissimus et aeternus, qualis describitur in hoc Euangelio? Atque haec est gloria, de qua dixit Dominus discipulis: *necesse erat, Messiam ista omnia sustinere ac perpeti, atque ita maiestatem suam recipere; Luc. XXIV*, 26. et Paulus: *gloria et maiestate ornatus est,*

postquam perpessus erat mortem. Hebr. II, 9. Hanc gloriam exspectabat Dominus summa animi persuasione et fiducia; hanc cogitabat, cum in eo esset, vt mortem subiret, oblitus veluti malorum imminentium.

Errant igitur haud dubie, verbisque Domini vim inferunt, atque eius maiestati iniuriam faciunt, qui gloriam, quam exspectabat a Patre, intelligendam esse praecipiunt de gloria eius in his terris per propagationem doctrinae manifestata; aut qui hunc locum interpretandum esse censent hoc modo: concede mihi gloriam, quam in mente tua mihi destinasti ante mundum conditum. Etenim manifeste intelligitur δόξα Domini non in his terris, sed in coelis, propterea, quoniam eam sibi expetiit *apud Patrem*, *παρὰ σεαυτῷ*, hoc est: in coelis; quemadmodum eam habuisse dixit *παρὰ σοί*, quod plane aequipollet antecedenti: *παρὰ σεαυτῷ*. Deinde verbum *ἔχειν* explicare de destinatione, nec vsus loquendi in vniuersum permittit, et multo minus hoc loco, vbi Dominus docet, se habuisse eam maiestatem apud Patrem ante mundum conditum, quod non potest aliter intelligi, quam de actu, nullo modo de decreto; nec vero etiam res et ratio patitur; ita enim de hominibus piis quoque dici posset, eos habuisse gloriam apud Deum ante mundum conditum; quis vero tandem dicere hoc modo ausus fuerit!

In sequentibus, inde a *versiculo sexto* vsque ad *vndeuicesimum* locutus est Dominus de discipulis suis, eosque commendauit singulari curae ac tutelae Patris, quoniam essent cultores eius sinceri, disciplinae suae alumni dilectissimi et futuri in praedicando euangelio ministri. Perrexit enim hoc modo: *manifestaui te in primis iis, quos de mundo mihi conciliasti; erant tui, et mihi conciliasti, atque in doctrina de te perseuerarunt.* In superioribus dixerat, se glorificasse Patrem inter homines, id est, manifestasse Patrem, eius amorem, consilia et voluntatem de salute hominum. Iam

addit, se manifestasse Patrem hoc tali modo ante omnia discipulis; hoc enim est τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, nempe non natura et essentia Patris, sed consilia et voluntas Patris de salute generis humani; ac propterea laudat discipulos, quoniam in suscipienda hac doctrina fuerint obsequentissimi, eosque amori Patris vult esse commendatissimos. Nam per τοὺς ἀνθρώπους, οὓς δέδωκάς μοι, intellexit Dominus sine dubio discipulos suos. Hos Pater ei dederat, docendos formandosque tradiderat, voluerat, vt hi ipsi essent discipuli eius et futuri ministri euangelii. Hos ei dederat ἐκ τοῦ κόσμου, exemtos perversis saeculi huius hominibus, selectos e populo Iudaico. Porro: σοὶ ἦσαν, hoc est: erant cultores tui ingenui, iam antequam accederent ad me; nunc multo magis tui sunt, cum et mihi eos dederis discipulos et in docendo Euangelio successores, cumque doctrinam tuam constanter seruauerint; vltimis verbis laudat eos tanquam cultores Patris constantes, qui obsequium perpetuum praestiterint non tantum doctrinae diuinae in vniuersum, sed in primis institutioni ei, quam accepissent a Domino de Patre; ea enim intelligitur in specie hoc loco per τὸν λόγον, vt patet euidenter ex *septimo et octauo versiculo*, nempe caput doctrinae de Patre, eiusque consiliis et decretis per Filium et de Filio ipso eiusque opere. Conf. *vers.* 14. *et* 17. *itemque* 22. 23. *et* 24.

Ac propterea nominatim eos laudat Dominus in sequentibus, nempe ob fidem eorum, quam habuerint eius institutioni ac disciplinae. *Iam cognitum habent ac persuasum, omnia, quae mihi demandaueras, mihi demandata fuisse a te;* quicquid docui, quicquid feci, a te profectum esse, tuaque auctoritate factum. Repetiit Dominus effatum, quo saepius vsum esse vidimus, et cui singulari cum voluptate videtur inhaesisse, scilicet opus suum esse opus Patris. Atque hic erat ὁ λόγος, quem fide amplexi erant discipuli, vt est versiculo antecedente.

Tradidi iis doctrinam, quam tradendam acceperam a te, eamque admiserunt, sibique persuasum habent, me a te esse profectum, crediderantque, me missum esse a te. Fides igitur discipulorum complectebatur capita duo, primum, Iesum a Deo exiisse, eo sensu, quo Dominus hoc asseuerauerat, *Cap. XVI*, 28. et quo discipuli erant professi; *vers.* 30. nempe Iesum venisse e coelo in has terras; deinde, Iesum missum esse a Deo Messiam, tot saeculis exspectatum; nam et hoc declarauerant olim erga Dominum. *Cap. VI*, 69. Atque hanc fidem laudat Dominus in discipulis, testaturque, talem fidem sibi probari. Vnde patet, quaenam doctrina fuerit, quam in primis tradiderit discipulis, nempe ea, quae potissimum pertinebat et ad Patrem et gratiam eius erga homines, et ad Dominum ipsum, eiusque personam et opus salutare; atque hanc doctrinam in specie esse intelligendam per *τὰ ῥήματα*, vti *vers.* 6. per τὸν λόγον. Deinde intelligitur et illud, haec duo: *exiisse a Patre*, et: *a Patre missum esse*, differre inter se, adeoque etiam probe esse discernenda.

Pro his precor, non pro huius saeculi hominibus, sed pro his, quos mihi conciliasti; nam sunt tui. Etiam haec dixit Dominus in laudem discipulorum; erant enim non e vulgari genere hominum illius temporis, sed ex illo selecti, a Patre traditi in disciplinam Iesu, iidemque ingenui cultores Patris. Pro his igitur, hominibus selectis, eximiis inter paucos, et caeteris omnibus praestantibus, precari se dicebat Dominus, non pro hominibus vulgaribus. Hic enim videtur esse sensus verborum: ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ, οὐ περὶ τοῦ κόσμου. Ita dubitatio tollitur, quae alias oriri videtur ex his verbis, num etiam pro impiis Dominus fuerit deprecatus.

Dixerat Dominus: ὅτι σοί εἰσι. Ac propterea subiecit haec: *nam mea omnia tua sunt, et tua mea; ac per eos illustrabor.* Verbis fere iisdem vsus fuerat, *Cap. XVI*, 15. vbi vidimus, eum exprimere iis voluisse

vnum idemque consortium, vt voluntatis, consiliorum et sensuum, ita etiam ἐνεργείας et operis. Ac propter hanc communionem inter Patrem et Filium eosdem discipulos modo suos esse dicebat, modo Patris, quoniam communem causam Patris et Filii agebant, destinati quippe ad manifestandam gloriam vt Filii, ita etiam Patris. Nam eorum opera et ministerio, (ἐν αὐτοῖς,) *illustrabatur Filius*, hoc est, manifestabatur hominibus, quis et qualis esset; tempus enim praeteritum δεδόξασμαι accipiendum est pro futuro; *illustrabatur vero etiam Pater*, hoc est, eius amor et voluntas beneuola de salute humana per Filium innotescebat. Id igitur exspectabat Dominus a discipulis suis, talem fiduciam in iis ponebat, vt, ipso e terris sublato, gloriam ipsius et Patris, quae tum agnoscebatur a paucis, siue potius a nullis, manifestam redderent inter omnes orbis terrarum nationes. Ac propterea eos Patris beneuolentiae commendatissimos esse volebat.

Sed adiecit etiam aliam causam *vndecimo versiculo* initio: *ego quidem diutius in his terris non versabor, illi vero remanebunt in hac terra, me ad te redeunte.* Hactenus peculiarem curam gesserat Dominus discipulorum; etiam quoad externas necessitates, sic, vt nulla res iis deesset; fuerat in primis eorum magister non tantum, verum etiam amicus, dux et auctor, omnia in omnibus, in cuius familiaritate penitus acquiescerent. Is vero iis amplius esse non poterat, cum ab iis discederet, eosque solos relinqueret in his terris. Sua causa curam habebat nullam. Nam quod ad me attinet, ἐγὼ πρός σε ἔρχομαι, inquit. Sed res discipulorum ipsi curae erant cordique, quippe quos relinquebat inter homines, de quibus dixerat: *mundo exosi eritis, in mundo habebitis calamitates multas. Cap. XV*, 19. *XVI*, 33. Eos igitur tradebat curae ac tutelae Patris.

Iam sequuntur preces ipsae pro discipulis. Et quaenam? Prima ac praecipua cura Domini pro disci-

pulis, atque adeo primum ac praecipuum desiderium erat hoc, vt constanter perseuerarent in fide, quam suscepissent. Quare dixit: *hos meos discipulos, a te mihi traditos, conserua, Pater sanctissime, in professione nominis tui, vt et ipsi sint coniunctissimi, quemadmodum nos.* Etenim τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς non significat doctrinam Patris, vt interpretes plerique omnes putant, nec essentiam Patris, nullo modo, sed consilia et decreta Patris de salute generis humani per Filium; vti habuimus *sexto versiculo*, vbi τὸ ὄνομα et ὁ λόγος inter se distincta reperiuntur, sic, vt ὄνομα denotet illa ipsa consilia Patris, λόγος vero institutionem de his consiliis. Quare formula: τηρεῖν ἐν τῷ ὀνόματι, denotat: conservare in professione Patris, siue in fide erga Patrem, et quidem tali, qualem Dominus ipsos docuerat; docuerat autem, Patrem misisse Filium suum in has terras ad salutem humani generis, vt omnes in ipsum crederent atque per ipsum salutem aeternam consequerentur. In hac fide vt conseruarentur discipuli, vt eam et tenerent perpetuo, et vbique constanter profiterentur, id erat, quod optaret Dominus his verbis: τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου. Et optabat hoc in primis propter hanc causam: ἵνα ὦσιν ἓν, καθὼς ἡμεῖς. Scilicet Pater et Filius vnum erant, id est, coniunctissimi consiliis, sensibus, actionibus in opere salutari. Quando igitur optabat Dominus, vt discipuli vnum essent, vt Pater et Filius, volebat hoc, vt coniunctissimi essent primum in professione fidei, quatenus ad vnum omnes tenerent vnam eandemque fidem in Patrem et Filium, deinde vero etiam in administratione muneris, quatenus hanc ipsam fidem omnes traderent, atque consilia Patris et Filii de salute hominum exsequerentur ac promouerent coniunctis animis et summa virium contentione. Caeterum loco verborum: οὓς δέδωκάς μοι, in aliis, iisdemque optimis Codicibus, et Versionibus reperiuntur haec: ᾧ δέδωκάς μοι, siue etiam: ὃ δέδωκάς μοι, vt τὸ: ᾧ, po-

situm sit pro: ὃ, quod ex linguae graecae ratione fieri omnino posset, vtrumque autem referendum esset ad τὸ ὄνομα, hoc sensu: serua eos in doctrina, quam a me tradi voluisti. Lectionem: ᾧ in textum recepit GRIESBACHIVS, nec tamen et alteram: ὃ, spernendam esse existimauit. Verum negari non potest, maiorem probabilitatem habere lectionem receptam: οὓς, primum propter vsum loquendi, qui non permittit, vt τὸ ὄνομα interpretemur doctrinam, deinde propter consuetudinem Domini in his ipsis precibus, qua discipulos appellare solebat: οὓς δέδωκάς μοι. *Vers.* 6. 9. 12.

Quamdiu hic cum illis vixi, seruaui eos in nominis tui professione, custodiui meae disciplinae a te commissos; neque periit ex iis aliquis, nisi homo nequam, vt hoc modo *euentum haberent, quae praedicta sunt in Scripturis.* In antecedentibus precatus erat Dominus, vellet Pater in professione nominis sui conseruare discipulos, hoc est, in professione fidei de amore Patris erga humanum genus, per missionem Filii sui demonstrato, ad quam fidem eos adduxisset, et in qua conseruasset eos, quamdiu hic cum illis vixisset. Haec enim erat fides discipulorum in nomen Patris, quam assumserant duce Christo, et in qua hactenus perseuerauerant omnes, vt ad *vers.* 6. 7. *et* 8. vidimus. Neque enim vllus discipulorum desiderabatur, nullus exemtus erat ex eorum numero, aut morte, aut voluntaria defectione, nullus perierat Domino eiusque causae, ἀπώλετο, (conf. *Cap. XVIII*, 9.) nisi ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, homo perditus, nullius frugis, causae Domini non profuturus. Atque et hoc obtigit non fortuito, sed sanctissimo consilio diuino, vt vnius hominis perditi perfidia proficeret ad publicam humani generis salutem. Caeterum Dominus, dum ad Scripturam prouocauit, respexisse non videtur ad locum aliquem peculiarem, veluti *Ps. XLI*, 10. quem alias, *Cap. XIII*, 18. in rem suam transtulit, sed potius ad vaticinia de

passione sua in vniuersum. Iudas tradidit Dominum in potestatem Iudaeorum; atque ita accidit, vt rata fierent, quae de morte Domini in Scripturis essent praedicta.

Iam abiturus ad te, adhuc precatus sum haec, vt de me liquido laetari possent. Etenim precabatur Dominus pro discipulis, non quod dubitaret de propensa Patris erga eos voluntate, sed vt persuaderet discipulis, ipsos et Domino, et Patri, carissimos esse probatissimosque, et curae diuinae commendatissimos; quod intelligere poterant inde, cum audirent, Dominum pro iis preces facere, in quibus eos laudaret et tutelae Patris commendaret. Nam per *χαρὰν τὴν ἐμὴν* intellexit Dominus gaudium de se suoque erga discipulos amore plane singulari, et per *χαρὰν πεπληρωμένην*, gaudium consummatissimum, abundantissimum. Ac causas laetandi de Domino discipuli habebant multas et magnas, vt alias significauit Dominus, *Cap. XIV*, 28. *XV*, 11. nominatim cum ipsum conspicerent rediuiuum e mortuis, abeuntem in coelos ad dextram Patris, exemtum rebus miseriisque humanis, gloria diuina ornatum, cum acciperent Spiritum promissum et dona excellentissima, cumque viderent muneris sui successus laetissimos, quibus illustraretur gloria Domini; ex quibus omnibus percipiebant gaudium non temporarium, sed perpetuum, non vulgare, sed consummatissimum. Hoc loco autem in specie innuit Dominus, discipulos ingentem laetandi causam habituros esse in eo, quod persuasi esse possint, se insigniter amari a Domino, commendatissimosque esse Patris curae ac beniuolentiae.

Imbui eos scientia de te; hic enim est *λόγος σου*, nimirum non doctrina in vniuersum, sed scientia, ad Patrem pertinens, de amore Patris, eiusque consiliis et de voluntate eius ratione salutis humanae; vt supra *vers.* 6. habuimus, et habebimus *versiculo decimo septimo;* haec erat *scientia vnius veri Dei*, vt dixerat Dominus *versiculo tertio;* hac in primis discipulos im-

buerat, et quidem sic, vt eam susciperent et probarent. *Sed exosi sunt mundo, quoniam a moribus eius alienissimi sunt pariter atque ego.* Disciputi non erant de mundo, vt iam supra significauerat Dominus, *Cap. XV*, 18. *sq.* hoc est, non sectabantur ἀπιστίαν, superstitionem, improbitatem saeculi; non appetebant, saltem in posterum, res terrenas, Messiam terrenum, regnum terrenum, felicitatem terrenam; susceperant doctrinam Domini, quam saeculum repudiabat, et secundum hanc doctrinam altiora sapere didicerant; praedicabant Iesum, saeculo exosum; ac tali modo non poterant non et ipsi saeculo exosi esse.

Neque tamen velim, vt auertas ab iis huius saeculi mala, sed vt eos in his malis tuearis. Hic enim videtur esse sensus verborum priorum *versiculi decimi quinti.* Nam id quidem Dominus optare nullo modo poterat, vt Pater eriperet discipulos per mortem huius vitae malis, multo minus, vt eos liberos praestaret a malis omnibus; volebat enim, vt per plures annos fungerentur munere apostolico, denunciaueratque iis saepius odium huius saeculi, in primis Iudaici; optabat vero hoc, vt Pater discipulos in mediis his malis tueretur, saluosque praestaret atque incolumes, sic, vt mala ista omnia neque noxam afferre possent discipulis ratione fidei et vitae, neque muneris eorum administrationem salutarem impedirent, immo vero promouerent. Etenim τὸ πονηρὸν, et quidem τοῦ κόσμου, sunt odia, in primis populi Iudaici, calamitatesque omnis generis, discipulis imminentes; nam de his sermo est hoc loco, vt orationis series euidenter docet; Paulus Apostolus appellauit πᾶν ἔργον πονηρὸν· 2 *Tim. IV*, 18. deinde τηρεῖν ἐκ τοῦ πονηροῦ est: tueri aliquem in periculis, eripere calamitatibus sic, vt ei non noxiae, immo vero salubres sint. Qui per τὸ πονηρὸν malum morale intelligunt, aberrare videntur ab oratione contexta; multo magis autem ii, qui existimant, Dominum intellexisse

malum genium, et se accommodasse hic ad opiniones vulgi; affingunt enim Domino, de quo non cogitauit, nec cogitare potuit, in primis in precibus ad Patrem. Id quod etiam clare docent, quae sequuntur. Nam repetiit Dominus *versiculo decimo sexto*, quae modo dixerat de odio saeculi: *a moribus huius saeculi sunt alieni, pariter atque ego;* ac propterea saeculo sunt exosi.

Hactenus precatus erat Dominus pro discipulis et pro fidei ipsorum constantia. Iam *versiculo decimo septimo, octauo et nono* locutus est de munere euangelii, fidei ipsorum demandando; eique vt penitus se dicarent, id erat, quod optaret verbis his: *consecra eos veritati de te, veritas est doctrina de te. Vt me misisti in has terras, ita ego mitto eos. Ego me iis dicaui, vt et ipsi essent dicati veritati.* Hic primum τὸ ἁγιάζειν, satis constat, ad consuetudinem verbi hebraici: קִדֵּשׁ, vsurpari sic, vt denotet: separare et consecrare Deo, vel cultui Dei, vel peculiari alicui negotio in causa religionis, itemque ad certum aliquod munus destinare; vnde vocabulum ἅγιος denotat: *sacer, consecratus Deo,* Gott geweihet, destinatus alicui muneri, a Deo ipsi demandato. Sic sacerdotes dicebantur *sanctificari*, hoc est, consecrari ad vsum templi; *Exod. XX*, 1. itemque prophetae et Apostoli dicuntur ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι, viri, Deo sacri, propter eorum munus. 2 *Petr. I*, 21. Atque et Pater dicebatur supra ἁγιάσαι Filium, hoc est, consecrasse, destinasse operi, in his terris peragendo; *Cap. X*, 36. quemadmodum Dominus *versiculo decimo nono* dixit, se consecrasse discipulis. Iam igitur quando precabatur, vt Pater discipulos sanctificaret, optabat hoc, vellet Pater efficere, vt discipuli se totos dicarent ac consecrarent negotio, iis demandando. Hoc negotium autem appellauit Dominus τὴν ἀλήθειαν, et quidem τὴν ἀλήθειάν σου· dixit enim: ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου, quod est pro: τῇ ἀληθείᾳ, siue: ὑπὲρ τῆς ἀληθείας. Vidimus vero iam

aliquoties, velut: *Cap. I*, 17. *VIII*, 32. *XIV*, 17. *XV*, 26. *XVI*, 10. idque confirmat hoc loco series orationis, per τὴν ἀλήθειαν denotari non doctrinam religionis vniversam, sed partem eius primariam, nempe caput de Patre, eiusque consiliis benignissimis in reparanda et conferenda salute humana per Filium suum, et de Christo, Filio Dei, humani generis Seruatore. Hanc dixit Dominus et hoc loco τὴν ἀλήθειαν, et quidem τὴν ἀλήθειάν σου, hoc est, vel: *de Patre*, quoniam pertinebat ad Patrem, et consilia eius saluberrima ratione hominum, vel: *Patris*, quatenus Pater eam in primis dedit Domino tradendam, et Dominus eam ante omnia tradendam demandauit discipulis. Atque huic negotio, tradendi inter homines, manifestandi et propagandi hanc doctrinam de Patre et Filio, eorumque consiliis saluberrimis, vt totos se atque in primis dicarent discipuli, id demum voluit Dominus his verbis. Erat enim haec res maximi momenti, primum ratione discipulorum, sine quorum opera et ministerio id fieri non potuisset, deinde vero etiam ratione hominum omnium et illius et omnis aetatis, quorum nihil magis interesse poterat, quam vt hoc caput doctrinae ante omnia innotesceret. Cuius rei causam reddidit Dominus hanc: ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι, *haec veritas est doctrina tua*, hoc est, plane diuina, et praecipua, caput et summa totius doctrinae diuinae, ἡ αἰώνιος ζωὴ, vt dixerat *tertio versiculo*, vnice vera via ad tenendam vitam aeternam. Quod subiecit Dominus, vt eo magis intelligerent discipuli sibique persuasum haberent, hoc caput doctrinae non tantum esse verissimum et plane diuinum, sed etiam hominibus omnibus cognitu maxime necessarium et longe saluberrimum, hanc esse veritatem optimam maximam. Sermo igitur in hoc loco est de Apostolis, quos voluit Dominus, vt dicarent se, suasque vires omnes, vitam totam doctrinae de Patre et Filio in procuranda salute humana tradendae, inculcandae, propa-

gandae; id quod vel maxime notabile videri debet doctori euangelico vnicuique.

Atque hunc esse sensum horum verborum, sequentia docent evidenter. Subiecit enim Dominus haec: *καθὼς ἐμὲ ἀπέστειλας εἰς τὸν κόσμον, κἀγὼ ἀπέστειλα αὐτοὺς εἰς τὸν κόσμον*. Misit autem Pater Filium in has terras, praeter alias causas, etiam propterea, vt manifestaret Patrem, eiusque consilia et voluntatem de salute humani generis, vt diserte dixerat *versiculo quarto et sexto* et in multis aliis locis; parem ob causam parique consilio Dominus mittebat suos discipulos, vt, quemadmodum ipse manifestasset Patrem, ita et ipsi manifestent vt Patrem, ita et Filium. Id vero vt praestare possent, Dominus non modo ipsis expetiit auxilium Patris: *ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου*, sed ipse quoque fundamentum posuit; dixit enim: *καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτόν*. Scilicet cum doceret Dominus in his terris, neminem arcebat a sua institutione, patebat cuique ad ipsum aditus. Sed interioris admissionis erant discipuli; eorum curam gessit peculiarem; hos instituit de rebus, de quibus alios instituere non poterat; his in primis manifestauit Patrem. Atque ita iis se dicauit; *ἁγιάζω* enim positum est pro tempore praeterito: *ἡγίασα*. Sed vt Dominus se dicauerat discipulis; ita voluit, vt et discipuli se dicarent ipsi, dum totam vitam impenderent tradendo euangelio, *ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ*. Atque vti volebat Dominus, ita eueniebat. Discipuli enim totos ei se sacrabant, viuebant Christo, patiebantur Christo, moriebantur Christo. *Christus viuit in me*, inquiunt; *Christus est vita mea*, ei dicata est vita mea; *non mihi viuo*, *sed Christo*; *omnia nihili facio*, *prae excellenti cognitione Iesu Christi*, *immo abieci omnia et pro stercore habui*, *vt Christum lucrari possim*; *omnia in omnibus Christus*. Nominatim vero totius institutionis eorum caput et summa, initium et finis erat Christus. *Existimabam*, inquit Paulus, *cum*

venissem ad vos, doctrinam christianam traditurus, me vobis nihil prius, nihilque salubrius posse exponere, quam Iesum, eundemque in cruce mortuum. Fundamentum aliud iacere non licet, praeter id, quod iactum est, qui est Iesus Christus. Et quae sunt eius generis alia. Ita vero dicati erant discipuli doctrinae veritatis, plane vt Dominus optauerat: ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ.

Sequitur nunc vltima pars precum, quas fecit Dominus pro credentibus omnibus, inde a *vicesimo versiculo* vsque ad finem Capitis. *Neque tamen pro his discipulis tantum precor, verum etiam pro iis, qui per eorum institutionem fidem in me admittent.* Id enim denotat hoc loco verbum πιστεύειν, nempe: suscipere Iesum tanquam Filium Dei, missum a Patre Seruatorem mundi. Vnde λόγος rursus denotat non doctrinam in vniuersum, sed partem eius primariam de Patre et Filio in causa salutis humanae, vt *vers.* 6. 14. *et* 17. habuimus; quod series orationis in hoc loco docet euidenter. Vtrum vero legas: πιστευόντων, an: πιστευσόντων, vnum idemque est; illud tamen videtur vsitatius esse loquendi consuetudini Ioannis, qui praesenti tempore vti solet pro futuro.

Iam quid apprecabatur Dominus futuris sectatoribus suis, Christianis? Scilicet coniunctionem intimam cum inter se, ratione fidei et vitae, tum, quod erat summum, cum Patre et Filio. Precabatur enim *versiculo primo et vicesimo* hac ratione: *vt sint omnes intime iuncti, quemadmodum tu, Pater, et ego sumus iuncti, vt sint iuncti nobiscum, vt intelligat mundus, me a te esse missum.* Primum igitur optabat Dominus coniunctionem Christianorum omnium inter se inuicem, et quidem talem, quae est partim in vnitate fidei, et quidem fidei in Patrem et Filium in causa salutis, partim vero etiam in vnitate animorum, sensuum, factorum. Id enim fuit consilium Domini, reconciliare vt

homines cum Deo, ita quoque homines inter se, pacem facere inter eos, qui erant odiis distracti, cuiusmodi tum nominatim erant Iudaei et Gentiles, coniungere omnes sub vno capite et domino ad vnam eandemque societatem eorum, qui Deum, et quem misit, Iesum Christum, agnoscunt et colunt vno spiritu, ad ipsum communiter tendunt, ei se pariter adiungunt sensu, cultu, spe, reliqua; quique adeo participes facti sunt gratiae Patris, amoris Filii et coniunctionis Spiritus sancti, fruunturque felicitate, a Christo parta. In eo enim consistit coniunctio Christianorum inter se, nempe in vnitate fidei, et quidem tali, cum credunt omnes, Patrem misisse Filium, Iesum Christum, et hunc esse a Patre missum Seruatorem humani generis, deinde vero etiam in vnitate animi et vitae, vbi omnes vno spiritu adorant Patrem, Filium et Spiritum sanctum, colunt sanctitate animi atque vitae, in omnibus sentiunt et agunt ad normam doctrinae et exempli Christi, atque ita participes fiunt felicitatis, a Christo comparatae. Ac talem coniunctionem inter homines optabat Dominus, cum diceret: ἵνα πάντες ἓν ὦσι. Hinc intelligi potest, quanti momenti sit, et esse debeat homini christiano cuique haec fides in Patrem, procurantem salutem humanam per Filium, et in Filium, huius salutis auctorem vnum.

Sed talis coniunctio hominum inter se quomodo locum habere posset, nisi ante omnia homines coniuncti essent cum Patre? Vbi non est coniunctio hominum cum Deo, ibi non potest esse coniunctio hominum inter se. Fuit igitur consilium Domini ante omnia hoc, reducendi ad Deum homines, a quo essent seiuncti per peccata, reconciliandi cum Deo, qui eius essent inimici, coniungendi vel maxime alienos ad vnam familiam liberorum Dei, quos insigniter amaret, patris instar, quibus peculiarem in modum benefaceret, qui vero etiam ipsum amarent, colerent, venerarentur, precibus

adirent, vt liberi patrem benignissimum, atque ita quoque se inuicem diligerent tanquam liberi vnius eiusdemque patris. Haec est coniunctio cum Patre. Talem volebat Dominus condere inter homines.

Verum nec haec coniunctio hominum cum Patre locum habere posset, nisi coniuncti essent cum Filio, per quem aditus patet ad Patrem. Coniungere autem Dominus voluit homines secum ad vnum corpus, ad vnam eandemque societatem, sic, vt eos adamaret, pro iis adeo etiam vitam poneret, quorum caput et dominus esset, quos regeret omnique bonorum genere ornaret, qui vero etiam ipsum agnoscerent dominum, colerent, venerarentur, eius doctrinae et exemplo conuenienter crederent, sentirent, optarent, agerent, ex fonte bonitatis eius inexhausto immensam beneficiorum vim acciperent, vniuersamque felicitatem in hac atque in altera vita ab eius gratia exspectarent. Hoc tali modo vt homines secum coniungeret Dominus, id erat, quod primum atque ante omnia spectaret, quodque prae caeteris optaret.

Neque tamen condere volebat Dominus coniunctionem inter homines quamcunque, sed peculiarem, ac talem quidem, qualis locum haberet inter Patrem et Filium, hoc est, intimam et efficacissimam: *ἵνα*, inquit, *πάντες ἓν ὦσι, καθὼς σὺ, πάτερ, ἐν ἐμοὶ κἀγὼ ἐν σοί.* Sunt vero Pater et Filius vnum, vt in natura, ita in amando, volendo, operando; quemadmodum vidimus ad *Cap. X*, 30. Vt Pater amat homines, ita Filius; vt Pater nihil vult, nihilque operatur, nisi quod spectet ad salutem hominum, ita Filius. Pari modo Christianos omnes vult Dominus vnum esse, vt in credendo, ita etiam in amando, volendo, agendo, et quidem ad exemplum Patris et Filii, sic, vt ament non modo Patrem et Filium, sed etiam se inuicem, et quidem tam impense, vt Pater et Filius homines amarunt, et propter hanc causam, quoniam Pater et Filius amarunt

homines; vtque nihil prius velint, desiderent, quaerant, quam salutem a Patre destinatam, et a Filio partam, cum suam ipsorum, tum vero etiam aliorum, propterea, quoniam Pater et Filius nihil aliud volunt et operantur, quam salutem hominum. Qualis coniunctio est inter Patrem et Filium, talis debet esse coniunctio Christianorum inter se.

Atque ex hac tali coniunctione Christianorum inter se inuicem in credendo, agendo, habendo, fruendo, redundare potest magna vtilitas ad eos, qui Christum non profitentur. Nam cum viderint, quam arcte coniuncti sint Christiani inter se, quantopere ament se inuicem, amentque Patrem et Filium, quanta denique felicitate fruantur, hinc non possunt non colligere, religionem, quam profiteantur, vtilem esse ac salubrem, atque adeo etiam veram et diuinam, et Iesum esse humani generis Seruatorem, siue, vti dixit, se missum esse a Patre. Atque ita optabat Dominus precabaturque a Patre, vt coniunctio Christianorum inter se haberet hanc vim, vt incitarentur ad fidem suscipiendam ab ea alieni; idque sperabat, fore, si Christiani essent quemadmodum fide, ita quoque animi vitaeque sanctitate coniunctissimi.

Sed talem, tam arctam, tamque beatam coniunctionem fidelium omnium cum Patre et Filio, et inter se inuicem conciliare volebat Dominus non tantum in hac vita, verum etiam atque in primis in altera; de quo est *versiculo vicesimo secundo et duobus sequentibus: atque ego gloriam, quam daturus es mihi, dabo illis, vt coniuncti sint inter se, quemadmodum nos; ego cum iis, vt tu mecum; sintque coniunctissimi ad vnum omnes, vt agnoscat mundus, me a te missum esse, eosque a te amari, sicut me a te. Velim, Pater, vt, quos meae curae tradidisti, sint apud me eo in loco, vbi ego ero, videantque gloriam, quam daturus es mihi, quem dilexisti ante mundum conditum.* Haec verba, facile

quisque videt, esse maximi momenti; promittit Dominus sectatoribus suis beatitudinem in altera vita tantam, quantam ne cogitando quidem possis assequi.

Primum promittit in vniuersum, se daturum esse suis gloriam talem, cuiusmodi ipse accepturus esset. Nam per τὴν δόξαν intellexit haud dubie conditionem sublimem, ad quam perueniebat per adscensionem in coelos, gloriam eam, quam habuit tanquam Filius Dei apud Patrem ab aeterno, vt dixit *versu quinto*, cuius particeps fiebat nunc tanquam filius hominis et humani generis Seruator, potestatem in primis in homines, eos regendi et saluos reddendi, *versu secundo*, beatitudinem, qua fruitur in coelis, et quae in primis oritur inde, quoniam homines beatos reddere potest; breuiter, intellexit Dominus per τὴν δόξαν vniuersa ornamenta, quae ei competunt tanquam capiti et domino humani generis; *gloriam et honorem* appellauit Apostolus, *quo coronatus est per passiones mortis. Hebr. II*, 9. Hanc gloriam daturum se esse promittit suis sectatoribus, nimirum non eandem, sed similem, hoc est, maximam, cuius demum tanquam homines participes fieri possunt. Domino data est gloria summa, tanquam capiti humani generis; pariter et sectatoribus suis dabit gloriam summam. Eam vero Dominus dabit, (δέδωκα est pro: δώσω,) primum, quia eam peperit, deinde, quia accepit a Patre potestatem, eam tribuendi omnibus, quos Pater ipsi discipulos conciliauit, vt est *secundo versiculo*. A Christo igitur repetenda est, expetenda et exspectanda beatitudo futura vniuersa; a Christo, tanquam eius reparatore et datore. Et dator quidem erit, quatenus eam tribuet cuique non tantum in ingressu cuiusque in vitam aeternam, sed etiam in progressu per omnem aeternitatem. Rependet enim cuique pro factis, assignabit non tantum suum locum, suam sortem cuique pro ratione vitae antegressae, verum etiam in altera vita beatos reget ac ducet, tanquam caput et do-

minus, eorum sortem curabit, fons erit omnis omnium beatorum felicitatis per aeternitatem vniuersam. Id sibi voluit, cum diceret: *ἐγὼ ἐν αὐτοῖς.* Nam Christus est in beatis, quatenus iis suppeditat omne genus beatitudinis; quemadmodum beati sunt in Christo, quatenus accipiunt ab eo beatitudinis omne genus, eoque fruuntur. Sed ex hac communi beatitudine orietur coniunctio intima inter beatos ipsos, eaque perfectissima: *ἵνα ὦσι τετελειωμένοι εἰς ἕν*; omnes coniuncti erunt inter se eodem sensu vt amoris, ita beatitudinis, sub eodem domino. Vt vero aliquando locum habere possit eiusmodi coniunctio cum Patre et Filio, et inter se inuicem, necesse est, vt quisque cognoscat Iesum, tanquam Seruatorem a Patre missum, et Patrem eiusque amorem ingentem, cum erga humanum genus, tum erga Filium ipsum. Id enim innuere voluit Dominus his verbis: *ἵνα γινώσκῃ ὁ κόσμος, ὅτι σύ με ἀπέστειλας καὶ ἠγάπησας αὐτοὺς, καθὼς ἐμὲ ἠγάπησας.* Inde vero patet, Dominum prae caeteris voluisse hoc, et velle omni tempore, vt, quicunque adspirare vellent ad beatitudinem futuram, agnoscerent atque crederent, primum, Iesum esse missum Seruatorem mundi, deinde, Patrem per missionem Filii ingentem amorem demonstrasse, denique, Filium a Patre amari, eiusque opus Patri gratissimum esse acceptissimumque, adeoque plane diuinum. Porro et illud patet, per *τὸ γινώσκειν*, *versiculo tertio*, itemque per *τὸν λόγον* et *τὰ ῥήματα*, *versiculo sexto et octauo*, denique per *τὴν ἀλήθειαν*, *versiculo decimo septimo*, non intelligi cognitionem et doctrinam quamcunque, sed in specie cognitionem et doctrinam de Patre, salutem humanam procurante per Filium, et de Filio, eandem parante et dante.

Iam vero *versiculo quarto et vicesimo* in specie explicauit Dominus, quidnam intellexerit per *τὴν δόξαν*, quam in altero saeculo daturus esset credentibus, atque adeo, in quonam consisteret beatitudo vitae alterius;

quae sunt maxime notabilia. Scilicet dixit primum: *θέλω, ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, κἀκεῖνοι ὦσι μετ᾽ ἐμοῦ.* Vult itaque Dominus, vt credentes eodem perueniant, sintque in loco eodem, in quem ipse abiit. Abiit autem in *domum Patris*, vt dixerat, *Cap. XIV*, 2. in locum eum, in quo Pater operibus maioribus, quam in his terris factum est, suam maiestatem manifestat, vbi dexter sedet Patri, vbi regnat et beatos reddit. Atque in hunc ipsum locum venturi sunt credentes omnes. Enimuero in quo loco Christus est, Christus regnat, Christus beatos reddit, ibi non potest non bene esse. Sed deinde subiecit Dominus etiam aliquid amplius, scilicet hoc: *ἵνα θεωρῶσι τὴν δόξαν τὴν ἐμὴν, ἣν ἔδωκάς μοι.* Ac formula: *videre gloriam Christi*, triplicis generis felicitatem exprimit. Denotat enim *primum:* gloriam et maiestatem Iesu cognoscere melius, quam in his terris fieri potest. Hic quidem eam cognoscimus; scimus et credimus, Iesum versari apud Patrem, et regnare pari et aequali maiestate; olim autem cognoscemus longe euidentius. *Nunc quidem*, inquit Ioannes, 1 *Ep. III*, 2. *nondum apparuit, quales simus futuri*, quali felicitate gauisuri; *nouimus tamen, nos, vbi apparuerit, ei fore similes; nam cognoscemus illum, qualis vere est*, tum plane intelligemus, quis et quantus sit Iesus, quanta maiestate ornatus, quanta potestate praeditus, beatos reddendi. Denotat *deinde:* vim et effecta gloriae et maiestatis Iesu magis experiri, quam in hac vita fieri potest. Hic quoque experiuntur fideles omnes in dies magis magisque effecta operis Christi salutaris, quatenus a copia eius abundantissima bona accipiunt vberrima et longe praestantissima, fruunturque per Christum felicitate verissima et liquidissima. *Cap. I*, 16. Sed haec effecta experientur in altera vita maiorem in modum, peruenientque ad sensum felicitatis, cui quidem nunc ne cogitandae quidem pares sunt, multo minus percipiendae. Hic viuimus fide, non adspectu.

Hic felicitas nostra est vera et magna, sed imperfecta; tunc erit perfectior. Denotat denique *tertio*, quod est summum ac praecipuum: gloriae Christi consortem fieri, peruenire ad maiorem perfectionem et felicitatem, vt Christus, in communionem venire bonorum, quibus ornatus est Christus, caput et dominus humani generis. *Si calamitates pertulerimus, vt Christus,* inquit Paulus Apostolus, *Rom. VIII,* 17. *glorificabimur quoque, vt Christus.* Et alio loco: *si mala cum eo pertulerimus, cum ipso etiam aliquando regnabimus.* 2 *Tim. II,* 11. Iam Christus regnat, operatur ad salutem beatorum. Sic regnabunt beati cum Christo, hoc est, Christo duce et auspice Christo, efficaces se praestabunt ad felicitatem communem. Tanta erit ac tam excellens beatitudo in vita altera eorum, qui per fidem coniuncti sunt cum Patre et Filio! Atque ne quis dubitare posset de huius promissionis veritate et certitudine, subiecit Dominus haec: ὅτι ἠγάπησάς με πρὸ καταβολῆς κόσμου. Ita Deus voluit, decreuit, constituit ante initia mundi! Est igitur voluntas Patris, decretum Patris, vt ad hanc tantam felicitatem per Filium perueniant credentes omnes. Tam certo Pater hoc vult, quam certo amat Filium.

Sed rediit Dominus ad discipulos suos, eosque denuo commendauit curae ac tutelae paternae, versiculis duobus extremis: *Pater benignissime, mundus te non cognouit, vti te manifestaui; hi autem cognouerunt, me a te missum esse; his ego te notum feci et in posterum notum facturus sum, vt amor, quo complecteris me, in ipsis sit, atque ego in ipsis.* Hic Patrem appellauit δίκαιον, id est, longe benignissimum, et quidem hactenus, quatenus se talem demonstrauit in mittendo Filio suo ad salutem hominum. Sed testatur simul dolorem suum, mundum Iudaicum hanc benignitatem Patris non agnouisse. Etenim per τὸν κόσμον rursus intellexit populum Iudaicum. Hunc docuerat Dominus;

huic verbis et factis manifestauerat Patrem eiusque consilia sapientissima in mittendo Filio suo. Sed hic populus, obcoecatus opinionibus antecaptis, noluit Patrem agnoscere talem, qualem se praestitit mittendo Filio suo, et qualem Dominus notum fecerat. Id enim et hoc loco denotat: γινώσκειν τὸν πατέρα, vt supra *versiculo tertio*, nempe: cognoscere mentem, consilia, voluntatem Patris in mittendo Filio suo, siue: cognoscere talem, qualem Filius manifestauerat; quemadmodum Dominus explicauit his verbis: ἐγὼ δέ σε ἔγνων, quae non denotant: ego te cognoui; sed ex notissimo modo loquendi Hebraeorum: ego te cognoscendum praebui, ego te manifestaui. Populus Iudaicus cognoscebat Deum, sed non modo eo, quo Dominus eum manifestauit, nimirum tanquam Patrem, qui adamauit genus humanum inde a mundo condito, et Filium suum mittere decreuit, et nunc vere misit ad seruandos homines beandosque. Sed tali modo eum cognouerunt discipuli: οὗτοι ἔγνωσαν, ὅτι σύ με ἀπέστειλας· quibus verbis continetur explicatio formulae: γινώσκειν τὸν πατέρα, nimirum haec: cognoscere et credere, Patrem misisse Iesum Servatorem mundi; quod et sequentia confirmant: καὶ ἐγνώρισα αὐτοῖς τὸ ὄνομά σου, quae, vt vidimus ad *versum sextum*, denotant: effeci, vt cognoscerent te, tua consilia, tuamque voluntatem in mittendo Filio tuo. Addidit quoque Dominus: καὶ γνωρίσω, efficiam in posterum quoque, vt te magis magisque cognoscant; quod effecit per sanctum Spiritum. Ad extremum subiecit haec: ἵνα ἡ ἀγάπη, ἣν ἠγάπησάς με, ἐν αὐτοῖς ᾖ, κἀγὼ ἐν αὐτοῖς. Erat vero amor Patris erga Filium in discipulis, quatenus cognoscebant, Iesum esse Filium Patris dilectissimum, doctrinam eius esse Patris, opus eius Patris, quaecunque habeat, esse Patris, ipsum cum Patre vnum esse. Id enim, quod saepius innuit Dominus, ei fuit maximi momenti, idque optauit prae caeteris, vt discipuli eius sectatoresque omnes intelligerent, ipsum et

Patrem esse intime coniunctos, opus eius esse ex voluntate Patris susceptum, adeoque plane diuinum. Discipuli vero erant in Domino, cum agnoscerent, eum esse talem, qualem se esse verbis et factis docuerat, Filium Patris, Seruatorem mundi, talemque profiterentur fide et vita, ac talem praedicarent in vniuerso orbe terrarum.

Iam si summam inire volueris eorum, quae Dominus in his precibus ad Patrem locutus est ac professus disertis verbis de se, sua natura, suoque opere, efficitur necessario, Iesum, Filium Dei, antequam venisset in has terras, immo vero inde ab aeterno, fuisse apud Patrem in coelis in arctissima cum eo coniunctione, vt consiliorum et operam, ita naturae et maiestatis, eumque, quatenus erat filius hominis et Seruator, cum discederet ex his terris, peruenisse ad consortium eiusdem maiestatis, quam tanquam Filius Dei haberet ante mundum conditum; *vers.* 1. *et* 5. per mortem eius illustratam esse vel maxime vt Patris, ita etiam suam ipsius gloriam, hoc est, sapientiam, sanctitatem, gratiam benignitatemque in decernenda, acquirenda et conferenda salute hominum; *vers.* 1. visum enim fuisse sapientiae ac benignitati Patris, curam salutis humanae vniuersae tradere in manus Filii, eique dare imperium in homines omnes, quos miseriis omnibus eriperet ac bearet, atque iis, qui disciplinae eius se tradiderint, vitam aeternam largiretur; *vers.* 2. tenendae vero huius vitae beatitudinisque aeternae non aliam esse rationem et viam, nisi hanc, vt agnoscat quisque et Patrem, fontem salutis, quatenus pro amore immenso eam donare per Filium decreuit, et vero etiam Filium, salutis reparatorem et datorem, sic, vt ab hac Patris et Filii gratia salutem omnem expetat atque exspectet; *vers.* 3. ac propterea Iesum in his terris praecipue atque ante omnia egisse hoc, vt manifestaret consilium Patris benignissimum de salute hominum per Filium reparanda et conferenda,

seque praestaret tamquam salutis auctorem; *vers.* 4. atque hoc ipsum consilium Patris fuisse caput primum ac praecipuum, et veluti summam totius doctrinae, disciplinae suae alumnis traditae; *vers.* 6. 7. 8. 14. 25. 26. τὸν λόγον σου appellauit, itemque τὰ ῥήματα et τὴν ἀλήθειαν *vers.* 6. 8. *et* 17. eumque prae caeteris voluisse, optasse atque etiam exspectasse, vt discipuli eius hoc caput doctrinae non modo recte intelligerent, vera fide amplecterentur et constanter tenerent, verum etiam ante omnia traderent et manifestarent in orbe terrarum, sibique persuasum haberent, se facturos esse opus non humanum, sed diuinum, Patri gratissimum acceptissimumque; *vers.* 11. 15. 17. 18. 19. atque per eorum praedicationem adducerentur homines omnes, gentes omnes ad fidem in Patrem et Filium, atque ita ad salutem, a Patre destinatam, et a Filio paratam. *Vers.* 20. *sqq.* Igitur ex his quoque precibus Domini, si ex vllo alio eius sermone, intelligi potest euidentissime et diuina ipsius maiestas, et operis salutaris indoles atque excellentia; simulque efficitur, caput doctrinae de gratia Patris, per Filium exhibita, de Filio, salutis auctore, et de salute, per fidem in eum tenenda, esse religionis christianae primarium et summum.

CAPVT XVIII.

Iam Dominus, eiusmodi precibus ac sermonibus cum confirmasset se suorumque animos, et causam suam, discipulos suos, sectatores suos, praesentes ac futuros, homines omnes, curae ac tutelae Patris commendasset, consolatusque esset amicos suos aduersus afflictiones imminentes, ne desponderent animum, cum mox viderent, dominum suum rapi ad supplicium ignominiosissimum, Dominus igitur, relicta vrbe Hierosolymitana, in qua modo epulum paschale celebrauerat, sacramque coenam instituerat, atque sermones antecedentes habuerat, quo magis declararet, se volentem et lubentem oppetere mortem, quam alioquin facile effugere licuisset, vltro obuiam proficiscebatur iis, a quibus erat capiendus.

Etenim *haec locutus, Iesus egrediebatur* vrbe Hierosolymitana *cum discipulis, et transmisso flumine Kedron, se cum illis contulit in villam aliquam; qui locus bene notus erat Iudae, ipsum proditure, quippe Iesus frequenter eo se cum discipulis recipere consueuerat.* Locus hic appellatur a Ioanne κῆπος; quod vocabulum denotat locum quemque, arboribus, oleribus et id genus aliis plantis consitum, vt *Cap. XIX,* 41: deinde vero villam, praedium, vt hoc loco; quare a *Matthaeo, Cap. XXVI,* 36. et a *Marco, Cap. XIV,* 32. appellatur χωρίον, quod significat villam et praedium: *Io. IV,* 5. *Act. XXVIII,* 7. Habebat vero praedium illud nomen Gethsemane, vt est apud eosdem Euangelistas locis laudatis, situmque erat ad radicem montis oliueti. Eo autem solitus erat Dominus se subducere cum discipulis pernoctandi caussa, quoties diebus festis Hierosolymis esset. Vnde Iudas eum locum bene nouerat; nec vero

etiam Dominum fugiebat, vt ex *versu quarto* patet, Iudam eo esse venturum impio consilio. In hunc locum secessit Dominus, eundemque notum, ne videretur latitare velle, velut mortem metuens, et solitarium, vt, quod inimici captabant, absque tumultu capi posset. Caeterum verissime iudicarunt viri docti, legendum esse non: τῶν κέδρων, tanquam esset fluuius cedrorum, propterea sic appellatus, quoniam ad eum consitae fuerint cedri; sed: τοῦ κεδρών: erat enim hoc nomen proprium fluuii, qui appellabatur κεδρών.

Sed inter eundum, vt habet *Matthaeus*, *Cap. XXVI*, 30. *sqq.* et *Marcus*, *Cap. XIV*, 26. *sqq.* denuo praedixit discipulis, fore, vt mox grauiter perturbentur viso eius supplicio, immo hac ipsa nocte eum omnes desererent; commemorato etiam, quo minus dubitare possent, vaticinio prophetae: *percussa pastore dispergentur oues*. At vero etiam, ne animum desponderent, quae erat singularis erga discipulos benignitas, eos consolabatur mox futura resurrectione, simulque designabat tempus et locum, vbi ipsum viuum essent conspecturi. Verum ille sermo: *vos me deseretis*, vehementer offendebat Petrum, vt non modo negaret, id futurum esse, sed etiam se praeferret reliquis discipulis. Vt omnes, inquit, te deserant, ego certe te non deseram. Ac ne tum quidem coercebatur eius confidentia, cum Dominus asseueraret, eum hac ipsa nocte, ante gallicinium, hoc est, antequam dies crastinus illuxerit, ter negaturum esse, se ipsum nosse, vt potius responderet pertinaciter: *etsi tecum mihi moriendum esset, non negabo, me esse tuum*. In quo est grauis admonitio, ne quis, ingruente malorum periculorumque procella, suis ipsius viribus confidat, vt potius confugiat ad auxilium diuinum, quod tanto praesentius adest, quo magis viribus nostris diffisi fuerimus.

Inter hos sermones vbi ventum erat in praedium, Gethsemane appellatum, hic considere iubet Dominus

discipulos reliquos, et vigilare, et preces fundere, ne in peccandi periculum incidant. Ipse hortum praedii ingressus est, assumto Petro, Ioanne et Iacobo, quos, vt spectatores adhibuerat suae maiestatis olim in monte Itabirio, *Matth. XVII*, 1. nunc testes habere volebat extremae imbecillitatis. Atque et hos monet, secum persistere et vigilare, non dissimulans illis, se oppressum esse angore animi mortifero; deinde progressus paululum, humique prostratus, ter precatur ita: *mi Pater, vtinam velles depellere a capite meo haec mala! Sed fiat ex tua voluntate, non ex mea.* Et *Lucas* commemorauit, *Cap. XXII*, 44. tantum angorem corripuisse Dominum, vt sudor eius similis esset guttis sanguineis, ad terram defluentibus; hic videtur esse sensus illius loci. Putant enim viri docti, nominatim VALCKENARIUS *in Scholis in libros quosdam N. T. Tom. I.* p. 267. verba Lucae: *ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος*, non quidem explicanda esse per hyperbolen, quemadmodum dicendi quaedam formulae prouerbiales, Graecis vsitatae ad exprimendum luctum summum, veluti: *αἵματι κλαίειν*, et: *αἵματι ἱδροῦν*· neque tamen etiam iis indicari, Dominum sudasse grumos sanguinis, proprie dictos, sed, eum sudasse toto corpore sic, vt guttae sudoris defluerent in terram, hasque guttas fuisse instar grumorum sanguinis, in terram decidentium; idque docere voculam *ὡσεὶ*, similitudinem tantum quandam indicantem. *Luc. III*, 22. *Act. II*, 3. Nec mirum videri debet cuiquam, tali tristitia affectum fuisse Dominum, talesque preces fecisse ad Patrem. Erat homo verus, per omnia fratribus suis, hominibus, similis, quemadmodum est in *Ep. ad Hebraeos, Cap. II*, 14. *sqq.* expositus omnibus naturae humanae imbecillitatibus, omnibus malis, quibus homines affliguntur, etiam terroribus mortis, partim vt vim eorum frangeret, mortemque ipsam vinceret atque perpetuo et seruili mortis metu alios liberaret, partim vt intelligeretur, quam

procliuis esset et promtus ad opem ferendam afflictis, quippe ipse afflictus omni modo, et acerbitatem malorum expertus plus, quam quisquam alius, vtque excitarentur afflicti omnes, tanto confidentius ad eum confugere, ad auxilium expetendum et impetrandum. Erat vero etiam sanctus et innocens; optabat quidem, vt liberaretur ab imminentibus malis, quae intelliguntur per τὸ ποτήριον, vt *vers.* 11. sed vix audebat proloqui, id sibi acceptum fore; dicit tantum: *si fieri potest;* sed statim se corrigit, dum addit: *non mea voluntas fiat, sed tua,* seque adeo subiecit voluntati Patris, praebuitque obedientem adeo vsque ad supplicium crucis. Neque enim deprecabatur mortem, quam sciret e consilio Patris ipsi esse definitam; immo vero statim finitis his precibus declarabat, se ad eam suscipiendam esse promtum paratumque, *versiculo vndecimo* huius Capitis. Multo minus metuebat mortem amore vitae; alias fuisset inferior iis, qui dolores grauissimos mortemque ipsam forti et constanti animo pertulerunt; sed angebatur operis, ab ipso perficiendi, magnitudine et grauitate, quod sciret esse immensum ratione effectorum de salute generis humani, quodque optaret perficere ad voluntatem Patris et ad salutem hominum. Quare per angelum coelestem confirmatus esse dicitur de auxilio Patris; quo simile quid eueniebat, quod supra habuimus. *Cap. XII,* 28. *) Sed Dominus, reuer-

*) Quae vnus *Lucas* narrauit de angelo, e coelo misso, et sudore Domini, *Cap. XXII,* 43. 44. dubia visa sunt antiquissimis iam temporibus. Tradunt certe HIERONYMVS, HILARIVS et EPIPHANIVS, ea in libris quibusdam reperiri, in aliis vero omissa esse, aut asterisco notata, addita causa, quoniam Christo indigna visa fuerint quibusdam. Sed notauit idem EPIPHANIVS, hoc loco vsum fuisse IRENAEVM, vt ostenderet, Iesum esse verum hominem. Nec causa afferri potest, quare hic locus fuerit additus ab aliena manu. Quare vix videtur dubitari posse, eum esse genui-

sus ad discipulos tres, cum dormientes offendisset, exprobrauit illis intempestiuam somnolentiam, cum tempus exigeret summam vigilantiam. Ecce, inquit, hora adest, qua filius hominis tradetur in manus impiorum! Surgite, eamus obuiam venienti malo! En, adest me proditurus!

Et nondum finierat hunc sermonem, cum Iudas adesset in praedio. *Eo vero se contulerat Iudas, assumta cohorte militum et Pontificum Pharisaeorumque ministris, instructis facibus, laternis et armis.* Igitur noctu haec agebat Iudas, tempore opportuno ad malefaciendum, ne tumultus oriretur a populo. Venit non solus, sed secum ducens magnam turbam hominum; non cuiuscunque generis, sed a magistratu ablegatorum. Praecipui erant milites Romani, quos ad hanc rem dedit Pilatus; *τὴν σπεῖραν* appellauit Ioannes; est enim *σπεῖρα* cohors militum Romanorum, cuiusmodi fuisse constat in omnibus prouinciis Romanis. Procuratores enim vel exercitum habuerunt in prouinciis maioribus, vel certe, vt in prouinciis minoribus, manum quandam militum, partim ad custodiam corporis, partim ad mandata eorum exsequenda; et nominatim in vrbe Hierosolymitana fuit praesidium militum Romanorum. Apud *Matthaeum, Cap. XXVII,* 27. appellantur *στρατιῶται τοῦ ἡγεμόνος*, dicunturque congregasse aduersus Iesum vniuersam cohortem. Quare probabile satis non videtur, vt placet nonnullis, intelligi per *σπεῖραν* milites Iudaeorum, qui in templo custodias agere solebant. Deinde cum Iuda erant *ὑπηρέται ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ φαρισαίων*, id est, Senatus summi ministri publici, ad vim faciendam destinati; nam per *τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ φαρισαίους*, itemque, vt dicti reperiuntur a *Marco, Cap. XIV,* 43. *γραμματεῖς καὶ πρεσβυτέρους*, in promtu est, describi

num. Vid. MILLII *Proleg. Segm.* 797. *sq. et* 1056. itemque WETSTENIVM ad hunc locum.

Senatum Iudaeorum summum, siue, Synedrium, vt dici solet. Adhibuit igitur manum armatam, ne comites Iesu resistere possent, quo minus caperetur. Dederat quoque, vt *Marcus* narrauit, *Cap. XIV*, 44. cohorti mandatum hoc, vt eum abducerent caute, ne elaberetur.

Iesus autem, qui praesciret omnia, sibi euentura, egressus interrogat eos: quemnam quaeritis? Ergo Dominum nihil quicquam fugiebat eorum, quae gerebantur, vt plane intelligeretur, ipsum passum esse et mortuum praescium et volentem. Sciebat aduentare Iudam cum cohorte, quae manus ipsi iniiceret; non exspectabat eorum aduentum, iis obuiam processit, vltro percunctatus, quem quaererent, seque sponte tradens eorum potestati.

Cumque respondissent, se Iesum Nazarenum quaerere, dixit: ego sum. Simul cum iis aderat Iudas, eius proditor. Hunc enim Euangelistae reliqui tradunt, osculo signum dedisse, quis esset, quem capi vellet. Hoc signum quonam momento temporis dederit, num antequam Iesus interrogaret, quemnam quaererent, an postea, disputant quidem interpretes; res autem est plane incerta, nec eget multa disputatione.

Vt vero dixit: ego sum, illi retrocedunt et concidunt in terram. Adeo terrebatur cohors ista vna voce Domini, vt eius vim ferre non posset! Id num factum sit miraculo aliquo, quo homines isti, velut fulmine percussi, prosternerentur humi, quemadmodum interpretes plerique putant, id quidem Ioannes non tradidit. Mirum tamen videri potest, homines eiusmodi, qui alias nullis verbis, ne vi quidem adhibita, terreri facile se patiuntur, vna voce Domini, non saeuiente, non terrente et minante, adeo perturbatos fuisse, vt in terram prolaberentur. Illud certe inde patet, Dominum, cum armatam manum militum in terram prosterneret sola voce, nulla vi capi potuisse, nisi capi se permisisset,

seque facile potuisse subtrahere eorum potestati, si modo voluisset. Qui haec ex naturali rerum serie explicare tentarunt interpretes quidam inde ab HEVMANNO, meris coniecturis nituntur. Dicunt enim, cohortem ipsam ignorasse, quisnam esset prehendendus; id sciuisse tantum eius praefectos; iam illos, cum repente cernerent Iesum, quem tot miracula patrasse vidissent, tanta eum vi docuisse per Palaestinam audiuissent, tanti viri adspectu repentino ita perterritos fuisse, vt poenam metuentes retrocederent, vacillarent, eorumque quidam, tres aut quatuor, in terram procide- rent. At vero de his omnibus ne verbulum quidem extat in toto hoc loco. Neque enim adspectu Domini dicuntur perculsi fuisse, sed eius voce: *ego sum*. Deinde non quidem πάντες dicuntur perculsi fuisse, neque tamen etiam, vt volunt interpretes, quidam, tres aut quatuor; immo vero Ioannes sine restrictione dixit: *ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω καὶ ἔπεσον χαμαί*, quotquot venerant, ἡ σπεῖρα καὶ οἱ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ φαρισαίων ὑπηρέται: quod maius est, quam si Ioannes dixisset: πάντες in quo fortasse aliquis refugium quaesiuerit, vt diceret, πάντες interdum esse πολλούς. Denique exempla *M. Antonii et Caii Marii*, ex *Valerio Max. VIII*, 9. 2. et *Velleio Paterculo II*, 19. 3. commemorata ab interpretibus, sunt plane alius generis.

Quo facto rursus interrogat: quem quaeritis? Illi: Iesum Nazarenum. Iam Iesus: dixi vobis, me esse; sed si quaeritis me, hos sinite abire. Atque ita locum habuit, quod dixerat: *neminem amisi ex iis, quos mihi dedisti.* Videntur milites manus quoque iniicere voluisse discipulis, et vnum alterumque corripuisse. Sed Dominus vt sui capiendi potestatem fecit; ita non idem ius permisit in discipulos. Voluit enim, vt haec tempestas saeuiret in suum vnius caput, discipuli vero immunes euaderent; atque omnino euentum habuit, quod *Cap. XVII*, 12. dixerat, se e discipulis amisisse nemi-

nem neque vi, neque voluntaria defectione; nullus discipulorum vi aut perfidia ipsius et disciplinae, et caussae eripiebatur; nullus ex eorum numero desiderabatur; omnes salui erant, saluosque atque incolumes post suam resurrectionem deprehendit; omnes, quamuis grauiter tentati, in fide et amore erga Dominum perseuerauerant. Quae si hoc modo accipimus, euanescunt difficultates, quas in hoc loco reperisse sibi visi sunt interpretes, existimantes, Ioannem effatum Domini hoc loco alio sensu commemorasse, quam ipse prolocutus fuisset; Dominum non esse vaticinatum, sed de re praeterita locutum; neque adeo verbum πληρωϑῆναι accipi hoc loco posse de euentu vaticinii; quod profecto non est; accipiendum potius est sic, vt denotet: locum habere.

10. 11. *Sed Petrus, stricto gladio, quo erat accinctus, percussit Pontificis summi seruum, cui nomen erat Malchus, eiusque aurem dextram abscidit. Cui vero Iesus dixit: reconde gladium in vaginam. Nonne poculum bibam, quod mihi Pater exhibuit?* Petrus igitur cum videret, armatam cohortem impias manus iniicere in Dominum, id vi adeo impedire tentabat, pro eo, quo flagrabat, in Dominum amore, in primis cum pollicitus esset, se adeo vitae suae dispendio redempturum esse vitam Domini. Verum diuina prouidentia ictum, capiti serui destinatum, ita dirigebat, vt quam minimum damnum afferret; allatum autem resarciuit Dominus reposita auricula, vt habet *Lucas*; *Cap. XXII*, 51. Petrum vero non tantum iubet condere ensem vagina, sed etiam admonuit, fieri haec omnia ex voluntate Patris, cui satisfaciendo sit paratissimus. Etenim τὸ ποτήριον est imago calamitatis grauis; veluti *Ps. CXVI*, 13. *sumam poculum salutare*, hoc est: suscipiam in me calamitates, mihi salubres, *et Dominum laudabo*. Hinc Deus dicitur *porrigere alicui poculum* bibendum, quando ei destinauit calamitates graues; sicut aliquis

bibere dicitur *poculum*; cum eiusmodi calamitates promte suscipit et patienter fert. Igitur testabatur Dominus, se longe abesse, vt auertere vellet calamitates, ipsi a Pâtre immittendas, vt potius promtus esset paratissimusque, parere voluntati paternae ad mortem vsque. His aliisque sermonibus, quos reliqui Euangelistae commemorarunt, compescuit Dominus feruorem Petri.

Igitur cohors militum cum tribuno, Iudaeorumque ministri manus iniiciunt in Iesum, vinculisque constrictum, abducunt primum ad Hannanum, socerum Caiphae, summi eo anno Pontificis, illius ipsius, qui suaserat Iudaeis, vtile esse, vnum mori pro tota natione. Non aliter agunt cum Iesu, quam instar hominis facinorosi, vinculis ligant et abducunt, neque tamen reluctantem, sed sponte se praebentem eorum potestati, cui, si voluisset, facile se potuisset subtrahere, vt demonstrauerat hoc ipso momento, edito virtutis suae specimine mirabili. Abducunt autem ad *Hannanum*, vt Ioannes tradit; reliqui Euangelistae eum statim abductum fuisse narrant ad Caipham, apud quem Senatus summus iam conuenerat. Res autem erat haec. Scilicet Hannanus, nuper sacerdos summus, sed a *Valerio Grato* munere motus, socer Caiphae, multa auctoritate valens in Synedrio, fuit haud dubie dux et auctor, vt Iesus caperetur. Igitur ad hunc ducunt, ab hoc volunt audire, quid porro sit faciendum. Atque hic statim Iesum duci iussit ad Caipham. Itaque quae a Ioanne tradita sunt a *decimo quinto versiculo* vsque ad *tertium et vicesimum*, ea, consentientibus *Matthaeo*, *Marco* et *Luca*, euenerunt non apud Hannanum, sed in palatio Caiphae, in consessu Synedrii; id quod Ioannes quoque indicare voluit *versiculo vicesimo quarto*, vbi dixit: *miserat Hannanus Iesum vinctum ad Caipham, sacerdotem.* Vnde patet, non esse dissensum inter Ioannem et reliquos Euangelistas, nec necesse esse,

statuere, vt nonnulli volunt, *versiculum vicesimum quartum* esse alieno loco positum et inter *versiculum decimum quartum et quintum* inserendum; nam eo modo, quo diximus, bene cohaerent omnia. Ad Hannanum igitur primum ducebatur Iesus, totius huius facinoris ducem et auctorem primarium; neque tamen aliquid agebatur apud Hannanum, sed sine mora Iesus abducebatur ad Caipham. Nec sine causa repetiit Ioannes, quod commemorauerat supra, *Cap. XI*, 50. Caipham fuisse eundem, qui, reliquis Synedrii assessoribus ambigentibus, quid esset faciendum de Iesu, consilium dedisset, eum omnino esse e medio tollendum. Inde enim intelligitur sponte, Iesum abductum fuisse non ad iudicem, sed ad hostem.

Igitur quae a Ioanne tradita reperiuntur inde a *versiculo quinto et decimo* vsque ad *vicesimum tertium*, euenerunt in aedibus Caiphae, Pontificis summi. Etenim discipuli, vt vident, Iesum prehendi vinctumque abduci, sibi timentes, mox, quotquot erant, deserto Domino, alius alio diffugiunt; vt diserte narrarunt *Matthaeus*, *Cap. XXVI*, 56. et *Marcus*, *Cap. XIV*, 50. praeter Petrum et alium discipulum, quem plerique ferè omnes putant fuisse Ioannem nostrum. Scilicet *sequebatur Iesum Simon Petrus, et discipulus alius, notus in domo Pontificis; quare statim cum Iesu ingressus est subdiale; Petro interea foris stante; vnde alter discipulus, notior Pontifici, foras exiit, et impetrata a ianitrice venia, hunc secum introduxit.* Petrus igitur sequebatur Iesum, et quidem eminus, vt habent Euangelistae reliqui; sed sequebatur tamen, cum caeteri alius alio se proripuissent; neque tamen ausus est introire in subdiale aedium Pontificis; id enim denotat hoc loco αὐλή. Tentat tamen, suadente condiscipulo.

Petrum intrantem serua, ianitrix, compellat hoc modo: heus tu, nonne et ipse es illius hominis discipu-

lus? Sed ille negat. Petrum igitur appellat discipulum Iesu, vel, quoniam eum olim viderat in comitatu Domini, vel quia pro eo deprecabatur, quem discipulum Iesu esse nosset. *Atque cum ministri et serui Pontificis batillum posuissent, quo frigoris causa calefierent, et Petrus iis addstitit, seque calefecit*, sperans, se ita latere posse, interim exspectans, quemnam exitum habitura esset causa Domini.

Interea Senatus summus conuenerat, nimirum, vt appellantur a Matthaeo, Cap. XXVI. 47. et 57. ἀρχιερεῖς, Pontifex summus, praeses Senatus, et qui essent de genere pontificis, nobiliores inter sacerdotes, aut qui ante functi erant pontificatu maximo, et nomen Pontificis summi retinebant, quitusmodi Hannanus fuit; nam hi omnes dici solebant ἀρχιερεῖς: deinde γραμματεῖς, iureconsulti, interpretes legis, qui causas dubias legis decernerent in Synedrio; denique πρεσβύτεροι, assessores e populo delecti. Lucas Cap. XXII. 60. appellauit τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, id est, Senatum, et Act. V. 21. vsitata Graecis voce γερουσίαν. Coacto igitur Senatu, adducitur Iesus, illa ipsa nocte, qua captus fuerat. Etenim causa eius agenda erat per Iudaeos, quorum instinctu erat comprehensus. Hi potissimum conspirarant contra Iesum, iamque impio consilio decreuerant, eum occidendum esse, non palam et vi, sed dolo. *Igitur Iesum*, adductum ad Synedrium, *Pontifex summus percunctatur de discipulis eius atque doctrina*, qualesne essent discipuli, in quemnam vsum eos collegisset, quid eos clanculum docuisset; nihil certius exspectans, quam vt ex responsis Domini excerperet aliquid, quod illi criminis loco posset impingi.

At vero Dominus ad quaestiones has insidiosas responsi dedit nihil, sed amandauit Pontificem ad testimonium aliorum, amicorum et inimicorum. Respondit enim hoc modo: *ego palam verba feci in hac regione, docui semper in Synagogis, in templo ipso, quo Iudaei*

omnes vndique confluant, nec clanculum quicquam dis-seminaui. Quid igitur interrogas me? Eos interroga, qui me audiuerunt; hi sciunt, quid docuerim. Dominus igitur prouocauit ad testimonium doctrinae suae publicum, quo nihil potest esse certius innocenti. Nec erat difficile, inuenire testimonia eiusmodi. Docuit per triennium in Palaestina vniuersa, eiusque parte praecipua, vrbe Hierosolymitana, in primis diebus festis, loco et tempore celeberrimo, quo conuenire solebant Iudaei ex omnibus regionibus terrae. Toties ipsum audiuit populus, audiuerunt quoque principes populi, ipsi assessores Senatus summi, quibus adeo et ipsis non poterat esse incognita doctrina Domini. Itaque aeque superfluum erat, de doctrina eius publica quaerere, quam de ea respondere. Sed quaerebant tamen, quoniam haberent plane nihil, quod possent ei vitio vertere. In vniuerso populo non erat quisquam, qui eum accusasset, aut accusare posset alicuius criminis.

Quae cum dixisset, adstantium ministrorum aliquis alapam impingit in faciem Iesu, dicens: siccine respondes supremo Pontifici? Etenim formula, qua Ioannes vsus est: ῥάπισμα διδόναι, cuius loco *Marcus, Cap. XIV*, 65. vsurpauit hanc: ῥαπίσμασι βάλλειν, et *Matthaeus*, *Cap. XXVI*, 68. verbum ῥαπίζειν, denotat: palmis caedere, alapam impingere. Vid. FISCHERI *Prolus. de vitiis Lex. p.* 63. *sqq.* Iesus, qui iniurias atrocissimas, crucem ipsam pertulit tacitus, non tacitus tulit alapam, sed mansuete quidem, at libere respondit: *si quid dixi perperam, me doce; sin recte, quid verberas me?*

Hannanus enim vinctum miserat ad Caipham Pontificem. His verbis igitur indicare voluit Ioannes, haec, quae a *decimo quinto versiculo* vsque ad *tertium et vicesimum* narrauerat, acta esse, vt vidimus ad *versiculum decimum quartum*, in aedibus Caiphae, principis sacerdotum, adeoque in Senatu summo, qui

ante omnia cognoscebat de causa Iesu, quaestione instituta de eius discipulis ac doctrina. Ad quam cum ita respondisset Dominus, vt nemo dicere posset aliquid contra, nisi quod aliquis affecisset eum immani iniuria; iudices ipsi anxie haesisse videntur, quid esset faciendum. Non erat, qui Iesum accusaret, aut accusare posset vllius criminis. Igitur quo tamen speciem aliquam obtexerent, conquirunt inter populum praesentem falsos testes, vt narrauit *Matthaeus*, *Cap. XXVI*, 59. *sqq.* et *Marcus*, *Cap. XIV*, 55. *sqq.* eosque ipsi subornare audent aduersus Iesum. Prodeunt falsi testes. Sed eorum testimonia ita erant comparata, vt ne apud ipsos iudices quidem idonea haberentur. Tandem prodeunt duo, qui effatum quoddam Domini, non intellectum, in sensum peruersum detorquent. Id testimonium quoniam tamen aliquid ponderis habere videbatur, neo reperiebatur magis idoneum, surrexit sacerdos summus, et, quasi Domino potestatem factures, se defendendi, interrogavit, quid haberet, quod dicere posset contra ea, quorum isti eum incusarent. At Iesus conticuit.

Facta discessione Senatus summi, vt patet ex *Luc. XXII*, 63. reliqua noctis pars transacta est ludibriis in Iesum. Eum enim, qui captum tenebant, vexabant omni contumeliarum genere, effundentes in eum plurima ignominiosissime dicta, addentes quoque conviciis verbera. Vt vero diluxit, denuo conuenit Senatus summus, et in concilium suum produci iubet Iesum. Notum erat, Dominum haberi a multis pro Messia et Filio Dei. Igitur sacerdos summus instituit dicere: ego te adiuro per Deum immortalem, vt nobis dicas, num sis Messias, Filius Dei! Tum vero Iesus: recte, ait, ego sum Messias, Filius Dei; immo dico aliquid amplius, vobisque assevero, vos visuros esse atque intellecturos, me sessurum ad dextram Dei, parem cum eo maiestatem potestatemque habiturum. Il-

lustrius aliquid de se dicere non poterat Dominus! Et dixit coram iudicio! Dixit adiuratus nomine Dei! Profitebatur enim et declarabat palam, verbis disertis, se esse Messiam et Filium Dei. Et qualemnae? Talem, qui ad dextram Dei euectus, regnaturus sit cum Patre pari et aequali iure, hancque maiestatem potestatemque his ipsis iudicibus, toti populo, vniuersoque generi humano demonstraturus modo illustrissimo, tanquam dominus et iudex vniuersi orbis terrarum. Eiusmodi effatum Domini commouere profecto debebat animos Senatorum, certe auocare ab instituto facinore. At vero eosdem eo magis irritabat. Tum enim princeps sacerdotum, quo atrocius redderet crimen Domini, ficto religionis studio, pallium scindit, dicitque: locutus est blaspheme in Deum; vindicauit sibi nomen Messiae et honorem diuinum; non amplius opus est testibus; ipsi audiuistis eius maledicta; quid igitur videtur vobis? Illi respondent: capitis reus est; decernuntque vno consensu, Iesum, quoniam Messiam se professus esset et Filium Dei, capitis damnandum.

Quae dum geruntur in Synedrio inter principes Iudaeorum, illa ipsa nocte, qua prehensus erat Dominus, *Petrus ad ignem stat, vt se calefaciat. Interrogatus, num esset ex discipulis eius, negat. Ex seruis Pontificis aliquis, cognatus eius, cui Petrus absciderat aurem, dicit ei in faciem: nonne vidi te in praedio apud illum? Atque et hoc negat. Illico gallus cecinit.* Videtur Petrus maxime perterritus fuisse et fere exanimatus, in primis cum conspiceret spectaculum tam immane in Domino, cumque audiret, Iesum examinari etiam de discipulis suis, atque inde colligere posset, Senatum summum cogitare quoque de comprehendendis discipulis. Nec prius ad se rediit, quam audito gallicinio, de quo dixerat Dominus: ante gallicinium ter negabis, te mecum esse, et postquam Dominus inter me-

dios impios verterat in eum oculos, ipsumque intuitus erat, vt habet *Lucas. Cap. XXII*, 61.

Dominus igitur communi decreto Senatus summi principumque Iudaicorum ad poenam capitis erat damnatus, quoniam Messiam et Filium Dei se esset professus. Id decretum vt exsequerentur, rem deferunt ad Procuratorem Iudaeae, Pontium Pilatum. Consurgit itaque concilium omne, vna cum multitudine, quam ad impii facinoris societatem pertraxerant, et *die illucescente Iesum*, ad mortem damnatum, vinctum *abduci curarunt ex aedibus Caiphae in praetorium; quod tamen ipsi ingressi non sunt, ne polluerentur, vt potius dies festos paschatis rite celebrarent.* Ἄγουσιν τὸν Ἰησοῦν εἰς τὸ πραιτώριον, inquit Ioannes; *Matthaeus* vero, *Cap. XXVII*, 2. addit: καὶ παρέδωκαν αὐτὸν Ποντίῳ Πιλάτῳ, tradiderunt eum Pontio Pilato; vnde patet, consilium eorum fuisse, vt Pilatus Iesum supplicio afficeret; nam παραδοῦναι dicuntur ii, qui aliquem alteri tradunt eo consilio, vt supplicio afficiatur. Ita Iudaei Messiam, ad ipsos missum, Gentilibus tradunt, a se vero ablegant! Sed quaeritur, quare Iudaeorum principes Iesum supplicio afficiendum tradiderint Procuratori, nec ipsi ab eo sumserint supplicium, et quonam iure Pilatus morti addicere potuerit Dominum. In qua quidem quaestione vehementer dissensisse olim constat viros eruditissimos, contendentibus aliis, ius, supplicium capitis infligendi, Iudaeis illo tempore ademtum fuisse a Romanis, aliis vero statuentibus, illud ius Iudaeis fuisse relictum. Videri potest de hac quaestione CASAVBONVS in *Exercitat. Antibar. XVI.* §. 71. Quem tamen dissensum recte composuisse videntur, qui distinguendas esse putarent causas sacras et forenses, statuerentque, in causis quidem, ad religionem pertinentibus, Iudaeos illo quoque tempore habuisse ius, poenae capitalis sumendae, verum in causis ciuilibus, et criminibus, v. c. seditionis, tumultus, perduellionis et

ad laesam maiestatem Caesaris pertinentibus, illud ius iis non fuisse concessum, harumque rerum omnium cognitionem commissam fuisse praesidi prouinciae. Vid. DEYLINGII *Obseruat. S. Tom. II. p.* 515. *sqq.* et KREBSII *Obseruat. Flauian. ad Matth. XXVII,* 2. Iam causa Domini ab initio non videbatur ciuilis esse; saltem principes Iudaeorum poena mortis dignum decreuerunt, quia se professus esset Messiam et Filium Dei. Et tamen ad Pilatum ducunt, vt innoxii sanguinis culpam, si necesse fuerit, in eum deriuare possint. Postea demum, cum Pilatus in eo nullam mortis causam se inuenire declarasset, et huius causae cognitionem a se amoliri velle videretur, proferre ausi sunt, auctore *Luca, Cap. XXIII,* 2. duplex eiusmodi crimen contra Iesum, alterum, quod populum Iudaicum ad rebellionem concitasset, alterum vero, quod ei auctor extitisset ac suasor, ne tributum penderet Caesari. Sed vtriusque huius causae cognitio ad Pilatum pertinebat. Erat enim ἡγεμὼν Iudaeae, vt appellatur a *Matthaeo. Cap. XXVII,* 2. Hoc nomen autem tribuebatur et imperatoribus ipsis, et vero etiam iis, qui eorum nomine et auctoritate in prouincias mittebantur, quorum vero erat genus duplex; alii enim dicebantur *legati Caesaris,* seu *propraetores,* qui praeficiebantur regundis prouinciis maioribus, alii vero *procuratores,* qui in minores prouincias mittebantur. Horum procuratorum munus proprium erat, reditus Caesaris colligere, eiusque fiscum curare, sed succedente tempore iis quoque id iuris concessum est, vt iurisdictionem exercerent de aliis rebus, etiam in causis capitis. Vnde intelligi potest, quanam auctoritate Pilatus in iudicio capitis de Domino nostro cognoscere et statuere potuerit. Vid. KREBSII *Libell. de vsu et praestantia Rom. historiae in interpretat. N. T. p.* 51. *sqq.* et *Obseruatt. Flau. ad Matth. XXVII,* 2. Caeterum palatium, in quo procurator Romanus habitabat, πραιτώριον dicebatur; quod ingredi, religioni sibi

ducebant principes Iudaeorum, qui eo erant Dominum comitati, quoniam se profanari existimabant, si illis diebus ingrederentur domum hominis ethnici.

Pilatus igitur, egressus e palatio, quaerit ex iis, cuius criminis hunc hominem accusent. Quando hoc loco Pilatus dicitur egressus esse e praetorio ad principes Iudaeorum, itemque quando *Cap. XIX*, 13. Iesum dicitur eduxisse extra praetorium, id quoque intelligendum est explicandumque ex more Romanorum iudicandi, in prouinciis vsitato. Scilicet audiebantur quidem rei eorumque causae cognoscebantur in praetorio; sed cum haberetur iudicium solenne, id fiebat extra praetorium in loco excelso, maximeque conspicuo, in quo tribunal ponebatur atque ad illud reus productus condemnabatur. Vid. ad *Cap. XIX*, 13. 14. Ac propter hanc causam Pilatus prodiit foras. Ante omnia vero quaesiuit, quodnam crimen intenderent ei, quem captum adduxissent et vinctum; neque enim moris romani erat, supplicio afficere quemquam, nisi de crimine capitali conuictum.

At causam aliquam, ob quam accusandum esse putent, non proferunt, saltem hic protulisse non dicuntur, sed in vniuersum se tuentur sua, principum populi, auctoritate, qui Iesum, instituta causae cognitione, reum iudicassent capitis supplicio. Respondent enim hoc modo: *nisi esset homo scelestus, eum tibi non tradidissemus.*

Pilatus vero vel causam suspicans, quare Iesum adducant, scilicet odium atque inuidiam eorum aduersus Iesum, vel existimans, eum commisisse aliquid, legibus Iudaicis contrarium, quod non pertineret ad ipsius tribunal, dixit illis: *sumite illum, atque ex vestra lege punite. Ad quae illi: nobis non licet, inquiunt, capitis supplicio afficere quenquam.* Hoc quomodo sit intelligendum, ad *versiculum duodetricesimum* vidimus. Nempe in causis, ad religionem per-

tinentibus, Iudaei habebant ius vitae et necis, non vero in causis ciuilibus; qualem nunc volebant esse causam Domini, vt statim videbimus.

Ita euentum habuit effatum Iesu, quo declarabat, quamnam mortem esset oppetiturus. Declarauerat autem, apud *Matthaeum*, *Cap. XX*, 19. se Gentilibus traditum, ab his in crucem actum iri. Id nunc fiebat ratum, vt intelligeretur, et mortem violentam ipsi destinatam fuisse, et vero etiam mortis genus delectum.

Nunc enim incipiunt principes Iudaeorum, auctore *Luca*, *Cap. XXIII*, 2. accusare Iesum, eique intendere crimen duplex, quod quidem pertineret ad laesam Caesaris maiestatem, adeoque ad tribunal Pilati. Etenim hunc deprehendimus, inquiunt, peruertere gentem nostram, dum vetuit, tributa pendi Caesari, seque praedicauit in contumeliam Caesaris, Christum esse, regem. Vtrumque putarunt maximam vim esse habiturum apud Pilatum, ad damnandum Iesum. Ac mendacium impudentius proferri non poterat contra Dominum, qui olim diserte docuisset, reddenda esse Caesari, quae essent Caesaris, quique regnum, a Iudaeis ipsi delatum, fugisset, Messiam autem se verbis et factis demonstrasset. Atque etiam Pilatus crimen prius, de non pendendo Caesari tributo, videtur dissimulasse, saltem de eo quaesiuisse, non legitur apud Euangelistas, vel quia commentitiam esse sentiret, vel quia nouum non esset, de hac re disputari inter Iudaeos, cum tota Pharisaeorum secta doceret et viri primarii existimarent, populum, Deo peculiarem, non decere, censum pendere Gentilibus. Sed de altero crimine Pilatus percunctabatur Iesum, non, quod verum esse crederet, nam nullam regis speciem in eo videbat, sed vt reperiret, quo refellere posset Iudaeos.

Nam audita accusatione, *Pilatus, praetorium regressus*, foris relicta turba, *Iesum accersiuit, atque, num esset rex Iudaeorum, interrogauit.* Igitur crimen

alterum, prolatum aduersus Dominum, penitus praeteriisse videtur Pilatus; hoc vnum diligenter exquirebat, num Iesus se regem Iudaeorum venditasset; idque, non quod verum putaret, cum in Iesu nihil conspiceretur, quod huic criminationi fidem faceret, sed vt haberet, quo refutaret Iudaeos.

Sed ad hanc quaestionem antequam responderet Dominus, *interrogauit* Pilatum, *num sua sponte ita quaesiuisset, an alii tale quid de ipso dixerint.* Audiuit haud dubie accusationem Iudaeorum Dominus, quod se tanquam regem venditauerit in iniuriam Caesaris. Quare volebat innuere, non ex animi sententia Pilatum ita quaesiuisse, tanquam ipse aliquid comperisset, quod ipsum regni affectati suspectum reddere posset, sed alios temere haec ipsi suggessisse; quo et ipse indicare voluit accusationis vanitatem. Dominus igitur se defendit sic, vt prouocaret ad Pilatum ipsum eiusque aequitatem et iustitiam.

Vnde Pilatus responsum dedit hoc: *num ego Iudaeus sum? Tui populares, imme Pontifices summi te mihi tradiderunt; quid igitur deliquisti?* Quibus significauit Pilatus, se ex suo ipsius ingenio tale quid non quaesiuisse, nec Domino vitio vertere, quippe qui neque audiuerit ab aliis tale quid de eo, neque in ipso videat aliquid, congruens isti accusationi, neque in vniuersum vera putet, quae Iudaei de rege venturo exspectent. Eiusmodi quid protulit aduersus te tua ipsius gens, tuique principes te mihi tradiderunt supplicio afficiendum. Id affectati regni crimen si falsum est, quid igitur commisisti, in quo peccasti?

Iam respondit Dominus ad quaestionem propositam, num esset rex, et quidem sic, vt describeret naturam atque indolem sui regni. *Meum regnum,* inquit, *non est terrenum; eiusmodi si esset, depugnassent ministri mei, quo minus traderer Iudaeis; iam regnum meum tale non est.* Affirmat igitur Dominus, se esse

regem et habere regnum, sed explicat, hoc regnum non esse indolis terrenae, non simile regnis, cuiusmodi habeant reges et imperatores in his terris; horum regna terrena esse, spectare res terrenas, commoda terrena, constare humanis legibus et praesidiis, suum vero coeleste esse, spectans et conferens bona coelestia, non potestati externae et visibili, sed internae et inuisibili subiectum, non humanis legibus, sed diuinis constans; nullo modo noxium, aut periculosum commodis regnorum terrenorum, sed potius salutare. Quodsi terrenum esset meum regnum, inquit, collegissem mihi magnum numerum ciuium, haberem, more caeterorum regum, ministros, satellites, instructas copias, ad comparandam mihi potestatem eamque tuendam; hi decertassent armis pro me, ne Iudaeis, quod moliuntur, impune liceret. Cuiusmodi vero cum mihi non collegerim, nec habuerim vnquam, regnum meum, patet, non esse eius generis, cuiusmodi sunt regna imperatorum et caesarum, neque adeo affectasse nullo modo aliquid, quod laedere posset Caesaris maiestatem.

Quae cum non satis intelligeret Pilatus, audiret tamen, Iesum non prorsus abnuere nomen regis, modo distinguere regni genus, quaerit denuo: *ergone tamen rex es?* teque regem profiteris? *Verissime, inquit Iesus, ego sum rex, natus eo consilio et in has terras missus, vt veritatem stabilirem; et qui veritatis amans est, mihi se subiicit.* Hic primum tenendum est, Dominum per vocabulum ἀληθείας intellexisse intelligique voluisse non veritatem in vniuersum, neque doctrinam diuinam in genere, sed eius partem primariam de Deo, Patre et Filio, eorumque consiliis, decretis et operibus, ad salutem generis humani spectantibus; quo significatu vsurpasse Dominum vocabulum ἀληθείας, vidimus ad *Cap. VIII,* 31. *sq. XIV,* 17. *XV,* 26. *XVI,* 13. *sqq. XVII,* 17. 19. vsurpauitque Ioannes quoque. *Cap. I,* 17. Deinde formulam μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ, non denotat:

docere religionem, vt plerique praecipiunt, nonnulli etiam inde colligi volunt, Iesum esse regem eiusmodi, qui non nisi per doctrinam suam imperet mentibus humanis; in quo vehementer falluntur. Etenim Dominus non dixit: ἵνα μαρτυρήσω τὴν ἀλήθειαν, siue: περὶ τῆς ἀληθείας, sed: ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ. Verum hae formulae: μαρτυρεῖν τι, seu, περί τινος, et: μαρτυρεῖν τινι, vehementer differunt, non modo in libris sacris N. T. sed etiam apud scriptores graecos, eosdemque elegantissimos. Illa quidem potest significare: docere, et nominatim μαρτυρεῖν τὴν ἀλήθειαν, tradere religionem; haec vero denotat: testimonio suo ornare aliquid, seu aliquem, laudare, commendare, firmare, promovere. Hoc significatu vsurpauit hanc formulam non modo Ioannes, veluti *Cap. I*, 8. *III*, 26. *V*, 33. et 3 *Io.* 3. 6. verum etiam *Lucas*, *Cap. IV*, 22. et *Act. XIV*, 3. in quo vltimo loco μαρτυρεῖν τῷ λόγῳ τῆς χάριτος denotat: doctrinam salutarem munire, confirmare, eique auctoritatem conciliare; quod fiebat per miracula, ab Apostolis edita. Exempla e scriptoribus graecis si quis desiderauerit, adeat KREBSII *Decreta Rom. pro Iudaeis* p. 398. *sqq.* Iam quando profitebatur Dominus: ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ, dicere voluit nullo modo, se tantum propterea natum esse et venisse, vt religionem traderet, sed potius: vt religionem commendaret, promoveret, stabiliret. Neque enim loquitur in persona doctoris et magistri, sed regis; docet, se esse regem. Regis autem non est, religionem tradere, sed potius et vel maxime, religionem commendare, promouere, stabilire. Multo minus dicere voluit Dominus, hanc vnam esse partem muneris sui regii. Etenim regnum suum alias, veluti *Cap. XVII*, 2. longe augustius descripsit; atque illo ipso tempore, in hac ipsa causa, et quidem in consessu Senatus summi Iudaeorum, palam professus erat, se regem esse talem, qui, euectus ad dextram

Patris; cum eo imperet pari et aequali iure; vt *Lucas* docuit. *Cap. XXII*, 69. Hic vero coram Pilato vnam tantum regni sui partem commemorauit, vt doceret, quod scire tum maxime intererat, scilicet, regnum suum non esse saeculare, cuiusmodi essent regna in his terris, neque etiam eiusmodi, cuiusmodi exspectarent Iudaei a suo Messia, sed longe alius generis, coeleste nimirum, pertinens ad salutem animarum, vitamque in coelis obtinendam, seque adeo habere ciues non alios, quam qui veritatem diuinam ament et sequantur. Per veritatem autem quidnam intelligeret, explicare vberius non potuit Pilato; cum eiusmodi homine, atque in hoc tali loco loqui poterat non nisi in vniuersum. Intellexit autem pari modo, vt in precibus suis, *Cap. XVII*, 17. caput religionis christianae primarium de Patre, quatenus salutem humanam reparare decreuit per Filium, de Filio, qui hanc salutem acquisiuit et tribuit, et de hac salute ipsa, per fidem in Patrem et Filium obtinenda; atque ita innuere voluit idem, quod professus erat in precibus iisdem, *vers.* 3. 6. *sqq. et* 26. nimirum, se in his terris in primis egisse hoc, vt hoc caput doctrinae patefaceret, verbis factisque confirmaret, manifestandumque curaret in vniuerso orbe terrarum. Id demum indicare voluit Dominus, cum diceret: ἐγὼ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ.

Ac Pilatus bene intellexit, Dominum loqui de doctrina veritatis, statuitque, nisi haberet regnum aliud, quam quod pertineret ad veritatem, neque ciues alios, quam qui studiosi essent veritatis, in eo esse nihil criminis. Etenim verba Pilati *versiculo tricesimo octauo* interpungenda putauerimus hoc modo: τί ἐστιν; ἀληθείᾳ; subintellecto verbo: μαρτυρεῖς, atque intelligenda esse sic: *quid ais? veritatem commendas* ac stabilire tentas? Id vero Pilato videbatur ita comparatum esse, vt propterea ne taxari quidem posset Dominus, multo minus accusari et damnari. Saltem probabile non vi-

detur, quod interpretes plerique omnes statuunt, Pilatum haec dixisse per contemtum, eiusque verba esse fastidientis et irridentis. Sunt potius verba excusantis et defendentis. Videtur Pilatus ex responsione Domini collegisse, eum sibi vindicare regnum non aliud, quam cuiusmodi haberent Philosophi et sectae philosophicae, saltem intellexisse, eum non affectare regnum terrenum aliquod, quare accusatus fuerat a Iudaeis, eumque adeo penitus esse innocentem; quare etiam occasionem quaesiuit, dimittendi Iesum. Id quod euidentissime docent omnia, quae sequuntur. Etenim *cum haec dixisset* Pilatus, *foras properat ad Iudaeos atque declarat, se nullam culpam in eo reperire*, nullum crimen, capitis supplicio dignum.

Vberius haec exposuit *Lucas*, *Cap. XXIII*, 4. *sqq.* Etenim cum Pontifices instarent, Iesum commouisse populum ad rebellionem, docendo per totam Iudaeam, exorsum in Galilaea; Pilatus, audita Galilaea, percontabatur, num Galilaeus esset, atque, vt cognouit, Iesum esse ex ditione Herodis, principis Galilaeae, ad hunc reiecit, eique permisit ius potestatemque, iudicandi de causa Domini; non sine nutu diuinae prouidentiae, vt ab omnibus tribunalibus referret testimonium innocentiae Dominus sanctissimus. Herodes, licet eum de variis rebus percontaretur, tamen nihil responsi tulit. Interim urgent Pontifices iurisque consulti, eumque acriter accusant, misere metuentes, ne forte ab Herode dimitteretur. Herodes vero, quamvis princeps impius, tamen non commotus est illorum criminationibus, sed Dominum, contemtui habitum cum suo comitatu, et ludibrii causa veste alba indutum, remisit ad Pilatum. Hic, vbi videt, Iesum remitti contra exspectationem suam, nec successisse, quod erat conatus, coepit patrocinari Domino. Etenim conuocatos Pontifices affatur sic: obtulistis mihi hunc hominem, velut auertentem populum a Caesare;

verum: neque ego, vobis praesentibus quaestione habita, eum vlli crimini deprehendi obnoxium, quorum eum accusatis, neque etiam Herodes; quare ego flagris caesum dimittam. Quod dixit haud dubie, spe fretus, fore, vt, conspecto Iesu, tot ludibriis et flagris affecto, mitescat Iudaeorum furor. Sed nec hoc modo effecit aliquid, immo vero Iudaeorum insaniam eo magis irritauit.

Quare nouam viam ingressus est, absoluendi Iesum, quemadmodum Ioannes docet *versiculo vndequadragesimo.* Scilicet ad populum se conuertit, cum probe sciret, uti *Marcus*, *Cap. XV*, 8. diserte commemorauit, Iesum sibi traditum esse a Pontificibus per inuidiam, sperans, fore, vt populi fauore liberetur Iesus. Idque futurum fuisset, nisi Pontificum indefatigata malitia concitasset multitudinem. Scilicet veniebat ei in mentem consuetudo aliqua, ab Augusto demum, vt videtur, Iudaeis concessa, vt in honorem dierum festorum, in primis paschatis, quod festum hoc loco et alias quoque *κατ' ἐξοχὴν* appellatur *ἑορτὴ*, dimitteretur unus aliquis ex iis, qui seruarentur in vinculis, cui populus in primis faueret. Hoc arripiebat Pilatus, atque ad hunc morem prouocabat, nihil aliud exspectans, quam vt populus melius sentiret, atque proceres eius, sibique precibus expeteret Iesum. Quare populum alloquebatur hoc modo: *est hic mos, receptus apud vos, ut inter sacra paschalia vnum aliquem maleficum in gratiam vestram absoluam; dimittam igitur, si volueritis, regem hunc Iudaeorum.* Atque, ut est apud *Matthaeum*, *Cap. XXVII*, 17. nominabat quoque data opera famosum aliquem latronem, cuius nomen sciebat inuisum esse populo, nihil certius ratus, quam vt prae tam infami notaeque violentiae latrone mallent absolui Iesum mansuetissimum et innocentissimum.

At vero omnes magno vocum consensu clamarunt:

non istum volumus, sed Barrabam. Etenim cum nutaret populus, vtrum mallet sibi donari, principes Iudaeorum, auctore *Matthaeo*, *Cap. XXVII*, 20. instigabant populum, vt posceret Barrabam, Iesum autem interficiendum esse postularet. *Barrabas autem fuit latro*, qui, vt *Lucas habet*, *Cap. XXIII*, 7. ob seditionem, in vrbe motam, caedemque commissam traditus fuerat carceri; quod additum est ad demonstrandam insaniam Iudaeorum. Sed institit Pilatus dicere, quod subiecit *Matthaeus*, *Cap. XXVII*, 22: quid ipsi faciendum esset de Iesu, quem Messiam dicerent. Omnes vero: cruci affigatur, clamitarunt. Pilatus recusauit, propterea, quoniam nihil commiserit, dignum supplicio capitis; sed eo magis accendebatur insania populi, vociferantis: cruci affige hominem! Flagitabant igitur mortis genus et atrocissimum, et ignominiosissimum.

CAPVT XIX.

Iam Pilatus, animaduertens, se tentatis omnibus nihil efficere apud furentem Iudaeorum populum, Barrabam e vinculis dimisit, Iesum autem damnauit, ita tamen, ut eum simul absolueret, et suam eiusque innocentiam testaretur, vicissim vero impii facti inuidiam in Iudaeorum capita referret; idque partim actione symbolica, partim disertis verbis, vt est apud Matthaeum *Cap. XXVII*, 24. Etenim spectante vniuerso populo, sancta aqua lauit manus, quod non modo apud Iudaeos, sed etiam apud alias gentes fuit signum innocentiae, quo ostendere volebant, se nolle venire in societatem alicuius criminis; deinde vero in conspectu omnium palam declarauit: ego innoxius sum innocentis huius caedis, vos videritis; vos estis auctores mortis huius hominis, non ego; in vestrum caput recidet ultio sanguinis innoxii. Hoc tali modo innoxium declarabat non modo se, sed etiam Dominum ipsum, noxios vero Iudaeos. Verum nec hac voce deterrebantur impii Iudaei, immo vero sibi et posteris suis imprecabantur exitium, vociferantes: nos nostrique posteri luemus huius caedis culpam. *Tum Pilatus*, victus Iudaeorum pertinacia, *Iesum flagellis caedi iussit.* Voluit autem Dominum flagellis caedi, non tam ex more Romanorum, quo, qui crucis supplicio essent afficiendi, flagellis lacerabantur, quam potius eo consilio, vt adspectu Iesu miserabili tandem misericordia tangerentur Iudaeorum animi. Certe ex verbis eius apud *Lucam, Cap. XXIII*, 16. *παιδεύσας αὐτὸν ἀπολύσω*, colligi posse videtur, mentem Pilati fuisse, vt per hanc castigationem voluntati Iudaeorum quodammodo satisfaceret et Iesum castigatum dimitte-

ret; recte enim vertit interpres Vulgatus illa verba hoc modo: *emendatum illum dimittam*, quod idem est, ac: castigatum; nam emendare et castigare apud iure consultos antiquos promisque vsurpabantur, vt verba graeca παιδεύειν et μαστιγοῦν. *Hebr. XII*, 6. Vid. LOESNERI *Obseruatt. e Philone ad locum Ioannis.*

Tum vero *milites* Iesum, in praetorium introductum, omni genere ludibriorum immanium afficere audent. Nam quoniam audiuerant, eum accusatum esse, tanquam se regem venditasset, velut exprobraturi superbiam affectati regni, *capiti eius*, diadematis loco, *imponunt coronam, e spinis contextam*, eumque, veste ipsius exutum, *pallio coccineo induunt*, tanquam pallio regali, et sceptri vice arundinem dant in dextram, iamque, veluti salutantes nouum regem, flexis genubus illudunt; *dicentes: aue, rex Iudaeorum*; receptaque arundine *caput contundunt*, conspuunt adeo. Eiusmodi contumelias immanes passum fuisse Pilatum inferri Domino, mirum videri potest, nisi putauerit, sic demum odium Iudaeorum aduersus Iesum placari posse. Quod autem Ioannes dixit ἱμάτιον πορφυροῦν; *Marcus*, *Cap. XV*, 17. 20. appellauit πορφύραν, *Matthaeus* autem, *Cap. XXVII*. 28. χλαμύδα κοκκίνην, quae tamen non differunt, vt visum est nonnullis. Constat enim, a scriptoribus graecis et latinis fere omnibus permutari inter se saepenumero πορφύραν et κόκκον, itemque purpuram et coccum, quoniam purpura, in primis Tyria, quam proxime accedebat ad ruborem nitoremque cocci, adeoque colorem purpureum et coccineum dici promiscue; quod ex instituto docuit SALMASIVS *ad Achillem Tat. p.* 567. Quare πορφύρα apud *Marcum*, et ἱμάτιον πορφυροῦν apud Ioannem, reddenda non sunt: vestis purpurea, sed: pallium coccineum, chlamys coccinea. Vocabulum χλαμὺς autem idem est, quod ἱμάτιον, quo in libris N. T. denotatur vestis maior, seu pallium, speciatim vero genus pallii

eiusmodi, quo amicti incesserunt apud Graecos viri principales. Ac tale hoc loco intelligitur, pallium magnificum, sed obsoletum, quo illudere volebant milites Domino, quem se regem venditasse calumniati erant Iudaei.

Sed denuo tentauit Procurator, num mitigare posset Iudaeorum saeuitiam, vt est *versiculo quarto et quinto: rursus foras prodiit Pilatus* ad Iudaeos, *eosque affatus est his verbis: en, eum adduco, vt compertum habeatis, me in eo reperire posse crimen nullum. Et cum prodiret Iesus, gestans spineam coronam et coccineum pallium*, flagellis caesus, consputus, omni ludibrio expositus, vt excitaret Iudaeorum misericordiam erga hominem longe miserrimum, *dixit: videte hominem!*

At Pontifices eorumque ministri, eum vix conspicati: in crucem, clamitant, in crucem! Adeo nec miseranda species Domini, quae barbarorum feritatem potuisset mitigare, commouere poterat Iudaeorum animos immanes! Hunc furorem metu coercere tentat Pilatus. *Ergo vos, inquit, abducite eum, et in crucem agite; equidem in eo reperio crimen nullum*, quod sit cruce dignum. Volebat igitur, vt Iudaei Iesum abducerent suo periculo, et, si placeret, in crucem agerent; se quidem innoxium hominem condemnare non posse.

Sed nouum crimen comminiscuntur Iudaei. Nam cum viderent se sua spe fere destitutos, intendunt sanctissimo Domino crimen impietatis in Deum et religionem, prouocantque ad legem diuinam, ex qua crimen illud luere oporteret morte. *Nos, inquiunt, habemus legem, ex qua commeruit supplicium; nam iactauit se filium Dei.* Etenim Pilatus cum, cognita accusationum omnium vanitate, declarasset constanter, se mortis causam in Iesu reperire posse nullam, Iudaei regerunt, etsi commeruisset nihil aduersus le-

ges Caesaris, eum tamen peccasse aduersus Deum, legemque, ipsis latam diuinitus, scilicet eum sibi arrogasse diuinitatem, adeoque blasphemum fuisse in Deum; talem vero lege diuina dignum pronunciari supplicio. Ae sane extat lex eiusmodi, *Leu. XXIV*, 16. secundum quam blasphemi puniendi erant morte, et quidem lapidatione. Est vero hic locus maxime notabilis ad intelligendam vim potestatemque nominis: *υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, quam habuit in usu loquendi Iudaeorum. Dicuntur enim Iudaei, iique viri primarii, magistri, rerumque diuinarum bene periti, accusasse Dominum propterea, quoniam se iactitasset *υἱὸν τοῦ Θεοῦ*, adeoque sibi arrogasset diuinitatem, ac propterea blasphemus esset et dignus poena mortis. Nouum crimen proferunt contra Dominum. Antea eum accusauerant, tanquam se venditasset regem, Messiam, hic vero, quoniam se iactitasset Filium Dei; illo statuebant eum peccasse in Caesarem, hoc vero in Deum; putabantque, aliud esse, quando se dixisset Messiam, regem, aliud vero, idque maius, quando se appellasset Filium Dei. Vnde patet euidenter, in consuetudine dicendi Iudaeorum nomina Messiae et Filii Dei non fuisse aequipollentia, quemadmodum praecipiunt nostri; nullo modo; fuisse potius valde diuersa, sic, vt illo exprimerent munus, hoc vero naturam diuinam. Conf. *Cap. I*, 14. Neque alio sensu nomen Filii Dei, quo vtebantur Iudaei, intellexit Pilatus, vt docent sequentia.

Sequuntur enim haec: *quo audito, Pilatus eo magis perterrebatur,* multoque minus audebat, condemnare Iesum. Antea metuerat, ne forte insontem damnaret; iam, cum audiret, Iesum se professum esse filium Dei, metuebat multo magis, ne plecteret filium Numinis alicuius. Talem enim putabat Iesum esse, cum audiret, eum esse filium Dei.

Igitur *redit in praetorium, et Iesum*, eo accersi-

tum, *interrogat, quinam sint natales eius.* Etenim eum dixissent Iudaei, Iesum venditasse se Dei filium, expiscari cupiebat procurator, quid esset, quod ei obiicerent. Quaerit itaque, vnde originem ducat, vt, cognita gentis origine, eo certius iudicare possit de Iudaeorum accusatione. *At Iesus ei respondet ne verbulo quidem.* Sciebat enim, Pilatum tentare haec quoque ex singulari erga ipsum fauore ac beniuolentia, vt tandem ipsum absolueret, nec ignorabat, futurum esse, vt, omnibus tentatis, cederet tamen obstinato Iudaeorum furori; quod autem ad ipsum attinebat, conari volebat nihil, quo mortem, diuino decreto ipsi destinatam, effugeret, aut nolens adactus videri posset ad mortem; caeterum superfluum existimabat, procuratori, homini rerum diuinarum ignarissimo, explicare, vnde originem duceret. Quare respondit omnino nihil.

Hoc silentium Pilatus vel indigne ferens, vel admirans, Dominum ad respondendum prouocauit, dum diceret: *quid? tune non loqueris mecum?* nihilne mihi respondes? *An nescis, in potestate mea esse, vt in crucem te agam, aut absoluam?* liberum abire iubeam?

Neque ad haec respondit Dominus aliquid, quod facere potuisset ad tuendam defendendamque causam suam; modo id volebat intelligi a Pilato, non casu factum esse, vt ipsius potestati traderetur, sed nutu diuino, ipsumque nihil quicquam in eum valiturum, nisi permissum esset ab eo, cuius potestati subiecta sint omnia; ipsum quidem procuratorem peccaturum esse, si sua potestate abutatur, multo grauius autem populum, qui eius potestati eum tradidisset. *Tibi, inquit, in me potestas esset nulla, nisi eam accepisses diuinitus; qui vero tibi me tradidere, se obstrinxerunt longe maiori scelere.*

Quo audito, multo magis cupiebat Pilatus, Iesum dimittere. Iudaei vero, sentientes, procuratorem omnibus modis agere hoc, vt Iesum dimitteret, intel-

ligentesque, eum non curare accusationem de blasphemia, tanquam ad cognitionem ipsius non pertinentem, redeunt ad crimen prius, quod vel maxime pertineret ad procuratorem, nimirum, Iesum peccasse in Caesarem. *Clamabant enim: hunc si absolueris, non es Caesaris amicus; quisquis enim regem se venditat, aduersus Caesarem est rebellis.* Igitur accusant Dominum criminis laesae maiestatis. Etenim verbum *ἀντιλέγειν* denotat: aduersarium, rebellem esse, seditionem mouere; quam significationem habet non quidem apud scriptores graecos, sed ex dicendi consuetudine septuaginta interpretum, qui hoc verbo exprimere soliti sunt hebraicum: רִיב et: מָרָה, quae significant: rebellare.

Atque id demum permouit procuratorem, vt Iesum damnandum decerneret. Nam etsi non ignoraret, et hoc crimen, Domino intentatum, vanissimum esse; metuebat tamen calumniam Iudaeorum, in primisque odium sacerdotum implacabile, ne deferrent ipsum apud imperatorem, tanquam absoluisset hominem rebellem aduersus Caesarem et laesae maiestatis reum, potissimum cum sibi conscius esset, non semper iustum se et aequum praestitisse in administranda prouincia Iudaica. Etenim *his auditis Pilatus, Iesu rursus foras educto, considens in tribunali in loco, qui vocabatur lithostrotus, hebraice Gabbatha, die eo, quo se praeparabat Iudaica gens ad agendos dies festos paschales, hora sexta, populum alloquitur hoc modo: en vestrum regem!* Priora verba explicanda sunt ex more Romanorum, in prouinciis vsitato, iudicia habendi, aut concionem militum et ciuium alloquendi, sub dio, ita, vt sederent ipsi in tribunali, quod pro illorum temporum magnificentia staret in loco edito, marmore strato. Et rei quidem audiebantur, causaeque eorum cognoscebantur in praetorio, hoc est, in habitatione procuratoris Romani; sed cum iudicium ipsum habendum esset et solennitas iurisdictionis peragenda, tum extra prae-

torium ponebatur tribunal in loco excelso maximeque conspicuo, ex quo reus, ad illud adductus, condemnabatur. Tribunal ipsum dicebatur βῆμα, locus autem editus, in quo erat positum, appellabatur graece λιθόστρωτος, seu λιθόστρωτον. Erat autem λιθόστρωτος pavimentum, ornatum et constratum frustis marmoreis coloris varii; ex more, tum temporis Romae, atque etiam in prouinciis recepto. Scilicet inter alia luxus genera inde a temporibus *Sullae* inualuit et hoc, vt ditiorum aedes exsplendescerent pauimentis tessellatis et sectilibus; neque tamen hic luxus constitit Romae, sed prouincias quoque peruagatus est. Etenim *Iulius Caesar*, imperator, auctore SVETONIO, *in Caesare Cap.* 46. eiusmodi pauimenta tessellata et sectilia in expeditionibus bellicis circumtulit, eo consilio, vt, quoties locus castris ponendis esset dimetiendus, hisce marmoreis crustis praetorium sterneretur. Ac tale pauimentum extra praetorium intelligendum est hoc loco per λιθόστρωτον, cui impositum erat βῆμα, tribunal. Vid. ERNESTI *ad Sueton. Excurs. IV.* et eiusdem *Biblioth. Theol. Nouiss. Tom. III. p.* 548. *sq.* KREBSIVS *de vsu et praest. Rom. hist. in interpret. N. T. p.* 43. *sq.* itemque in *Obseruatt. Flau. ad h. l.* et LOESNERVS *in Obseruatt. e Phil. ad h. l.* Habuit autem hic locus nomen duplex, Romanis dicebatur lithostrotus, Iudaeis autem in lingua hebraica, seu, syrochaldaica, γαββαθᾶ, locus excelsus, suggestus. In hoc tali loco igitur et pro hoc tali tribunali sedebat Pilatus, stabat autem Iesus, tanquam reus, vt solennis esset et publica eius condemnatio.

Verum magnam difficultatem esse constat in eo, quando Ioannes tradit, *hora sexta* Dominum productum fuisse ad tribunal Pilati; in quo videtur esse ingens dissensus inter Ioannem et Euangelistas reliquos. Etenim *Marcus*, *Cap. XV*, 25. docet, Dominum in crucem actum fuisse hora tertia, nostro more, hora nona matutina; vnde patet, eum tribus horis post stare non po-

fuisse coram tribunali procuratoris: deinde *Matthaeus*, *Cap. XXVII*, 45. narrat, hora sexta obortas esse tenebras, et quidem Christo iam in cruce pendente. Haec difficultas aliter tolli posse non videtur, nisi dicamus, esse apud Ioannem vitium scripturae, et loco: ἕκτη, legendum esse: τρίτη. Sic statuerunt viri, rei criticae peritissimi omnes et antiquissimorum temporum et recentiorum. Idque probabile fit inde, quia lectio: τρίτη reperitur in Codicibus quatuor magni pretii, deinde in Versione *Nonni*, denique etiam apud doctores ecclesiae nonnullos. Potest quoque facile doceri, quomodo orta fuerit haec permutatio; inde nimirum, quoniam vocabula numerorum non scribebantur integra, sed exprimebantur per notas; notae autem numeri ternarii et senarii sunt simillimi, potueruntque permutari facillime. Ac fuerunt viri docti, in his nuper WASSENBERGHIVS *in Dissertat. de Glossis N. T.* praemissa *Scholis Valckenarii in libros quosdam N. T. Tom. I. p.* 50., qui putarent, verba: ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη, ad glossemata esse referenda, atque adeo a librariis inserta. Et profecto abesse possent haec verba saluo sensu.

Caeterum et hic videbatur patrocinatus esse Domino Pilatus, cum eum sisteret populo coram tribunali in loco edito, vt vel ex ipsa specie liqueret, in eiusmodi hominem vilem, contemtum, omni auctoritate priuatum, non cadere suspicionem affectati imperii. In hunc sensum vtebatur ad Iudaeos verbis his: *en, qualemne habetis regem!*

At illi exclamarunt: apage! apage! in crucem! Tum Pilatus: quid? regemne vestrum cruci affigam? Quibus verbis declarare voluit, si afficeret regem Iudaeorum tanta ignominia, vt in crucem adigeret, id dedecori futurum esse genti vniuersae; quod quidem dixit verissime. Fuit enim eritque semper vsque ad finem rerum humanarum summo dedecori genti Iudaeo-

rum vniuersae, quod sua malitia effecerunt, vt cruci affigeretur Dominus gloriosissimus. *Pontifices enim: nos, inquiunt, non agnoscimus regem, praeter Caesarem.* Eo insaniae progrediebantur homines isti, vt, qui inde a saeculis exspectassent Messiam, regem, per prophetas promissum, exspectarentque tum cum maxime, hunc Messiam palam abnegarent, vicissim Caesarem profiterentur regem et dominum, cuius imperio misere premerentur, quodque abominarentur vehementissime.

Tandem Pilatus, enecatus pertinaci insania Iudaeorum, ac persuasus, frustra tentari omnia, *Iesum tradidit eorum arbitrio, vt cruci affigeretur. Atque ita abducunt Iesum* e praetorio, *ipso crucem ferente, ad locum supplicii, qui dicebatur locus caluariae, hebraice Golgotha, ibique affixerunt cruci, et vna cum eo duos alios, ita, vt inter vtrumque Iesus penderet medius.* Statim igitur, et sine omni mora, abducitur Dominus a loco iudicii ad locum supplicii. Portabat crucem; ita mos erat in hac re, et quidem ignominiae causa. Inter eundum, vt habent Euangelistae reliqui, offendunt quendam, Simonem Cyrenensem, patrem Alexandri et Rufi, quem cogunt ad portandam crucem eius, num vt parcerent Domino, an vt celerius absoluerent supplicium? Abducunt eum in locum infamem, in quo scelerosi supplicio plecti solebant. Ad augendam ignominiam duo palam facinorosi cum Iesu cruci affiguntur, vt nocens ex facinorosorum consortio aestimaretur. Atque ne quid superesset ignominiae, ita posuerunt cruces, vt medius esset Iesus, latronibus septus ab vtraque parte. Et haec ipsa crux, adeo ignominiosa, cessit in tropaeum, quod tremunt impii, pii adorant, angeli venerantur!

Sed, vt *Lucas* narrauit, *Cap. XXIII*, 26. *sq.* Iesum insecuta est populi ingens copia, in primisque mulierum, plangentium et de morte innocentis lamentantium, gaudentibus sacerdotibus et aliis. Quorum la-

mentationem, profectam quidem ex animo pio, sed non satis decoram, compescuit Dominus sic, vt ostenderet, mortem suam non esse luctuosam, sed gloriosam, non deplorandam, sed adorandam, quippe sponte susceptam pro salute humani generis; deplorandam autem esse ac plangendam calamitatem miserandam populi Iudaici, mox imminentem. Etenim eos affatus est hoc modo: o Hierosolymitani, nolite deflere me; vestram deflete, vestrorumque liberorum sortem! Instat enim huic regioni calamitas tanta, (intellexit autem Dominus per hanc calamitatem haud dubie bellum Iudaicum, excidium vrbis et destructionem reipublicae Iudaicae,) vt beatae praedicentur mulieres eae, quae non genuerunt, et felices vteri, qui foetum non ediderunt, et vbera felicia, quae non lactarunt, vtque ad montes dicant: obruite nos, et ad colles: operite nos. Etenim si viridi arbori (ξύλῳ) fiunt haec, aridae quid accidet? id est: si tale quid accidit innocenti et sancto, cuiusmodi accidere videtis mihi, quid tandem futurum esse putatis sontibus et impiis?

Cruci imponi curauit Pilatus titulum hunc: Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum; quem titulum legere poterant Iudaeorum plurimi; nam non longe ab vrbe aberat locus supplicii; scriptusque erat hebraice, graece et latine. Quod Ioannes dixit τίτλον, id apud Euangelistas reliquos est: ἐπιγραφή. Vtrumque vocabulum autem denotat breuem inscriptionem, ex qua potest intelligi, quisnam sit aliquis, et hoc loco nominatim, cuius criminis fuerit accusatus, quamque ob causam damnatus; Latini dicunt *titulum*, a quibus Graeci recentiores, vt alia vocabula multa, sumserunt vocem: τίτλος· antiquiores Graeci dixerunt ἐπιγραφήν. *Matthaeus et Marcus* vsi sunt vocabulo αἰτίας, quod denotat crimen, cuius aliquis accusatus est, neque tamen conuictus. Accusabatur quidem Dominus tanquam homo rebellis, neque tamen vt talis damnabatur a Pilato, et

moriebatur; damnabatur potius, vt vel ex illa inscriptione patet, quoniam se professus esset Messiam, et moriebatur tanquam Messias, et quidem, quemadmodum docet Scriptura sacra vniuersa, moriebatur consilio et decreto diuino sapientissimo, tanquam rex regum, Messias verissimus, humani generis Seruator Optimus Maximus. Curauit autem Pilatus hunc titulum triplici lingua describendum, vt quisque, siue indigena, siue peregrinus, sciret, quienam esset, qui penderet in cruce.

Sed principibus Iudaeorum valde inuidiosus fuit hic titulus, quippe existimantibus, eum magis honorificum esse, quam, vt cupiebant, ignominiosum. Itaque agunt cum Pilato de mutando hoc titulo. *Miserunt enim, qui ei dicerent: non debebat scribi: rex Iudaeorum; sed: se iactauit regem Iudaeorum.* Verum ille negauit, se titulum mutaturum. *Quod scripsi, inquit, scripsi.*

Milites vero, postquam in crucem egerant Iesum, pallium eius quadripartito diuiserunt, ita, vt quisque partem acciperet. Sed quod ad tunicam eius attinebat, quoniam erat inconsuta, a summo inde e solido contexta, pacti sunt inter se, ne eam discinderent, sed sortirentur, cuius esset. Ita euenit illud Scripturae: partiti sunt inter se pallium meum, et de tunica mea sortem iecerunt. Haec milites. Ioannes proprio nomine appellauit στρατιώτας, qui apud reliquos Euangelistas dicuntur οἱ σταυρώσαντες αὐτόν. Erant enim milites, per quos supplicia exigebantur apud Romanos, quibusque, velut in operae praemium, cedebantur vestimenta supplicio affectorum. Igitur pallium, (τὰ ἱμάτια, plurali numero pro singulari posito,) hoc est, vestem exteriorem, quae toga appellabatur apud Romanos, in quatuor partes dissectum, diuiserunt inter se; neque enim nostris palliis simile erat, sed constabat integro longoque panni segmento, quo corpus conuolui solebat. Sed χιτών, id est, vestis interior, corporique vicinior,

erat ἄῤῥαφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου, non consuta, nec connexa per fibulas, sed tota contexta. Scilicet vulgaris ratio tunicarum erat haec: constabant duobus segmentis panni, a parte anteriori et posteriori, quae connexa erant in lateribus per fibulas, quas Graeci vocabant ῥαφὰς, itemque ῥαφίδας, id est, suturas. Talis vero non erat tunica Christi, non connexa per eiusmodi fibulas, sed texta seu textoria, vt contexta esse solent tibialia nostra. Hinc eam discindere nolebant milites, quoniam in partes dissecta fuisset inutilis. Vid. SALMASIVS *ad Vopisc. Tom. I. Script. Hist. Aug. p.* 566. et FERRARIVS *de re vestiaria L. I. c.* 16. Quae res etsi fiebat a militibus animis profanis; neque tamen accidit sine nutu et voluntate prouidentiae diuinae; certe verba Ioannis: ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ κ. τ. λ. aliter intelligere interpretarique non possumus, quam vt dicamus, Ioannem existimasse et docere voluisse, eam rem in V. T. fuisse praedictam; alius locus vero, in quo reperiantur haec verba, non extat in libris sacris V. T. nisi *Ps. XXII,* 19. Idem locus eodemque consilio excitatus legitur apud *Matthaeum, Cap. XXVII,* 55. ibi tamen videtur ex hoc nostro Ioannis loco ab aliena manu adscriptus esse; nam deest non modo in Codicibus scriptis plerisque, sed etiam in Versionibus et apud doctores ecclesiae; quare a GRIESBACHIO est omissus. Sed potest tamen etiam omissus esse iniuria librariorum, eiusque omissionis caussa probabilis afferri haec, quia vocabulum κλῆρον bis hoc loco legitur.

Verum his tot ac tantis malis, quibus affectus fuerat hucusque Dominus, nondum satiata erat Iudaeorum crudelitas. Insultant enim pendenti in cruce praetereuntes, motis capitibus ipsum subsannantes, conuiciis proscindunt sacerdotum principes, atque, vt omni ex parte conuiciis lacesseretur, alter quoque ex sociis supplicii similia quaedam ei exprobrabat. At Iesus sanctissimus et gloriosissimus, tot malis, tot igno-

miniis, tot ludibriis horrendum in modum affectus, quae perferre acerbius fuerit alii, quam perpeti mortem atrocissimam, Iesus igitur, vt ederet summae patientiae exemplum absolutissimum, adeo non regerit conuicia, vt Patrem oret pro his, a quibus ista patiebatur. Detestari autem videbatur sol hanc immanem impietatem; obduxit enim atra nube faciem suam, et caligo oborta texit totam regionem, ab hora diei sexta vsque ad nonam, nostro more a duodecima vsque ad tertiam pomeridianam. Profecto non videtur improbabile esse, quod traditur, visis his virum aliquem, rerum mathematicarum peritum, exclamasse: *aut Deus, aut natura patitur!* Vid. GROTIVS ad hunc locum; itemque *de veritate rel. chr. L. III.* et HVETIVS *Demonstrat. Eu.* p. 42. Sed vberius haec exposuerunt Euangelistae reliqui.

Vicissim vero Ioannes narrauit rem notabilem, *versiculo vicesimo quinto* et duobus sequentibus, a caeteris Euangelistis praetermissam. Nimirum *adstabant cruci Iesu mater eius, huiusque soror, Maria, Cleopae vxor, et Maria Magdalensis. Iesus igitur, matrem conspiciens, itemque discipulum adstantem, quem in primis amauerat, dixit matri: en, mea, tuum filium! discipulo vero: en, tuam matrem! Atque ab illo tempore eam in domum suam recepit discipulus.* Vt enim in omnibus exemplum perfectissimum virtutum omnium praebuit Dominus, ita etiam amoris et curae peculiaris suorum. Matrem tradebat curae amici, qui ipsi exhibiturus esset pietatem filii; amicum matri, quae eius curam maternam gereret.

Deinde Iesus, cum sciret, peracta esse omnia, quae praestare oportuisset, *vt satisfieret Scripturis, sitire se significat alta voce. Igitur ori eius, cum adesset vasculum vini, admouent spongiam, vino repletam et hyssopo infixam.* Scilicet praesentiebat Dominus, adesse momentum mortis, sibique conscius erat, se prae-

stitisse omnia, et agendo, et patiendo; quae secundum effata Scripturarum ab ipso praestanda fuissent; eo enim verba: ἵνα πληρωθῇ ἡ γραφὴ, referenda sunt, non ad sequentia. Iam cum quereretur, se sitire, porrigebatur ei ὄξος, quod vocabulum non denotat acetum, sed vinum, idque et vilius, et vero etiam factitium, nominatim autem potum eum, quo vti solebant milites Romani, quemque secum ferebant in castris; posca dicebatur. Alius generis erat ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, quod, auctore *Matthaeo*, *Cap. XXVII*, 34. Domino praebebatur, antequam cruci affigeretur, scilicet vinum myrrhatum, seu myrrha mixtum; a *Marco*, *Cap. XV*, 23. appellatur ἐσμυρνισμένον οἶνον. Talis potus dari solebat sontibus, non ad eos excruciandos, sed ad dolores mortis mitigandos, adeoque non poenae, sed beneficii loco, ne vim mortis tantopere sentirent; quippe afferre solebat stuporem quendam. Hunc talem potum bibere recusauit Dominus; illum autem sumsit. Sed quando Ioannes tradit, hoc vinum porrectum fuisse Domino ὑσσώπῳ, difficultas oriri videtur partim a re ipsa, quoniam apud nos hyssopum esse constat herbam exilem et quasi humi repentem, adeoque ad hunc vsum non idoneam, partim vero e narratione *Matthaei*, *Cap. XXVII*, 48. qui hunc potum praebitum fuisse docet καλάμῳ. Hanc difficultatem tollere tentarunt viri docti non eodem modo. Alii putarunt, lectionem esse mutandam, et loco: ὑσσώπῳ, legendum vel: ὑσσῷ, quod vocabulum denotat hastam, militarem quoque, aut: ὑσσῷ τῳ, pro τινὶ, quae lectio non improbabilis visa est IO. AVG. ERNESTI, *Biblioth. Nouiss. Tom. III. p.* 311. vel: ξυστῷ, veluti TOVPIVS *in Emendatt. in Suidam*, contra quem disputauit KREBSIVS in *Prol.* quae inscribitur: *Vindiciae locorum quorundam N. T. a Toupio temere sollicitatorum*; vel etiam aliter, de quo videri potest WOLFIVS *in Curis ad hunc locum*. Alii vero putarunt, lectionem non esse mutandam, in

primis quia lectionis varietas aliqua reperiatur ne in vno quidem Codice, quippe omnes vno consensu habent; ὑσσώπῳ, modo tenendum esse, quod docuit BOCHARTVS, *Hieroz. Part. I. Libr. 2. Cap. 50.* et *Part. II. Libr. 3. Cap. 12.* plantas orientales aestimandas non esse ad plantas terrarum nostrarum, nominatimque hyssopum in Oriente ad eam altitudinem surgere, vt instar ligni comburatur, adeoque ad vsum eum, de quo hoc loco sermo est, commode adhiberi potuisse, in primis cum crux non tam excelsa, aut sublimis esset, quin modico adiumento ori alicuius, in crucem acti, admoueri aliquid posset.

Sed Iesus, sumto vino, dicebat: peractum est; mox, capite inclinato, spiritum emisit. Quando dicebat Dominus: τετέλεσται, intellexit haud dubie vitam suam totam, atque omnia, quae in hac vita ex voluntate Patris et agere, et vero etiam pati debebat. Venerat in has terras, vixerat inter homines, docuerat, benefecerat innumerabili modo, exemplum sanctissimum praebuerat, denique se ipsum tradiderat in mortem, sanguine profundendo ad comparandam generi humano remissionem peccatorum et vitam aeternam, atque ita voluntati Patris omni ex parte satisfecerat, et agendo, et patiendo, eiusque nomen, hoc est, amorem erga homines, decreta et consilia benignissima de eorum salute per Filium illustrauerat. *Cap. XVII, 4. 6. 26.* Haec omnia erant peracta. Atque hoc dicere voluit Dominus verbo notabili: τετέλεσται. Quod autem in hoc nostro loco est: παρέδωκε τὸ πνεῦμα, id *Matthaeus, Cap. XXVII, 50.* dixit: ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, et *Marcus, Cap. XV, 37.* itemque *Lucas, Cap. XXIII, 46.* ἐξέπνευσε, quae apud Hebraeos dici solebant de placide beateque moribundis.

Ac protinus omnia testata sunt et personae morientis magnitudinem, et mortis eius momentum ingens. Velum templi scindebatur in partes duas; terra

concutiebatur; rupes findebantur; multi pie defuncli e sepulchris apertis redibant in vitam et conspiciebantur in vrbe Hierosolymitana post resurrectionem Domini a multis. Centurio et milites, excubias agentes, videntes haec euenta, dixere conterriti: vere filius Dei erat iste! Omnes ac singuli, qui venerant ad supplicii spectaculum, his visis, reuertebantur in vrbem, percutientes pectora, vel prae dolore, quod tam innocens, tamque beneficus crudelitatem adeo horrendam passus esset, vel metu vindictae diuinae, quam, male conscii, ex conspectis miraculis sibi imminere suspicabantur non sine causa.

Iudaei autem, ne corpora in cruce manerent per diem sabbaticum, in primis cum esset dies praeparationis, isque maxime solennis, Pilatum adeunt precibus, vt frangi curaret crura in cruce pendentium, ad accelerandam eorum mortem, *vt tolli possent* eo citius. Extabat enim lex apud Iudaeos, *Deut.* XXI, 22. 23. qua iubebantur, suspensos die mortis de cruce tollere et sepelire. Idque optabant Iudaei in hac causa hoc ipso die eo magis, quoniam erat παρασκευὴ, nimirum τοῦ πάσχατος, quo se praeparabant ad celebrandos dies paschales; deinde erat ἡμέρα ἐκείνη μεγάλη τοῦ σαββάτου, erat dies sabbaticus, isque primus solemnium paschalium et praecipuae festiuitatis, vt vidimus ad *Cap. VII*, 37. Quibus precibus annuit Pilatus.

Milites igitur fregerunt crura vtriusque, cum Iesu in crucem acti. *Ad Iesum autem cum ventum esset, quoniam eum vident iam esse mortuum, eius crura non frangunt. Militum tamen aliquis lancea perfodit latus eius, e quo statim profluit sanguis cum aqua.* Haec commemorata esse videntur non sine sapientissimo consilio, vt nempe constaret omnibus mortis Christi veritas et certitudo, ad explodendam temeritatem eorum, qui de ea dubitare ausi fuerint. Frangi solebant crura hominum eiusmodi ad accelerandam eorum mortem, quo-

niam accidere poterat, vt diutius et interdum per dies integros viuerent. Id vero in Domino milites non putarunt necesse esse, quem mortuum iam esse viderent. Quod tamen cum mirum ipsis videretur, aliquis, vt exploraret, num vere mortuus esset, lancea percussit eius latus; ex quo cum proflueret sanguis et aqua, inde colligebant, eum certo et sine dubitatione mortuum esse. Dixit autem Ioannes, profluxisse sanguinem et aquam ex latere Christi; quod quid sit, et quomodo haec sit nota certitudinis mortis Christi, explicarunt artis medicae periti. Docuerunt nempe, per aquam indicari lympham, quam dicere solent, et accidere in venae sectionibus, vt cum sanguine aqua proflueret; hoc loco autem nominatim intelligi humorem, seu succum eum, qui reperiatur in pericardio, sitque aquae similis; talis humor quoniam effluxerit ex latere Domini, id indicium fuisse, ictu lanceae vulneratum fuisse pericardium atque adeo cor ipsum; porro quando dicitur sanguis profluxisse, indicari, omnem sanguinem residuum in corpore Christi fuisse exhaustum, adeóque mortem certo secutam, eumque, nisi iam antea mortuus fuisset, ex hoc vulnere inflicto mori debuisse. De quo ex instituto exposuerunt praeter eos, quos WOLFIVS *in Curis* laudauit, GRVNERI, pater et filius, viri artis medicae peritissimi, *in Commentat. de morte Iesu Christi vera, non simulata,* et *in Vindiciis mortis Christi verae.*

Haec vere ita gesta esse, idque non casu, aut temere, sed deliberato consilio diuino, ita, vt nulla dubitatio superesse posset de certitudine mortis Iesu, Ioannes non modo ipse confirmauit, tanquam testis oculatus, diserta asseueratione, quasi praeuidisset, futuros esse, qui de mortis Iesu veritate dubitare tentent, sed etiam commemorandis locis Scripturarum sacrarum extra dubitationem posuit, *versiculo tricesimo quinto* et sequentibus. *Hoc testatur, qui vidit suis ipsius oculis;*

quare eius testimonio fides est habenda; quique sibi habet persuasissimum, se dicere vera, vt ei possitis certo credere. Facta enim haec sunt ex effato Scripturae: nullum ei ossiculum diffringetur; itemque illo: videbunt, quem transfixerint. Atque effatum quidem prius desumtum esse patet ex locis, *Exod. XII*, 46. et *Num. IX*, 12. vbi extat lex de agno paschali, praeceptumque esse legitur, agnum paschalem ita occidendum esse mactandumque, ne quod os illius confringeretur. Neque tamen Ioannes, dum hunc locum excitauit et ad Iesum Dominum applicauit, docere voluisse videtur, agnum paschalem fuisse typum Christi, sed indicauit non nisi hoc, in institutione agni paschalis praeceptum fuisse eiusmodi quid, quod suo tempore simile habiturum esset in Christo, et vt Deus voluerit, ne ossa frangerentur agni paschalis, ita eiusdem prouidentia factum esse, vt nec ossa Christi frangerentur. Fuerunt quidem, qui putarent, Ioannem in animo habuisse locum Psalmi, *XXXIV*, 21. quod tamen videtur minus probabile esse, in primis quoniam ibi est oratio tropica.

Alterum effatum, excitatum a Ioanne, maiorem adeo habere videtur difficultatem. Extat nempe *Zach. XII*, 10. sed quaeritur, num hic locus prophetae contineat vaticinium de Christo eiusque latere percusso; quod tamen non improbabiliter demonstratum est ab interpretibus, demonstrarique omnino potest. Scilicet locus Zachariae est hic: *animum dabo familiae Dauidicae ciuibusque Hierosolymitanis, gratiam meam submisse implorantibus; intuebuntur me, quem transfixerunt, eaque de re lugebunt, quemadmodum lugent de filio vnico, plangent ea de re amare, quemadmodum de filio primogenito.* Haec nonnulli intelligenda esse putant de Iudaeis iis, qui post mortem Domini fidem in eum suscipiebant; hi intuebantur Iesum, agnoscebant tanquam Messiam, ab eoque salutem exspectabant; et intuebantur Iesum, quem transfixerunt Iudaei et in

cruce necarunt, lugebant autem acerbissime, cum a gente sua esse reiectum atque adeo in crucem actum. Alii vero intelligendos putant esse Iudaeos incredulos, hoc sensu: illi ipsi Iudaei, qui Iesum contemserunt, reiecerunt, in crucem egerunt, videbunt aliquando, qualis et quantus sit; atque id videbant eo tempore, quo aduenìebat Dominus ad iudicium Hierosolymitanum. Haec explicatio magnam probabilitatem accipit primum ex alio loco Ioannis, nimirum *Apoc. I*, 7. in quo et ipso videtur respexisse ad hoc effatum Zachariae; est vero hic: *ecce in nubibus venientem eum, quem videbunt mortales omnes, etiam hi, qui eum transfoderant, omnesque terrarum orbis nationes expauescent quam certissime.* In hoc loco Ioanneo itidem videtur sermo esse de aduentu Domini ad excidium vrbis et reipublicae Iudaicae, eiusque sensus est hic: suo tempore cum horrore videbunt eum illustrem et splendidum, quem contumeliosissime perfoderunt; atque tum luctus erit acerbissimus in vniuersa Palaestina. Deinde vero etiam confirmare videntur hanc interpretationem effata Domini, in quibus descripsit aduentum suum ad excidium Hierosolymitanum, nominatimque praedixit, illos ipsos, qui eum despexissent, irrisissent, condemnassent, in crucem egissent, transfodissent, cum metu ac terrore ipsum visuros esse, sublimem venientem in nubibus coeli summa cum maiestate et gloria. *Matth. XXVI*, 64. *XXIV*, 30. *Luc. XXI*, 25. reliqua. Atque ita profecto locus Zachariae explicari commode potest proprie de Domino nostro. Accedit, quod apud Zachariam statim *Cap. XIII*, 7. sequitur nouum vaticinium de Christo, quod Dominus ipse diserte de se est interpretatus *Matth. XXVI*, 31. *Marc. XIV*, 27.

Ita mortuus est Dominus noster, Seruator humani generis Optimus Maximus, tanquam infimae conditionis homo, oppressus omnis generis miseriis, contumeliis, vexationibus inauditis, prehensus vt homo sceleratissi-

mus, raptus ab vno iudicio iniusto ad alterum, condemnatus ad supplicium ignominiosissimum, inter summos tandem animi corporisque cruciatus, in cruce pendens, relictus ab amicis omnibus, atque adeo, vt videbatur, a Deo ipso! Curam funeris qui susciperet, aut suscipere conaretur, inter discipulos erat ne vnus quidem, omnibus metu perculsis, omnibus digressis in suum quoque locum; vt praedictum erat olim, *Zach. XIII*, 1. coll. *Matth. XXVI*, 31. et a Domine ante paucas horas discipulis denunciatum. *Io. XVI*, 32. Mulieres tantum duae perseuerarunt ad crucem Domini, et de corpore eius condendo curam habuerunt. Sed quod amicorum nemo fecisset, ne exspectasset quidem, fecit aliquis, nobilis inter Iudaeos, non autem adhuc inter amicos Domini. Etenim *posthaec Iosephus Arimathaeensis, discipulus Iesu clandestinus ob metum Iudaeorum, precibus adiit Pilatum, vt sibi liceret, corpus Iesu tollere de cruce; quod cum ei permisisset Pilatus, venit ad corpus Iesu tollendum.* Erat igitur Iosephus μαθητὴς τοῦ Ἰησοῦ, siue, vt *Matthaeus* habet, *Cap. XXVII*, 57. αὐτὸς ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ, discipulus et sectator Iesu, quamuis occultus, ob metum Iudaeorum, quos supra vidimus, *Cap. IX*, 22. legem sanxisse, vt, quisquis Iesum Messiam professus esset, eiiceretur e societate Iudaeorum; *Marcus, Cap. XV*, 43. et *Lucas, Cap. XXIII*, 51. addunt: ὃς καὶ αὐτὸς ἦν προσδεχόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, hoc est: exspectans tempora Messiae et felicitatem, per eum promissam; qua ratione illo tempore describebantur homines pii et credentes, veluti Simeon. *Luc. II*, 25. Erat porro ἄνθρωπος πλούσιος, vt appellatur a *Matthaeo*; et a *Luca*: βουλευτής, a *Marco* autem: εὐσχήμων βουλευτής, Senator vrbis Hierosolymitanae, siue potius assessor Synedrii, isque valde nobilis; in vniuersum autem erat ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ δίκαιος, vt nominatur ab eodem *Luca*, vir optimus et honestissimus, etiam hactenus, quatenus consenserat nunquam

in Iudaeorum consilia et machinationes aduersus Iesum. Hic igitur Iosephus, non amplius metuens saeuitiam Iudaeorum, fretus fauore et aequitate procuratoris, audet, sibi sumere sepulturae officium, caeteris discipulis et amicis metu territis. Voluit enim sapientia diuina, vt Dominus, inde a morte sua, tractaretur non nisi a piis et sanctis hominibus, eiusque mortem ignominiosam sequeretur sepultura honestissima, quasi praeludium resurrectionis gloriosissimae. Quare Pilatum adiit, sibique expetiit corpus Christi sepeliendum. Id enim concessum erat amicis in cruce mortuorum, vt eorum corpora sepelire possent.

Sed notatu dignissimum est, et ad intelligendam veritatem mortis Iesu illustrissimum, et ad admirandam sapientiae diuinae magnitudinem efficacissimum, quod narrauit *Marcus. Cap. XV*, 44. Scilicet Pilatus mirabatur, cum audiret, Iesum iam mortuum esse; constabat enim, multos in crucem actos, fractis etiam cruribus, vixisse biduum, aut triduum adeo. Igitur non statim locum dedit precibus Iosephi, sed ante omnia accersiuit centurionem, qui excubias egerat ad crucem Christi, eumque percontatus est, num vere mortuus esset; nec prius permisit Iosepho corpus Christi sepeliendum, quam ex centurione certo cognouisset, eum esse mortuum. Abiit igitur Iosephus ad crucem, et corpus Iesu deposuit.

Accessit quoque Nicodemus, is, qui noctu conuenerat Iesum, afferens vnguentum ex myrrha et aloë compositum ad centum libras, ad corpus magnifice condendum. Erat autem hoc vnguentum et magnae copiae et multi pretii; de quo conferri possunt, quae ad *Cap. XII*, 3. dicta sunt. Solebant enim Iudaei magnos sumtus facere in sepeliendis mortuis, in primis caris, vt iis supremum honorem haberent, et palam testarentur suam pietatem atque obseruantiam.

Igitur corpus Christi, sumtum de cruce, inuol-

vunt linteis, adspersis aromatibus, pro more Iudaeorum, condendi corpora. Sunt enim τὰ ὀθόνια, quo vocabulo Ioannes hoc loco, itemque *Cap. XX*, 5. 6. 7. vsus est, lintea, et nominatim fasciae sepulchrales, quibus inuoluebatur corpus defuncti, alias κειρίαι dictae. *Io. XI*, 44. Loco hujus vocis reliqui Euangelistae vsurparunt vocabulum orientalium populorum, nempe: σινδὼν; quod denotat primum atque in vniuersum: textum omnis generis, in primis e lino, eoque pretioso; deinde vero genus vestis longioris, e sindone, hoc est, e lino textum, veluti amiculum, seu pallium, quod iniici solebat subuculae; vt *Matth. XXVI*, 56. denique: linteum pretiosum, quo populi orientales, nominatim Aegyptii, vt ex HERODOTO apparet, *Libr. II. cap.* 86. vtebantur ad inuoluenda corpora mortuorum, aromatibus iam condita, veluti vestem sepulchralem. Vid. de hac voce FISCHERI *Proluss. de vitiis Lex. p.* 74. *ss.* et SCHLEVSNERI *Lexicon sub hac voce.* Eiusmodi igitur vestis sepulchralis intelligitur, qua inuoluebant corpus Domini, vndique aromatis oblitum. De verbo ἐνταφιάζειν eiusque significatu vidimus supra ad *Cap. XII*, 7.

Et cum loco supplicii vicinus esset hortus, in eoque sepulchrum recens, in quo nondum quisquam fuisset repositus, ibi die praeparatorio sabbati, propter viciniam loci, recondebant Iesum. Non sine causa graui Ioannes descripsit tam accurate sepulchrum Iesu. Nam etsi haec videri possent casu accidisse et minuta esse, multum tamen faciunt ad confirmandam fidem resurrectionis Iesu. Fuit enim sepulchrum in horto, loco supplicii proximo, adeoque non ignoto. Fuit porro καινὸν, recens exstructum, in quo nullius adhuc corpus fuerat reconditum, ne quis suspicari posset, corpus fuisse mutatum, aut existimare, alium resurrexisse, quam Iesum. Fuit deinde in petra, aut rupe excisum; quare non poterat suffossum videri; ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ

πέτρᾳ, habet *Matthaeus*; et *Marcus* ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας· *Lucas* appellauit λαξευτὸν, quod vocabulum cum sit compositum ex voce λᾶς, seu: λάας, lapis, saxum, et verbo ξέω, polio, sculpo, colligere nonnulli voluerunt, hoc sepulchrum constructum fuisse ex lapide caeso et polito; de quo videri potest SALMASIVS, *Exercitatt. in Solinum* p. 851. vbi quoque multa disputata reperiuntur de sepulchris veterum, a nostris vel maxime diuersis. Ad extremum munitum fuit apposito saxo ingenti ad ostium, vt *Matthaeus* et *Marcus* narrant, ne saeuire aliquis posset in corpus Domini, aut facile furtim tollere. Caeterum haec agebat Iosephus, ὀψίας γενομένης, vt est apud *Matthaeum*, *Cap. XXVII*, 57. hoc est, ab hora nona ad vndecimam, nostro more ab hora tertia vsque ad quintam, et quidem magna cum festinatione, διὰ τὴν παρασκευὴν τῶν ἰουδαίων, motus religione diei festi, qui instabat ab hora sexta; erat enim παρασκευὴ dies, quo praeparabant necessaria ad celebrandam solemnitatem paschalem; et sic quidem dicebatur totus dies veneris, sed tamen in primis eius vltima pars. Ac propterea quoque reposuit corpus Domini in sepulchro proximo, ne relinqueretur insepultum, aut sepeliretur parum honorifice. Agebant autem haec omnia Iosephus et Nicodemus, nihil suspicati de resurrectione Domini, sed veluti praeparationis loco; nam illic pro tempore tantum posuerunt corpus Christi, vtcunque myrrha oblitum, vt exacto sabbato aromatis et vnguentis condire possent et iusto funere decorare. Idem in animo habebant mulieres duae, Maria Magdalensis et Maria alia, quae, caeteris digressis, secutae erant ad sepulchrum vsque, contemplantes, vbi reponeretur corpus, vt, cum liceret, ex more gentis suae, exhiberent officium vnctionis et honorem sepulturae. Interea abeunt, praeparatum aromata et vnguenta, quibus condiant corpus Domini, per sabbatum tamen ex lege quiescunt.

Sed maxime memorabile est et peculiaris curae ac prouidentiae diuinae documentum euidens et illustre, quod *Matthaeus* subiecit, *Cap. XXVII*, 62. *sqq.* quo quidem extra omnem dubitationem poneretur veritas et certitudo resurrectionis Domini. Scilicet Iudaeorum principes, nondum satiati odio aduersus Dominum, freti vana spe, fore, vt ipsum post mortem quoque contumelia afficere, et tanquam impostorem ostendere populo possent, adeunt Pilatum, dictitantes, vt meminerint, planum istum iactitasse, cum adhuc in viuis esset, se post triduum in vitam rediturum; iubeat igitur, sepulchrum eius hoc ipso triduo custodiri excubiis militaribus, ne forte asseclae eius noctu corpus subducant, ac populo, eum resurrexisse, persuadeant, atque ita eo mortuo decipiantur deterius, quam eo viuente. Pilatus sine mora permittit iis milites, excubias acturos, iussitque sepulchrum munire, quantum possent. Illi igitur, adhibitis militibus, muniunt sepulchrum, lapide quoque obsignato, ne quid fraudis esse posset, ne in militibus quidem. Atque ita confirmant resurrectionis veritatem, dum eam impedire tentant, et, vt verissime ait ERASMVS ad hunc locum, dum resurrecturo conantur exitum occludere, auxerunt miraculum et fidem resurrectionis.

CAPVT XX.

Sed die hebdomadis primo mane, cum nondum lucesceret, ad sepulchrum accedit Maria Magdalensis. Et vt animaduertit, amotum inde esse lapidem, recurrit celeriter ad Petrum discipulumque eum, quem prae ceteris amauerat Iesus, nuncians, sublatum esse e sepulchro corpus Domini, nec sibi constare, quonam sit asportatum. Igitur eadem Maria, quam vna cum altera Maria audiuimus remansisse apud crucem Domini, reliquis digressis, eumque secutam esse ad sepulchrum vsque, vt videret, quonam reponeretur a Iosepho et Nicodemo, haec igitur prima fuit omnium, quae vna cum duabus aliis mulieribus, vt videbimus statim, adiret sepulchrum Domini; et quidem *τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων*, hoc est, primo die hebdomadis, quae erat dies solis, seu, vt postea appellata est, dies dominica. Etenim *σάββατα* dici constat, ex Hebraeorum consuetudine, de hebdomade, numero plurali pro singulari posito, *τὸ· μία* autem, ex eadem consuetudine, siue etiam ex vsu loquendi Graecorum, adhiberi pro: *πρώτη*. Quare *μία σαββάτων* est: *πρώτη ἡμέρα σαββάτων*. Apud *Marcum*, *Cap. XVI*, 2. est: *λίαν πρωῒ τῆς ἡμέρας σαββάτων*, idque explicatur *nono versiculo: πρωῒ πρώτῃ σαββάτου. Matthaeus autem*, *Cap. XXVIII*, 1. habet: *ὀψὲ σαββάτων*, id est, exacto sabbato; nam *τὸ· ὀψὲ*, genitiuo iunctum, ex dicendi consuetudine Graecorum paulo exquisitiore, exprimit tempus praeteritum, reddendumque est: post, adeoque hoc loco: post sabbatum; vt *Marcus* explicauit: *διαγενομένου τοῦ σαββάτου*. Venit autem Maria *πρωῒ, σκοτίας ἔτι οὔσης*, quod explicatur a *Luca*, *Cap. XXIV*, 1. sic: *ὄρθρου βαθέος*, hoc est: summo mane; nam *ὄρθρος βαθὺς* est interme-

dium inter diem et noctem, cum neque dies est, neque nox, cumque incipit illucescere; Latinis diluculum dici solet. *Marcus* subiecit: *ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου*, albescente coelo, summo diluculo, et *Matthaeus*: *τῇ ἐπιφωσκούσῃ*, scilicet: *ἡμέρᾳ*, oriente die. Maria igitur vbi venit ad sepulchrum, videtque apertum, submoto saxo, quo fuerat occlusus aditus eius, resiliit a sepulchro, eo non inspecto, curritque, relictis ad sepulchrum duabus reliquis mulieribus, ad Petrum in vrbem, apud quem erat Ioannes, narratque, non, quid viderit, sed quid suspicetur. Suspicabatur autem, corpus Domini sublatum esse noctu, vel ab hostibus, vt illud contumeliose tractarent, vel ab amicis ad iustam sepulturam; illuc enim pro tempore tantum positum fuerat corpus Domini, mox iusto funere decorandum. Nam ad eo perturbatis morte Domini exciderat spes resurrectionis omnis.

Caeterum, quod est notabile, Ioannes vnam tantum Mariam Magdalensem sepulchrum Christi adiisse narrat, *Matthaeus* vero, *Cap. XXVIII*, 1. aliam quoque Mariam, et *Marcus*, *Cap. XVI*, 1. praeter hanc etiam Salomen vna cum ea fuisse tradunt. Porro *Marcus* docet, feminas has exacto sabbato demum emisse aromata ad ungendum corpus Christi, *Lucas* vero, *Cap. XXIII, vlt.* easdem ante sabbatum, domum reduces a sepulchro Iesu, vnguenta praeparasse cum aromatis, durante sabbato autem domi se continuisse. Hic visus est nonnullis recentioribus, in primis vero editori *Fragmentorum Guelpherbytanorum*, vt dicuntur, dissensus tantus, vt suspectam reddere tentarent vniuersam historiam resurrectionis Christi, totamque adeo historiam euangelicam, ac de ea veluti triumphum agerent. Sed bene habent narrationes Euangelistarum, si accurate eas inter se conferre volueris. Scilicet Ioannes vnius tantum Mariae Magdalensis mentionem fecit consulto, propterea, quoniam nar-

rare volebat, quod reliqui Euangelistae non habent, nimirum, eam statim a sepulchro Domini rediisse in vrbem ad Petrum et Ioannem, iisque nuncium attulisse de sepulchro aperto, et ad videndum sepulchrum eos accersiuisse, atque huic Mariae Iesum se conspiciendum praebuisse, quod tum nec Petro contigit, nec Ioanni; reliqui Euangelistae vero aliarum quoque feminarum mentionem fecerunt, propterea, quoniam tradere volebant, quae Ioannes non habet, nempe quid euenerit duabus reliquis mulieribus, quae remanserunt ad sepulchrum, dum Maria Magdalensis rediisset in vrbem ad discipulos, et quae leguntur apud *Matthaeum*, *Cap. XXVIII*, 5—8. *Marcum*, *Cap. XVI*, 5—8. et *Lucam*, *Cap. XXIV*, 3—7. Igitur in narratione Ioannis Maria Magdalensis obtinet partes personae primariae, ac propterea eam vnam appellauit. Iam vero quis adeo hospes est et peregrinus in scriptoribus profanis, quin sciat, aut audiuerit, alium narrare, vnum fecisse aliquid, alium vero, plures! Et quod ad alterum attinet, quantilla demum res est, num emta fuerint a mulieribus aromata ante diem sabbaticum, an hoc die elapso? Num propterea suspectam esse putes historiam euangelicam vniuersam? Atque id ne quidem est, si locum *Marci*, *Cap. XVI*, 1. explicaueris hoc modo, vti profecto est explicandus, nempe: exacto die sabbatico Maria Magdalensis et Maria, Iacobi mater, et Salome aromatibus, emtis ad vngendum corpus Iesu, primo mane hebdomadis ibant ad sepulchrum. Atque ita ne vmbra quidem est dissensus alicuius inter Ioannem et Euangelistas reliquos, multo minus talis, qui suspectas reddere posit eorum narrationes.

Habent quoque reliqui Euangelistae quaedam, notatu longe dignissima, quae apud Ioannem non reperiuntur. *Matthaeus* enim docet, qui demum adapertum fuerit sepulchrum Domini, saxo munitum. Sci-

licet extitit terrae fragor ingens; deuoluerat saxum ab ostio sepulchri, eique insedit angelus diuinus, de coelo degressus, cuius vultus erat instar fulguris, vestitus niuea albedine splendens; excubitoribus metu perculsis et fere exanimatis. Acciderunt haec, antequam mulieres venissent ad sepulchrum; nam tempus perfectum accipiendum est pro plusquamperfecto. Saxum igitur deuoluebatur per motum terrae, adeoque euidentissimo miraculo potentiae diuinae, idque interuentu angeli, de coelo profecti. Etenim Deum olim vsum fuisse ministerio angelorum, cum in causis aliis, tum vero, atque in primis, in causa Domini, tot extant in libris sacris, ac tam euidentia exempla, de quibus nullo modo dubitari possit; et hoc quidem loco eo minus, quoniam forma externa, vultus et habitus angeli describuntur, diciturque sepulchro insedisse et mulieres allocutus fuisse.

Docet porro *Matthaeus*, *Cap. XXVIII*, 4. *sqq.* itemque *Marcus*, *Cap. XVI*, 3. *sqq.* et *Lucas*, *Cap. XXIV*, 3. *sqq.* quid euenerit mulieribus duabus, quae vna cum Maria Magdalensi ad sepulchrum accesserant. Scilicet omnes tres accedunt ad sepulchrum, sollicitae, quis sibi a sepulchro amoliturus sit saxum, maius nempe, quam vt foemineis viribus posset amoueri. Omnes vident saxum amotum et sepulchrum apertum. Sed Maria Magdalensis, vt hoc videt, sine mora aliqua recurrit ad Petrum et Ioannem, nunciatura, quod habet Ioannes *secundo versiculo*, scilicet ablatum esse e sepulchro corpus Domini. Dum vero ita properat de sepulchro Maria Magdalensis, duae reliquae, nempe Maria, soror matris Iesu, et Salome, remanent, et ad sepulchrum accedunt propius. His igitur duabus euenit, quod reliqui Euangelistae narrant locis allatis. Has duas, obstupefactas hoc spectaculo inexspectato, et conspectu angeli, blando colloquio consolatur angelus, dicens: nolite timere; vos quaeritis Iesum, qui

cruci affixus fuerat; ille non est hic; in vitam rediit, vt praedixerat; accedite modo et spectate locum, vbi situs fuerat Dominus; protinus autem nunciate discipulis, eum in viuis esse, et abiturum in Galilaeam; ibi eum videbitis. Tum illae, relicto sepulchro, pauidae ob miraculi magnitudinem, at vero etiam ingenti gaudio correptae de resurrectione Domini, eumque videndi spe ac desiderio, nunciatum properant discipulis. Vt vero abeunt, obuiam iis venit Dominus, easque salutat amanter, vt olim solitus erat facere. Atque illae ad genua eius prouolutae, ipsum deuenerantur. Dominus autem eas iubet bono animo esse, idque renunciare discipulis suis atque amicis, vt proficiscantur in Galaeam, vbi ipsum essent visuri. Haec igitur narratio, quae extat apud *Matthaeum*, *Marcum* et *Lucam*, vnice pertinet ad feminas duas, Mariam, Iacobi matrem, matris Iesu sororem, et Salomen; quae primae fuerunt inter amicos Iesu omnes, quibus se viuum conspiciendum praeberet.

3. Sed dum haec agebantur, scilicet dum Maria, Iacobi mater, et Salome remanent apud sepulchrum Domini, angelum vident, ab eo laetissimum nuncium accipiunt de resurrectione Iesu, Iesum ipsum conspiciunt et venerantur, Maria Magdalenensis a sepulchro Iesu sine mora regreditur in vrbem, ad Petrum et Ioannem, nuncians, sublatum esse corpus Iesu e sepulchro. Iam quae gesta fuerint ab hac ipsa Maria, itemque a Petro et Ioanne, narrata reperiuntur inde a *versiculo tertio* huius capitis. Etenim *Petrus, alterque discipulus*, excitati hoc nuncio Mariae, *contendunt ad sepulchrum. Ambobus accurrentibus, alter praecurrit Petrum, venitque prior ad sepulchrum, et introspiciens, videt lintea*) iacentia, nec tamen sepulchrum ingreditur. Mox aduenit et Petrus. Is*, non conten-

---

*) De voce: *ὀθόνια* vide ad *Cap. XIX.* 40.

tus, prospexisse in sepulchrum, *ingreditur sepulchrum, sed et ipse videt lintea relicta, sudarium quoque, quo inuolutum erat caput, hoc vero non eodem in loco cum linteis aliis iacens, sed seorsim alio loco positum;* haec omnia cum adessent cum vnguentis pretiosis, id amouebat suspicionem, corpus Domini sublatum esse a furibus. Iam incitatus exemplo Petri, *intrat et alter discipulus, qui venerat prior ad sepulchrum, videtque et credit*, scilicet, quae narrauisset Maria Magdalensis, esse e sepulchro sublatum corpus Domini. Expectabat autem discipulus vterque nihil minus, quam Iesum rediisse in vitam. Audiuerant quidem a Domino ipso, eum resurrecturum esse tertio die, neque tamen id insederat animis eorum; et si quid inhaeserat, id excusserat metus et tumultus. *Nondum enim intelligebant Scripturas, quae praedixerant, Iesum e mortuis in vitam esse rediturum.* Sed Iesum ipsum non vident, neque audiunt de eo aliquid. *Igitur reuertuntur domum*, moesti et inscii, quid haec sibi velint.

Felicior erat Maria Magdalensis. Nam ad hanc pertinent, quae narrauit Ioannes inde a *versiculo vndecimo* vsque ad *duodeuicesimum;* quae adeo nullo modo permiscenda sunt cum iis, quae extant apud *Matthaeum, Cap. XXVIII, 5. sqq.* in quibus sermo est de Maria, matre Iacobi et Salome, vt iam vidimus. Igitur Maria Magdalensis, cum venisset ad Petrum et Ioannem, et vtrumque videret abire ad sepulchrum, ipsa quoque vna cum iis ad monumentum contendit; quod quidem diserte non tradidit Ioannes, sed patet euidenter ex sequentibus. Petrus et Ioannes non diu commorantur ad sepulchrum, sed cum verum reperissent, quod narrasset Maria Magdalensis, scilicet, non adesse corpus Domini in sepulchro, redeunt, vnde venerant. Verum *Maria Magdalensis* incredibili quodam amore ac desiderio Domini non diuelli se patiebatur a sepulchro, quaerens

et Salomen; suntque adeo hae res facti plane diuersae, adeoque narrationes diuersae. Quae si ita tenemus, vti aliter non possumus, diligenter comparatis inter se narrationibus Euangelistarum, tum euanescunt dubitationes omnes, recentioribus in primis temporibus ingenti clamore prolatae contra veritatem historiae euangelicae de resurrectione Christi. Quare nullus dissensus est inter Euangelistas, quando alii referunt, vnum angelum fuisse ad sepulchrum Domini, alius vero duos. Scilicet Maria, Iacobi mater, et Salome vnum tantum vidisse traduntur; alio vero tempore Maria Magdalensis vidit duos. Neque opus est, quod volunt nonnulli ad confutandas dubitationes, et vindicandam scriptorum sacrorum fidem, vt dicamus, Iesum se Mariae Magdalensi bis videndum exhibuisse, primum cum mulieribus reliquis, deinde soli; quod non videtur probabile esse; alias enim, si Iesum iam vidisset, cur altera vice non statim agnouisset? Multo minus necesse est, statuere, vt alii praecipiunt, cognomen μαγδαληνὴ fuisse ab aliena manu additum, adeoque delendum, intelligendamque aliam quandam Mariam, quaecunque tandem fuerit, cui Iesus se exhibuerit conspiciendum. Nec obstat, quod *Lucas* narrauit, *Cap. XXIV*, 9. 10. Mariam Magdalensem et Mariam, matrem Iacobi, omnia quae vidissent et ab angelis audiuissent, renunciasse discipulis vndecim reliquisque amicis, qui ob metum Iudaeorum sparsim collecti latitassent; etenim nunciarunt haec vnaquaeque seorsim et diuersis temporibus. Multo minus obesse potest hoc, quod tradidit *Marcus*, *Cap. XVI*, 9. Mariam Magdalensem primam fuisse, cui Dominus se conspiciendum exhibuerit; fuit enim profecto nisi prima, tamen e primis, quibus haec felicitas contigerat. Ac notabile est, Iesum se primum omnium viuum exhibuisse mulieribus piis et sanctis, non discipulis, illasque fuisse praecones primos resurrectionis et vitae Domini.

Sed earum praeconio vix fidem habebant discipuli, immo vero, vt docet *Lucas*, *Cap. XXIV*, 11. figmenta illis visa sunt, siue deliramenta, quae narrarent de Domino; adeo obliti erant et ipsi eorum omnium, quae Dominus promiserat de resurrectione sua, videnturque de ea veluti desperasse! Passus autem est Dominus eo tardiores esse ad credendum, quo magis confirmaretur resurrectionis eius fides, donec viuum eum conspicerent, quod hactenus contigerat discipulorum nulli. Ex iis autem, saltem ex amicis et sectatoribus, primum se manifestauit discipulis Emmauntem proficiscentibus, vt docuit *Lucas*; *Cap. XXIV*, 13. *sqq*. quamuis nec hi essent ex numero duodecim discipulorum, sed haud dubie ex discipulis septuaginta; alter Cleopas appellatur versu *duodeuicesimo*, alter qui fuerit, non constat; caeterum et ipsis nunciatum erat per mulieres de sepulchro vacuo. His igitur iter facientibus, et de Domino colloquentibus, ipse se adiunxit viatorem itinerisque socium, atque explicauit iis Scripturas, et quae de eo praedicta essent omnia, exorsus a Mose, vt intelligere discerent, accidisse consilio Dei sapientissimo, vt Messias calamitates subiret, antequam peruenire posset ad gloriam. Verum isti non agnouerunt Dominum prius, quam eum accubuisset cum ipsis, cibosque distribuisset eo more, quem scirent Domino fuisse peculiarem. Vt vero agnoscunt, euanuit Iesus ex eorum conspectu.

Interea tamen etiam rediuiuum se exhibuit Petro; hunc enim ante omnia consolari voluit, quem sciret, abiurati Domini conscientia excruciari. Id vero quando et quomodo factum fuerit, docuit scriptorum diuinorum nullus. Modo hoc tradidit *Lucas, Cap. XXIV*, 34. a Simone visum esse Dominum. Illi autem discipuli duo sine vlla mora Emmaunte Hierosolymam redeunt, vt tanti gaudii participes reddere possint discipulos reliquos. Veniunt igitur Hierosolymas, depre-

hendunt discipulos vndecim eorumque socios reliquos, in vnum locum congregatos. Hi vero non exspectantes, quemnam nuncium illi afferrent, laetabundi illis acclamant, compertum nunc esse, post incertam spem, quam fecissent mulieres de Domini resurrectione, compertum igitur nunc esse, eum resurrexisse vere; nam visum fuisse a Simone Petro, cuius testimonium plus habebat fidei apud discipulos, quam sermo muliebris; vicissim vero illi duo discipuli narrant, quid sibi contigisset.

Atque ita praeparauit Dominus animos discipulorum, excitauitque narrationibus aliorum ad spem, ipsum ex mortuis rediisse. Iam vero iis omnibus, aliisque amicis, vna congregatis in vrbe Hierosolymitana, viuum se exhibuit, vt docuit Ioannes a *versiculo decimo nono* vsque ad *vicesimum quartum*; cuius narratio plane eadem videtur esse cum ea, quae extat *Luc. XXIV*, 36—49. Etenim *illo ipso die primo hebdomadis ad vesperam, cum congregati essent discipuli, clausis foribus ob metum Iudaeorum, intrat Iesus, atque inter eos medius adstat, dicens: saluete; quo dicto ostendit iis manus suas et latus suum; hoc Domini adspectu impense exhilarabantur discipuli.* Eueniebant haec illo ipso die primo hebdomadis, quo in vitam redierat Dominus, seque manifestauerat primum duabus mulieribus, quae erant Maria, Iacobi mater, et Salome, deinde Mariae Magdalensi, porro discipulis Emmauntem profectis et Petro. Hoc igitur die ad vesperam intrat cubiculum, in quo conuenerant discipuli; intrat foribus clausis; quod etsi intelligendum non est, vt Theologi antiquiores explicarunt, Iesum penetrasse per miraculum fores clausas; neque enim Ioannes dixit, Iesum venisse διὰ κεκλεισμένων θυρῶν, sed: κεκλεισμένων θυρῶν· aeque tamen mirum videri debet, fores clausas ad eius voluntatem se aperuisse; in quo non potuit non esse omnipotentiae documentum insigne. Nam quod

dicunt interpretes nonnulli, Iesum venisse multa nocte, cum fores essent clausae, pulsando vero eas ipsi fuisse apertas a discipulis, id penitus est improbabile. Etenim venisse dicitur ὀψίας, quod non est multa nocte; deinde fores clausae fuisse dicuntur non ob causam consuetam, sed propter metum Iudaeorum; denique quare diceretur Iesus venisse foribus clausis, nisi indicaretur, eum intrasse cubiculum modo insolito? Intrat igitur, discipulis tale quid non suspicantibus, seque sistit medium inter eos, vt eum omnes possint conspicere, et salutat eos blande et voce nota. Nam τὸ· εἰρήνη ὑμῖν, est quidem formula salutandi, Iudaeis consueta, sed in ore Domini videtur intelligenda esse cum effectu, qua ipsis apprecaretur salutis omne genus. Vix credebant discipuli suis ipsorum oculis. Quare ostendit iis in manibus clauorum vestigia et in latere cicatricem. Hac ratione confirmata est fides discipulorum, moeror ademtus, animus exhilaratus. Atque ita ratum fecit Dominus, quod promiserat, fore, vt intra breue tempus eos reuiseret, eorumque animos exhilararet. *Cap. XVI*, 22.

Lucas vero, *Cap. XXIV*, 33—47. haec narrauit hoc modo. Scilicet discipuli, Emmauntem profecti, reduces facti Hierosolymas, vixque ingressi cubiculum, in quo congregati erant discipuli et cum his alii complures, ab his accipiunt laetum nuncium, nunc compertum esse, Iesum rediisse a mortuis, ipsi vero vicissim narrant, quid sibi accidisset in itinere, et quomodo demum ex distribuendo pane ab iis fuerit agnitus. Eiusmodi colloquiis dum se inuicem consolantur, quibusdam credentibus, aliis vero etiamnum dubitantibus, omnibus tamen desiderio flagratibus, videndi Iesum, tale quid autem tum vix exspectantibus, ingreditur conclaue Iesus et salutem iis dicit. Erat vero discipulorum quorundam imbecillitas tanta, vt metu conturbati ac perterriti, non crederent, Iesum ipsum esse, sed existi-

marent; spiritum se videre, angelum aliquem, cuiusmodi mulieres viderant in sepulchro Domini. Iesus igitur, vt fidem certam faceret omnibus, se vere esse et verum corpus gestare, monet eos, cur metuant, aut qui tandem eiusmodi quid cogitare possint, cum ipsum conspiciant oculis, formam agnoscant, vocem audiant, iis notam et familiarem. Et si ne his quidem fidem habere voluerint; contemplemini, inquit, manus et pedes; habent manifesta vestigia clauorum; contrectate latus; habet ex lancea vulnus; palpate corpus et desinite suspicari spiritum; spiritus nec carnem habet, nec ossa, quemadmodum conspicitis me habere. Tum exhibuit iis conspiciendas manus et pedes, aperuit latus, vt contrectarent manifesta vestigia vulnerum. Atque cum essent etiamnum, qui dubii haererent prae gaudio, et mirabundi ne oculis quidem suis satis fiderent, nec auribus, nec manibus; erat enim gaudium maius, quam quod capere posset animus humanus; Dominus pro insigni benignitate sua erga imbecilles, sed sinceros et pios, non dedignatus est eorum imbecillitati omnibus modis succurrere. Non est certius argumentum hominis viui, quam cibum capere. Voluit igitur, vt ipsi suppeditarent esculenti aliquid. Apponunt particulam piscis tosti et faui apiarii; quod ille statim comedit illis spectantibus. Atque ita adduxit Dominus discipulos sensim sensimque ad fidem de resurrectione et vita sua, primum per narrationes mulierum et discipulorum quorundam, deinde suo ipsius adspectu, tum contrectando corpore, denique cibos comedendo. Iam cum fidem fecisset sensibus eorum, se esse verum et viuum hominem, eundem, quem antea vidissent viuentem et morientem, venit ad Scripturas sacras, atque in mentem iis reuocat omnia, quae partim a vatibus praedicta fuisse scirent, partim ipse iis inculcasset, cum inter eos versaretur, vt intelligerent, oportuisse euenire omnia, quae euenerant, ex consilio diuino, eoque sapientissimo,

scilicet, vt Messias cruciatus mortemque ipsam pateretur, sed resurgeret die tertio. Ac nunc demum discunt, Scripturas intelligere, iisque fidem habere, et certo credere.

Tali modo cum se manifestasset Dominus discipulis, eorum fidem confirmasset, animosque exhilarasset, discessum parasse videtur; iubet enim eos bene valere, apprecatus iis gratiam diuinam et salutis omne genus. Sed priusquam discederet, eos instituit notabili ratione de futuro eorum munere; ita enim habet Ioannes *versiculo vicesimo primo, secundo et tertio: tum eos denuo valere iussit*, addiditque haec: *vt Pater ablegauit me, ita ego ablegabo vos. Haec locutus, emisit oris halitum et dixit: accipietis sanctum Spiritum, vt, quorum peccata condonaueritis, iis condonentur, quorum non condonaueritis peccata, iis non sint condonata.* Haec ad discipulos dixit Dominus, tanquam futuros Apostolos, suntque adeo ad eos solos referenda, non vero ad doctores euangelicos omnes, quod res et vniuersa series orationis euidenter docent. Etenim his verbis tradidit Dominus discipulis munus Apostolicum, demandauitque vices suas in praedicando propagandoque euangelio. Hos ablegat, vt Pater ablegauerat ipsum; quemadmodum supra dixerat. *Cap. XVII,* 18. Ablegauerat autem Pater Filium, praeter alias causas, etiam propterea, vt manifestaret Patrem, τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, hoc est, eius consilia et voluntatem de salute humani generis per Filium; ita explicauerat loco allegato versiculo *quarto* et *sexto* Dominus ipse. Pari consilio ablegauit Apostolos, nempe vt praedicando euangelio inter omnes gentes notum facerent vt Patrem, ita etiam Filium, amoremque vtriusque in decernenda et paranda salute humana. His promittit dona extraordinaria sancti Spiritus; nam quando dicitur spirasse modo sensibili, halitum oris emisisse, dixit enim Ioannes simpliciter: ἐνεφύσησε, non: ἐνεφύσησε αὐτοῖς, ea erat actio

symbolica, qua significare volebat id, quod statim subiecit: accipietis sanctum Spiritum; ita enim intelligenda sunt verba: λάβετε πνεῦμα ἅγιον· neque enim his verbis tribuit discipulis dona sancti Spiritus, quod factum est demum proxime futuro die festo Pentecostes, sed promisit tantum, vt fecerat in sermonibus vltimis. His denique potestatem dat, ecclesiam christianam colligendi, fundandi, constituendi, ac promittit, quaecunque ipsius nomine fecerint, praeceperint, constituerint, ea rata futura esse ac probata atque accepta Patri coelesti. Hic enim est sensus verborum: ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς κ. τ. λ.

Putarunt quidem interpretes et Theologi plerique fere omnes, tribuisse Dominum his verbis non tantum discipulis et Apostolis, verum etiam doctoribus ecclesiae omnibus, potestatem, remittendi peccata; modo dissenserunt in eo, num haec remissio peccatorum sit declaratiua tantum, an vero etiam exhibitiva; hoc saltem in Apostolis locum habere potuisse statuunt, quoniam iis dabatur quoque sanctus Spiritus, per quem scire possent, quo quisque animo esset. Sed de remissione peccatorum, quae proprie dicitur, hic nullo modo videtur esse sermo. Tenendum enim est, primum, verbum ἀφιέναι explicandum esse declarative, quemadmodum permulta alia eiusmodi verba, vt vel ex GLASSIO, *Phil. S. p.* 216. *edit. Dathii* cognosci potest; deinde in formula: ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, dici partem pro toto, hoc est, remissionem peccatorum dici pro vniuersa salute, a Christo parata; quod centies fieri solet, in primis in sermonibus Domini, iisque effatis, in quibus rem aliquam expressit tantum negatiue, vbi simul etiam pars affirmatiua est intelligenda. Igitur *remittere peccata*, hoc loco denotat: declarare, veniam peccatorum salutemque omnem esse paratam, siue: annunciare hominibus, veniam peccatorum omnemque omnino salutem per Christum partam esse,

sic, vt accepturi sint hanc salutem, ab Apostolis annunciatam, quicunque appetierint; non accepturi autem, qui eam repudiauerint.

Hanc interpretationem egregie confirmare videtur locus parallelus, *Luc. XXIV*, 47. *sqq.* Nam quod apud Ioannem est: λάβετε πνεῦμα ἅγιον, id apud *Lucam* se habet hoc modo: καὶ ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός μου ἐφ᾽ ὑμᾶς, hoc est, ratam faciam promissionem Patris mei, vobis factam; promisit autem Dominus a Patre suis discipulis Spiritum sanctum eiusque dona, quibus eos esset instructurus; quae dona in sequentibus appellauit δύναμιν ἐξ ὕψους: manete, inquit, in vrbe Hierosolymitana, donec instruamini vi diuina. Porro quod apud Ioannem dixit Dominus his verbis: καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς, id apud *Lucam* expressit hoc modo: ὑμεῖς δέ ἐστε μάρτυρες τούτων. Ac testes erant discipuli, quatenus audiverant, viderant, spectauerant Iesum viuentem, docentem, agentem, patientem, morientem, e morte in vitam reuocatum, denique in coelum adscendentem, atque haec, quae vidissent, audiuissent, spectassent de Iesu, praedicabant inter gentes, suoque testimonio confirmabant. Denique quod significauit apud Ioannem verbis his: ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς, id indicare voluit apud *Lucam* hac ratione: ὅτι οὕτω γέγραπται καὶ οὕτως ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρα, καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν εἰς πάντα τὰ ἔθνη, ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλήμ. Etenim his verbis partim exposuit Dominus consilium diuinum de Messia, quod fuit hoc, vt cruciatibus superatis tertio die vitam reciperet et suo nomine praedicari iuberet animorum emendationem peccatorumque remissionem inter gentes omnes, initio facto a Iudaeis, partim vero etiam discipulis demandauit officium, hoc consilium diuinum notum faciendi inter homines, iussu atque auctoritate

Iesu praedicandi μετάνοιαν inter omnes gentes ad consequendam salutem, per ipsum partam. Nam vocabulum μετανοίας constat esse classicum, quo primum vsus est Dominus ipse, ac deinde vsi sunt Apostoli ad exprimendam vniuersam animi vitaeque mutationem eam, vt euangelio Iesu Christi conuenienter credas atque ad normam praeceptorum et exempli eius animum vitamque totam componas. Deinde ἡ ἄφεσις ἁμαρτιῶν hoc loco, vt in locis pluribus, exprimit non tantum veniam peccatorum, sed vniuersam salutem, a Christo partam et per Christum in hac et altera vita obtinendam, quoniam venia peccatorum est basis omnis salutis, et, vt verissime ait LVTHERVS, *vbi est peccatorum remissio, ibi est vita et salus.* Igitur his verbis demandauit Dominus discipulis hoc, vt docerent inter gentes omnes, Iesum Messiam mortuum esse in veniam peccatorum, sed eundem quoque in vitam rediisse, atque ita salutem omnem acquisiuisse; hanc salutem vero teneri alio modo non posse, nisi per μετάνοιαν, hoc est, nisi immutari se paterentur per euangelium Iesu Christi quoad animum et vitam; quod illo tempore fiebat hac ratione, vt Iudaei peruersas opiniones de Messia abiicerent, iique aeque ac Gentiles Iesum tanquam vnum, a Patre constitutum ac promissum salutis et reparatorem et datorem fide agnoscerent, vitam autem et mores emendarent atque ad normam disciplinae christianae instituerent. Idem igitur hic demandauit Dominus discipulis, quod iis iniunxit, cum in eo esset, vt in coelum abiret, quodque habet *Matthaeus, Cap. XXVIII,* 19. 20. his verbis: abite et discipulos facite inter omnes gentes, baptizando eos in Patrem, Filium et Spiritum sanctum, ac praecipiendo, vt morem gerant doctrinae, vobis a me traditae; *Marcus* autem, *Cap. XVI,* 15. 16. expressit hoc modo: abite, promulgate euangelium omnibus gentibus; quicunque crediderit et baptizatus

fuerit, salutem consequetur; eius autem expers erit, qui illud repudiauerit.

Sed potest quoque hic noster Ioanneus locus lucem capere ex alio, eoque nobilissimo, nimirum *Matth. XVI*, 18. 19. vbi Dominus Petro, qui eum professus erat Messiam et Filium Dei, daturum se esse promisit *claues regni coelorum*, hoc est, potestatem auctoritatemque, adducendi alios ad regnum coelorum, siue, rempublicam christianam, cum hac declaratione: *quaecunque in terra solueris, aut ligaueris, ea in coelo quoque soluta erunt, aut ligata*, id est, quos tu dignos iudicaueris, qui in album discipulorum meorum referantur, et in rem publicam christianam meorumque ciuium numerum recipiantur, aut indignos eo beneficio habueris, vtrumque ego in coelis ratum habebo. Atque haec potestas, quam hoc loco Dominus tribuit Petro, et *Matth. XVIII*, 18. etiam reliquis discipulis, iussu auctoritateque ipsius praedicandi *μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*, atque ita ad coetum Christianorum adducendi, vel etiam repellendi, dicitur in hoc nostro Ioanneo loco *potestas remittendi peccata et non remittendi.*

Sed veniamus ad reliqua. Sequitur enim nouum exemplum, quo Dominus se discipulis manifestauit, inde a *versiculo vicesimo quarto* vsque ad *vndetricesimum*. Etenim *Thomas, e numero duodecim Apostolorum, Didymus appellatus* *), *abfuerat tum ab iis, cum ad eos venisset Iesus*, nimirum ipso die eo, quo redierat in vitam. *Huic* igitur, cum rediisset, *renunciant discipuli reliqui, visum a se esse Dominum*; addideruntque, vt ex sequenti responsione Thomae probabiliter colligi potest, se vidisse adeo cicatrices in manibus et in latere eius, vt non posset amplius esse du-

*) Erat hoc cognomen Thomae, vt vidimus ad *Cap. XI*, 16. neque adeo reddendum: gemellus.

bitatis, eum verissime in vitam rediisse e morte. Ille vero, suspicans, eos delusos esse phantasmate aliquo, id se crediturum negat, nisi testibus oculis, et ne suis quidem oculis fidem habiturum. *Ego vero*, inquit, *id nunquam credam, nisi viderim in manibus eius vestigia clauorum, digitumque meum iis immiserim, manumque lateri eius admouerim*. Sic transierunt dies octo.

Octauo post die, congregatis denuo discipulis, praesente Thoma quoque, intrat Dominus conclaue, ianuis clausis, stansque inter medios, eos salutat more solito. *Mox* versus est *ad Thomam*, cuius ὀλιγοπιστίαν nouerat is, qui nihil nesciebat, eamque, quoniam profecta erat ex imbecillitate humana, dignatus est, sanare. *Age, quaeso, inquit, infer digitum tuum in meas manus, admoue manum tuam in meum latus, et, missa diffidentia, fidem habe. Iam Thomas dicit ad eum: mi Domine, mi Deus! Et Iesus: tu credis*, me viuere, *quoniam viuum me vidisti; beatiores sunt, qui non vident, et tamen credunt*. Verba notabilia Thomae: ὁ κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, non sunt admirantis et exclamantis, Deumque alloquentis; vti nos, admirabundi aliquam rem, seu euentum inopinatum, exclamare solemus: mi Domine, mi Deus; sed profitentis Iesum Dominum et Deum suum; quod patet inde, primum, quoniam antecedunt haec: ἀπεκρίθη Θωμᾶς καὶ εἶπεν αὐτῷ· quodsi illa esset formula exclamandi, abesse deberet et: ἀπεκρίθη, et pronomen: αὐτῷ· deinde, quoniam Dominus fidem eius laudat, quod facere non potuisset, si verba eius fuissent tantum admirantis. Caeterum nominatiui: κύριος et Θεός, sunt vel loco vocatiuorum, vt saepius; vel subintelligendum est: εἶ σύ, tu es Dominus et Deus meus. Igitur profitebatur Thomas his verbis, eum, quem videret, Iesum ipsum esse, non φάντασμα quoddam, sibique nunc esse per-

suasissimum, Iesum rediisse e morte et viuere; vereque esse Dominum et Deum. Num vero illo tempore habuerit notionem plenam de Iesu, Domino et Deo, dubitari quidem posse videtur, cum et reliqui discipuli eam demum acceperint per institutionem sancti Spiritus.

Haec atque eiusmodi multa alia signa dedit spectantibus discipulis, in hoc libro non conscripta. Hic per τὰ σημεῖα intellexit Ioannes nullo modo miracula Iesu in vniuersum; de iis enim in antecedentibus non erat locutus; atque in vniuersum non adeo multa miracula, a Domino edita, literis mandauit Ioannes in toto Euangelio, sed admodum pauca, atque ea non nisi tum, cum occasionem praebuissent Domino, sermonis alicuius insignis habendi ad populum, aut maiestatem suam illustrissimo aliquo modo demonstrandi. De his miraculis igitur Ioannes non erat locutus; locutus autem erat de indiciis et documentis resurrectionis Domini, quae dedit non tantum factis, sed etiam verbis, dum explicaret Scripturas, ac doceret, omnia fuisse praedicta, quae ipsi euenissent. Ac propterea etiam subiecit Ioannes, Dominum haec signa dedisse ἐνώπιον τῶν μαθητῶν. Itaque intellexit Ioannes per τὰ σημεῖα ea documenta receptae vitae, quae Dominus discipulis dedit rebus et verbis post resurrectionem suam, et idem dicere voluit, quod Lucas, *Act. I*, 3. παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, multis signis indubitatis ostendit, se viuere. Neque enim dubitari potest, Dominum per dies quadraginta post reditum in vitam vsque ad adscensionem in coelos multis aliis modis se manifestasse discipulis, vitaeque suae documenta dedisse; quae vero Ioannes data opera commemorare noluit; sufficiebat, commemorasse nonnulla, eaque euidentissima.

Sed alio spectare videntur, quae subiecit Ioannes

versiculo extremo: *haec scripta sunt propterea, vt crederetis*, quicunque hunc librum legeritis, *Iesum esse Messiam, Filium Dei, atque hac fide per eum consequeremini vitam aeternam.* Scilicet per ταῦτα intelliguntur non tantum verba et facta Domini post resurrectionem suam, neque miracula eius in genere, quorum vidimus Ioannem commemorasse paucissima, sed intelliguntur omnia, quae scripta sunt in hoc Euangelio, potissimum sermones Domini, in eo literis consignati; breuiter, intelligitur *vniuersum Euangelium Ioannis.* Id vero scriptum esse, ait, consilio hoc, vt, quicunque illud legerent, vtilitatem perciperent hanc, vt credere discerent, aut in fide confirmarentur, Iesum et Messiam esse, et Filium Dei. Hoc enim erat, quod demonstrare vellet, demonstraretque per totum hoc Euangelium luculentum in modum ex ore Domini ipsius, eiusque ipsius verbis; docuit enim permultis modis, quemnam Messiam et Filium Dei intellexerit, intelligique voluerit, nempe Messiam talem, qui esset salutis humani generis vniuersae et reparator, et dator, idque non tantum docendo, neque etiam, quamuis inprimis, moriendo, sed etiam regendo et gubernando, et ad salutem ipsam adducendo; Filium Dei autem talem, qui esset ab initio rerum omnium, resque omnes creauerit, fueritque apud Deum, sitque Deus, pari sensu, vt Pater, quippe qui habeat omnia, quae Pater habet, faciat, quae facit Pater, pari modo colendus et adorandus sit, vt Pater. Talem esse docuit Ioannes, et quidem propterea, vt omnes, qui haec legerent, talem agnoscerent, talem colerent et venerarentur, a tali salutem omnem expeterent exspectarentque. Id enim euidenter hoc loco denotat verbum πιστεύειν, nempe: Iesum suscipere tanquam Seruatorem mundi et Filium Dei talem, qualis descriptus est in hoc Euangelio. Perquam autem notabile est, quamnam huic fidei vim vtilitatemque insignem tribuerit Ioannes; scilicet hanc, vt,

quicunque eam habuerint, consequerentur vitam aeternam, et quidem, quod itidem est notatu dignissimum: *ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ*, propter Christum, et per Christum. Vnde patet, vitam aeternam teneri posse primum a *credentibus*, adeoque *per fidem*; deinde dari *propter et per Christum*, tanquam reparatorem et datorem vitae aeternae; denique talis fides *quantae necessitatis, quanti momenti sit et esse debeat homini Christiano cuique*, adspiranti ad vitam aeternam!

CAPVT XXI.

De huius Capitis αὐθεντίᾳ disputatum fuisse constat inter interpretes. Existimauit enim GROTIVS, totum hoc Caput esse additamentum, assutum post obitum Ioannis a Ioanne, Presbytero Ephesino, consensu ecclesiae, eo consilio, vt ostenderetur, ratum factum esse, quod praedixerat Dominus de Ioanne nostro, eum per longum tempus in viuis mansurum et placida morte e vita discessurum esse. Statuerunt vero alii, Caput hoc subiectum fuisse a Caio, Apostolorum hospite, et interpres quidam nuperrimus, ab auctore incerto. Rursus alii, nominatim HAMMONDVS et CLERICVS, nisi Caput hoc vniuersum, certe versiculos duo extremos putarunt esse a manu aliena. Cuius opinionis argumenta afferuntur in primis duo, quorum primum desumtum est ex versiculis extremis Capitis antecedentis, in quibus Ioannes operi suo iam finem imposuerit; alterum vero ex *versiculo quarto et vicesimo*, in quo auctor loquitur in plurali: οἴδαμεν· vnde colligunt, plures auctores fuisse huius additamenti, hos autem fuisse Presbyterum Ephesinum cum eiusdem ecclesia. Sed contra hanc opinionem disputarunt viri eruditissimi, in primis autem MILLIVS, *Proleg.* §. 249. *sq.* WETSTENIVS *ad Io. XXI,* 25. MICHAELIS *Einleit. ins N. T. p.* 988. et nuperrime EICHHORNIVS *Einleit. in das N. T. Vol. II. Part.* 2. *p.* 213. *sqq.* multique alii, de quibus videri potest WEGSCHEIDERI *vollständ. Einleit. in das Ev. Io. p.* 173. *ss.* Etenim argumenta illa vt per se habent parum probabilitatis, ita tota haec opinio destituitur omni argumento antiquitatis, nititurque meris coniecturis, estque adeo sine dubitatione fictitia. Sit autem, hoc Caput esse appendicis loco ha-

bendum, cur quaeso non possit scriptum esse a manu Ioannis? Nonne pari iure ei licuit, operi absoluto addere aliquid, atque Paulo Apostolo, quem scimus idem fecisse in Epistolis quibusdam, nominatim in Epistola, ad Romanos scripta? Quare vix dubitari posse videtur, hoc Caput profectum esse a Ioanne ipso, etsi additum sit operi iam finito; cuius rei potuit habere Ioannes causas satis graues.

Plerique tamen offensi fuisse videntur rebus, quae in hoc Capite traditae reperiuntur, quaeque eis visae sunt tanti momenti non esse, quas operi iam finito adderet Ioannes. Affert enim nouum exemplum, quo Dominus se reuelauerit disciplulis, idque, vt putant, non adeo memorabile; potuisset, inquiunt, alia, eaque illustriora exempla afferre, cum Dominus post resurrectionem suam saepius se manifestauerit discipulis. Commemorauit porro sermonem, cum vno Petro habitum, et ad eum vnice pertinentem, cum dubitari non possit, multo plura, eaque notabiliora, locutum fuisse Dominum cum discipulis omnibus. Id tamen in promtu est, Ioannem habuisse causas graues, cur potissimum harum rerum gestarum mentionem faceret, nec aliarum et plurium. In vniuersum autem patet ex omnibus exemplis, commemoratis a Ioanne et Euangelistis reliquis, Dominum non amplius versatum fuisse post resurrectionem suam cum discipulis tali modo, quemadmodum ante mortem suam facere solitus fuerat, nec eadem familiaritate cum iis egisse, immo se gessisse, tanquam exemtum iam ex societate hominum mortalium et abiturum mox ad capessendam maiestatem ad dextram Patris, vt desuescerent adspectu eius visibili, quo hucusque vsi erant, adsuescerent vero praesentiae inuisibili. Sed videamus rem ipsam. Habet enim Ioannes haec.

Posthaec Iesus denuo se conspiciendum exhibuit discipulis ad mare Tiberiadis, idque hac ratione. Ali-

quoties enim iam Dominus videndum se praebuerat amicis et discipulis, ipso die resurrectionis suae, primum mulieribus duabus, quas vidimus fuisse Mariam, matrem Iacobi, et Salomen, deinde Mariae Magdalensi, porro discipulis, Emmauntem profectis, itemque Petro, denique discipulis omnibus, et octo dies post iisdem, idque in vrbe Hierosolymitana. Quae vero in hoc Capite tradita reperiuntur, euenerunt in Galilaea, quo reuerti suos iusserat Dominus, quoque se venturum promiserat. *Matth. XXVIII*, 7.

Vna erant Simon Petrus, Thomas, alias Didymus appellatus, Nathanael, Cana-Galilaeensis, itemque filii Zebedaei, et duo alii eius discipuli. Ad quos Petrus: piscatum abeo, inquit. Et illi: eamus tecum. Mox exeunt conscenduntque nauem, sed per eam noctem nihil capiunt. Dubii fuisse videntur discipuli de sorte sua futura. Destituti consuetudine et praesidio Domini, apud quem ali consueuerant ex amicorum liberalitate, sibi ipsis relicti esse videbantur. Redeunt igitur ad pristina domicilia, et ad artem pristinam, qua sibi manibus victum parent. Piscatum eunt. Interim conuersabantur saepius, in vno eodemque loco congregati: ἦσαν ὁμοῦ.

Mane proximo Iesus, adstans littori, nesciis discipulis, Iesum esse, quaerit: carissimi, num quid habetis piscium? Illi negant. Blande eos alloquitur: παιδία, qua allocutione vsum quoque fuisse constat Ioannem. 1 *Ep. II*, 18. Quaerit, num pisces vendendos habeant. Etenim τὸ προσφάγιον idem est, quod Graeci elegantiores dixerunt: ὄψον, quo quidem denominarunt omnis generis cibos, qui ad panem adhibentur et cum eo capiuntur, maxime autem pisces. Sed loco vocabuli ὄψον Macedones finxerunt minus elegans: προσφάγιον. Vid. FISCHERI *Proluss. de Vit. Lex.* p. 697. sq.

Ille igitur: rete quaeso, inquit, mittite ad dextram partem nauis, et capietis. Mittunt igitur, et vix

extrahere possunt prae copia piscium. Discipulus, Iesu in primis carus, monet Petrum, Dominum esse. Petrus, vt audiuit, Dominum esse, sumta superula se in vndas proiicit; erat enim sola subucula indutus. Etenim vox ἐπενδύτης, qua e scriptoribus N. T. vnus Ioannes vsus est, denotat tunicam superiorem et inter subuculam et vestes interiores mediam, quam Latini dicunt superariam. Nimirum Graeci et Romani, eorumque exemplo Iudaei quoque, gerere solebant fere tunicas duas, quarum vna, quae cutem tangeret, a Latinis dicebatur interula et subucula, itemque indusium, a Graecis autem, et quidem Atticis: χιτωνίσκος, a reliquis ὑποδύτης, altera autem, togae et pallio propior, atque adeo inter subuculam et exteriores vestes media, ab Atticis appellabatur: χιτὼν, a caeteris Graecis: ἐπενδύτης, a Latinis: superaria, saepissime autem tunica. Vid. FISCHERVS, *l. c. p.* 80. *sqq.* Hanc igitur superulam induit Petrus, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, quam inter piscandum deposuerat; erat enim γυμνὸς, id est, sola subucula indutus. Etenim qui leuiter tantum vestitus erat et tunica, seu pallio carebat, a Graecis dicebatur γυμνὸς, ab Atticis: ἀχίτων, et a Latinis quoque: *nudus*. Quare adolescens, qui Dominum, ab hostibus comprehensum, sequi instituerat, amictus fuisse dicitur σινδόνι, hoc est, pallio, et aufugisse γυμνὸς, id est, sine pallio, relicto pallio. *Marc. XIV*, 51. *sq.* Petrus igitur pro suo in Dominum feruore, oblitus et retis et piscium, morae impatiens, vt natando primus perueniret ad Dominum, se deiecit in mare.

Reliqui vero discipuli nauigio venire maluerunt, vt simul traherent rete, piscibus plenum; neque enim longe aberant a littore, sed tantum ducentis circiter cubitis. In his vti supra laudabatur Petri alacritas et promtitudo, ita excusantur caeteri, qui breui nauigio peruenturi erant ad Dominum.

In terram egressi, conspiciunt piscem, prunarum

aceruo impositum, *et panem*. Denotat enim τὸ ὀψάριον obsonium, hoc est, quemcunque cibum, qui cum pane sumitur, omne edulium praeter panem, in specie vero piscem, vt vidimus ad *Cap. VI*, 9. et vt in hoc nostro loco docet sequens versiculus.

Dicit Iesus: afferte de piscibus, quos cepistis. Petrus igitur, reuersus ad nauem, ad littus pertraxit rete, plenum piscibus magnis, numero centum et quinquaginta tribus; neque tamen, licet tot essent, scissum est rete. Non sine causa commemoratae sunt hae res, quae minutae videri possent, vt nempe eo magis intelligeretur, omnipotentiam diuinam se exseruisse in hac re multis modis.

Porro Iesus: adeste, inquit, prandete. Neque tamen quisquam eum interrogat, quisnam sit, satis perquasi, Dominum esse. Quae cum gesta sint non ad meridiem, sed primo mane, vt docet *quartus versiculus*, neminem offendet verbum ἀριστᾶν, qui sciat, hoc verbum, quemadmodum latinum: prandere, dici de cibo quocunque, qui apud veteres capiebatur ante coenam; et τὸ ἄριστον apud scriptores Graecos, *Homerum* adeo, significare: ientaculum. Atque id hoc loco intelligitur, et ἀριστᾶν est: ientaculum capere, vesti tempore matutino. Deinde tenendus est vsus verbi τολμᾶν. Vsurpatur enim pleonastice; quod vel inde patet, quia Ioannes addit, sua sponte agnouisse discipulos, Iesum esse; quare in re satis nota ne opus quidem erat quaestione. Vid. MARKLANDVS *ad Lys. edit.* REISKII, *orat. gr. Vol. V*. p. 385.

Iam accessit Iesus ad conniuium, *sumtumque panem* pro more suo *distribuit*, *similiter et pisces*. *Atque ita Iesus post reditum suum in vitam tertium conspiciendum se exhibuit discipulis*; et quidem vt amicus antiquus, non tam verbis, quam rebus, sic, vt de eius resurrectione in dies redderentur certiores. Primum se discipulis reuelauit ipso die, quo in vitam rediit, se-

etiandum octo dies post, vtrumque in vrbe Hierosolymitana, tertium hic in Galilaea.

Sed peracto prandio, alloquitur Iesus Simonem Petrum hoc modo: Simon, Ionae fili, plusne me amas, quam hi? Verissime, respondet Petrus, Domine; nosti, te a me amari. Tum Iesus: pasce meas oues. Iterum interrogat: Simon, fili Ionae, amasne me? Et Petrus: verissime, Domine, scis, amari te a me. Iesus autem: pasce oues meas. Tertium quaerit: Simon, Ionae fili, mene amas? Ac Petrus, aegre ferens, quod quaereret ter: amasne me? respondet: Domine, cum scias omnia, scis quoque, te a me amari. Et Iesus: pasce oues meas. Quaerebat Dominus ex Petro, num ipsum amaret, non tanquam dubitasset de amore eius, aut ignoraret, se a Petro diligi plurimum; ipsum non fugiebat quicquam, vt Petrus profitebatur verissime; sed quo magis excitaret amorem Petri. Quaerebat ter, vt ostenderet, discipuli amorem ipsi esse exoptatissimum acceptissimumque. Quaerebat denique, num eum amaret plus, quam discipuli reliqui; quo respexit haud dubie ad promissionem Petri: etiamsi omnes te abnegauerint, ego nunquam te abnegabo, qua se praeferebat discipulis reliquis; et tamen eum abnegauit. Quare etiam non audet asseuerare, se plus amare Dominum, quam reliqui ipsum ament, sed dicit tantum: scis, te a me amari, adeoque prouocat ad Dominum, eiusque omniscientiam, eumque testem facit animi erga ipsum amoris. Nonnulli tamen sensum verborum: ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων, putant esse hunc: amasne me plus, quam pisces captos, suppellectilem piscatoriam, opificium, res terrenas omnes.

Quoties vero Petrus suum erga Dominum amorem testabatur, toties Dominus eum excitabat, pascere oues suas: βόσκε τὰ ἀρνία μου, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. Vocabula: ἀρνία et πρόβατα differunt quidem, sed hoc loco plane sibi aequipollent, fueruntque Domino vsitata,

quibus appellaret vel homines omnes, vel, atque in primis, suos sectatores; quare se ipsum vocauit *ποιμένα*. *Io. X*, 1. *sqq.* Deinde et verba *βόσκειν* et *ποιμαίνειν* idem denotant; nimirum vsurpantur de ducibus et principibus populi aut coetus alicuius, et significant: gubernare, regere, saluti aliorum prospicere; dicunturque in specie de antistitibus ecclesiae eorumque officio, quod est non tantum in docendo, sed etiam in regendo et curam gerendo, vt vidimus ad *Cap. X*, 11. Igitur quando Dominus a Petro tanquam documentum sui erga ipsum amoris postulabat, vt oues ipsius pasceret, demandauit ipsi peculiarem curam suorum discipulorum omnium post discessum suum ex his terris, adeoque repetiit denuoque inculcauit mandatum, quod olim iam ipsi dederat, nimirum *Matth. XVI*, 18. itemque simul et reliquis discipulis, *Matth. XVIII*, 18. et nuperrime, *Io. XX*, 23. Sed cur repetiit mandatum illud hoc loco? Cur in primis Petro dedit? Scilicet Petrus sane inter Apostolos omnes primus erat futurus ac praecipuus, qui Christum praedicaret, ecclesiamque christianam colligeret et fundaret; propterea Dominus ipsum appellasse constat *petram*, in qua sibi aedificaturus esset ecclesiam suam, quae euerti nullo modo possit. *Matth. XVI*, 18. Sed talem, tamque constantem sectatorem Christi ecclesiaeque doctorem et antistitem se non praestitisse videbatur Petrus, cum Dominum non tantum deseruisset, sed etiam abnegasset. Vt igitur memoriam huius abnegationis aboleret Dominus, occasionemque aliis praescinderet, eam vitio vertendi Apostolo, ostenderetque, quam carus ipsi esset Petrus, quamque spem eximiam de eo concepisset, propterea ei in primis ecclesiae suae curam commisit. Neque adeo primatum aliquem prae reliquis Apostolis, caeterisque doctoribus omnibus ei concessit; nam eandem curam ecclesiae, quam Petro demandauit, commisit quoque, vt vidimus, reliquis discipulis omnibus. Caeterum oues appellauit

suas, quoniam pro iis vitam posuit; easque regit ac tuetur, *Io. X*, 11. *sqq.* siue, vt Paulus loquitur, quia suo sibi sanguine ecclesiam redemit, *Act. XX*, 28. et alio loco: ' Christus adamauit ecclesiam, seque ipsum pro ea tradidit, vt eam suam sibi faceret. *Eph. V*, 25. *sq.* ' Sed quam caros Dominus haberet suos, quam carum haberet Petrus Dominum, tam caros voluit, vt Petrus haberet omnes, qui Domini essent.

Idque Petrum facturum, significare voluit Dominus verbis sequentibus: *profecto, iuuenis cum esses, te ipse induebas, et, quo velles, ire poteras; sed futurum est, vt, aetate prouectior, manus porrigas alteri, qui te cingat, et, quo nolles, ducat; quibus verbis innuebat Dominus mortis genus, quo Petrus aliquando illustraturus esset gloriam Dei.* Etenim denunciauit ei non tantum calamitates grauissimas, sed adeo etiam mortem violentam. Olim, inquit, pro lubitu te cingebas agebasque, id est, tui iuris eras, liber a coactione, vi et potestate hominum, tibi imperantium; verum vbi senueris, manus porriges alteri, captiuorum instar, hoc est, manus aliorum tibi inferentur, alius te cinget vinculis et abducet, quo omnium minimè voles, in carcerem atque adeo ad mortem. ' Igitur mortem violentam denunciauit Petro Dominus. Nec improbabiliter traditur, Petrum, cum esset admodum senex, Neronis tempore in crucem fuisse actum. Atque id exigebat Dominus a Petro, exspectabatque, tanquam amoris documentum, vt etiam vitam profundere paratus esset in honorem Christi salutemque ecclesiae. Etenim qui pro salute aliorum contemnit diuitias, negligit honores, parui habet commoda omnia huius vitae, Christi causa, is quidem praebet amoris sui documentum, maius autem, immo maximum, qui non dubitat, pro salute aliorum vitam suam in discrimen adducere.

Quibus et haec subiecit: sequere me. Verba haec duplici modo intelliguntur intelligique possunt, vel sic: Iesus dum abiit a discipulis, volebat, vt Petrus eum comitaretur, quaedam ipsi seorsim dicturus, atque ita Petrus cum Domino abit; vel hac ratione: dum dixit: sequere me, respexit ad ea, quae modo significauerat Petro de insequente morte violenta, inuitauitque ad mortis imitationem, vti promiserat: *vitam adeo pro te profundere paratus sum.* Hanc promissionem Petri in animo habuit Dominus, hanc voluit, vt ratam faceret, dum dixit: *sequere me.*

Iesus abit, Petrus sequitur, vel monitus verbis: sequere me, vel sua sponte. Sequitur etiam Ioannes. *Petrus respiciens, videt, insequi discipulum, Iesu carum in primis, qui, in coena proxime ei accumbens, interrogauerat, quisnam ipsum traditurus esset potestati hostium, hunc, inquam, vt videt Petrus, interrogat Iesum: quid vero hic?* Rursus haec intelligi possunt ratione duplici, vel sic: Petrus aegre ferebat, videns, Ioannem insequi, cum vnum Petrum iussisset sequi, ipsi seorsim dicturus aliquid; quaerit igitur, cur permittat, vt et hic sequatur, non iussus; vel etiam hoc modo: Petrus bene intellexerat, in verbis: sequere me, esse inuitationem ad suscipiendam violentam mortem in gloriam diuinam, cumque videret, Ioannem sibi proximum, quem Domino caeteris cariorem sciret, volebat comperire, num forte hunc mortis comitem esset habiturus, hoc sensu: mihi praedixisti, me ab aliis cinctum iri, venturumque esse in pericula mortis; huic quid eueniet, illius quaenam sors erit?

Iesus, si eum, inquit, manere iubeam vsque ad meum aduentum, quid hoc ad te? Tu me sequere. Atque et haec duplici modo explicari possunt, vel hoc: si vellem, vt remaneret apud discipulos reliquos, donec ad eos redierim, ad te nihil attinet, tuum non est, il-

lum reprehendere; tu modo sequere me; vel sic: si hunc velim superstitem esse, donec ipse venero, tua non refert; tu modo cura, quod ad te pertinet, sequere me. Ac sane verbum μένειν denotat: in vita manere, vt 1 *Cor. XV*, 6. et τὸ ἔρχεσθαι dici videtur eo sensu, quo vsurpauerat Dominus supra, *Cap. XIV*, 3. vbi dixerat, se venturum esse et suscepturum suorum quemque in locum eum, quo ipse esset abiturus. Quare his verbis significare voluit Dominus hoc: si ipsum volo in vita manere, donec ipse venero ad eum ducendum in sedes beatorum, tua non potest interesse; meo arbitratu de eo statuam, quod optimum sit; tu cura tantum, quod pertinet ad te, vt me sequaris in morte violenta. Ita tacite innuisset Dominus, morte naturali e vita discessurum esse Ioannem. Qui verbum ἔρχεσθαι de aduentu Christi ad excidium Hierosolymitanum, siue adeo etiam ad iudicium extremum interpretati sunt, non videntur satis cepisse mentem Domini.

Hinc deinde apud discipulos rumor percrebuit, non moriturum esse hunc discipulum; cum tamen non dixisset Iesus, eum non esse moriturum, sed tantum, si vellet, eum manere, donec venerit, id non pertinere ad Petrum. Videntur itaque nonnulli Christianorum, (ἀδελφοὶ,) effatum Christi de Ioanne intellexisse sic, tanquam dicere voluisset, eum non moriturum esse, sed sine morte ex hac vita in alteram discessurum, forte eo modo, quo ex hac vita migrauit Elias, aut Dominus ipse. Nam Christianos illos τὸ ἔρχεσθαι intellexisse de aduentu Domini ad iudicium extremum, vt interpretes statuunt, atque inde collegisse, Ioannem vitam protracturum esse vsque ad consummationem mundi, id parum probabile esse videtur. Existimarunt potius, non vulgari modo, sed extraordinaria ratione ex hac vita in alteram migraturum esse discipulum, quem Dominus prae reliquis in deliciis haberet. Hanc opinionem refu-

tauit Ioannes, docens, Dominum non dixisse absolute, eum non esse moriturum, sed tantum, eum mansurum esse in hac vita, donec eum suo tempore ex hac in alteram vitam transtulerit; atque, si sibi ita placuerit, ἐὰν θέλω, auertere ab eo mortem violentam, et morte placida suo tempore ad sedes beatorum suscipere; id Petro perinde esse posse.

Hoc testatus est hic ipse discipulus, qui haec scripsit, eiusque testimonium fide dignum esse, scimus. Hic igitur diserte professus est Ioannes, se fuisse, non alium quendam, qui haec perscriberet; quare vix dubitari posse videtur, quae in hoc Capite continentur, ab ipsius manu esse profecta. Etenim per ταῦτα intellexit Ioannes haud dubie ea, quae in proxime antecedentibus scripserat de effato Domini ratione mortis ipsius ad refutandam vanam opinionem Christianorum, ne in dubitationem adduci posset effatum illud, si mors Ioannis aliquando euenisset alio modo, quam credidissent; deinde intellexit vero etiam res a Christo gestas omnes, quas literis consignauit in hoc Euangelio; quod requirere videntur sequentia, in quibus sine dubio sermo est de rebus et factis Iesu in vniuersum. Offendit autem plures numerus pluralis in verbo: οἴδαμεν, ex quo colligere voluerunt, non Ioannem, sed alios, et nominatim ecclesias Asiaticas, haec subiecisse, suoque testimonio confirmare voluisse. Quod vt per se est improbabile, quoniam non opus habebat Ioannes testimonio aliorum; ita notissimum est, scriptores omnes loqui solere in numero multitudinis, praesertim in rebus, omnibus notis, sic, vt οἴδαμεν fere sit: omnes sciunt, omnibus constat. Posses tamen etiam dicere, loco: οἴδαμεν legendum esse: οἶδα, siue: οἶδα μέν. Ita saltem hunc locum excitarunt CHRYSOSTOMVS et THEOPHYLACTVS in Commentariis.

Sed rerum, a Christo gestarum, tanta est multi-

tudo, quas, si quis sigillatim perscribere voluerit, enascceretur voluminum vis immensa. Lectio: χωρῆσαι dubia quidem visa est MARKLANDO *ad Lysiam p.* 818. *edit. Reiskianae*, qui eius loco substitui voluit vel: χωρήσειν, vel: χωρῆσαι ἂν, quoniam haec vocula ἂν addi soleat aoristo, loco futuri vsurpato; sed ipse retractauit hanc opinionem; etenim, vt docuerunt viri docti, illud ἂν in hac caussa omitti interdum solet a scriptoribus optimis. Vid. KREBSII *Decreta Rom. pro Iud. p.* 121. et LOESNERI *Obseruatt. e Phil. ad h. l.* Caeterum facile quisque concesserit, verba vltima hyperbolice dicta esse, neque ad viuum resecanda; nam eiusmodi formulas, satis constat, reperiri apud scriptorem optimum quemque; et apud Iudaeos vsitatas fuisse, docuerunt interpretes. Indicauit vero Ioannes his verbis, rerum, a Christo gestarum, multitudinem esse permagnam, haec autem sufficere posse ad Iesum cognoscendum. Neque enim omnia literis mandare voluit, quae Iesus, Dominus, per totam vitam suam docuit et fecit, sed commemorare nonnulla tantum, quae consilio ipsius in scribendo hoc Euangelio essent accommodata, nempe, quemadmodum diserte indicauit ad finem antecedentis Capitis, vt, adhibenda Domini ipsius auctoritate, eiusque verbis et factis, doceret atque ostenderet, quis et quantus esset Iesus, qualem se ipse esset professus, qualemque se gessisset per totam vitam in omni genere et parte, vtque adeo ex sermonibus atque effatis, veluti ex ore Iesu ipsius, factisque et fatis insignioribus, discere possent atque intelligere, sibique persuadere non illorum tantum, sed futurorum temporum omnium omnes, quicunque haec legere voluerint, Iesum esse Filium Dei verissimum, a Patre missum in has terras, Messiam promissum et exspectatum, totius humani generis Seruatorem Optimum Maximum, vtque tanquam talem fide susciperent omnes, atque per hanc talem fidem consequerentur vitam aeternam.

Etenim si summam inire volueris eorum, quae Iesus, Dominus, docuit in his terris, quaeque Ioannes eum per triennium in sermonibus, habitis non modo ad discipulos, verum etiam in locis publicis ad populum, ad magistros et principes Iudaeorum, in vniuersa Palaestina, eiusque vrbe primaria, in synagogis, in templo, festis in primis diebus, loco et tempore celeberrimo, quo conuenire solebant Iudaei ex omnibus regionibus terrae, palam et disertis verbis docuisse in hoc Euangelio tradidit, quaenam demum est?

Scilicet docuit, Deum adamasse genus humanum tantopere, vt daret Filium suum vnigenitum, vt, quicunque in eum crediderint, ab exitio liberarentur, potirentur vero vita aeterna, esse adeo consilium Dei et decretum disertum, liberandi homines ab exitio, salutemque omnem iis conferendi per Filium suum, et vero etiam voluntatem eius seriam hanc, vt agnoscant omnes hoc consilium et decretum Dei, et Filium agnoscant tanquam talem, per quem Deus seruare homines et beare constituisset, tanquam talem fide suscipiant, salutem omnem ab eo exspectent, eumque colant pari modo, vt Patrem; hunc enim cultum desiderare Deum, hunc vnice gratum ei esse acceptumque, hancque vnice veram esse viam ac rationem tenendae vitae aeternae; vt, quisquis ad eam adspirare voluerit, agnoscat et colat Deum, tanquam eum, qui misisset Filium suum, et Iesum Christum, qui ab eo missus esset ad salutem generis humani; ac tali modo, quicunque cognouerit et coluerit Deum et Iesum Christum, eum consecuturum esse certo vitam aeternam, at vero quemque, qui neque Patrem, neque Filium, Iesum Christum, tali modo agnoscere et colere voluerit, certo sibi contrahere exitium, et quidem propterea, quoniam fidem denegauerit Filio Dei vnigenito. *Cap. III*, 14—18. *IV*, 15. *sqq.* *XVII*, 3.

Docuit porro, hunc Filium Dei esse se, ac Filium quidem talem, qui sit vnus in suo genere, *μονογενὴς*, *Cap. III*, 16. qui Deum habeat Patrem proprium, *πατέρα ἴδιον*, et *ἴσος* sit *τῷ Θεῷ*, Deo par, *Cap. V*, 18. *sqq.* qui fuisset, antequam veniret in has terras, a Deo missus; *Cap. III*, 13. 17. fuisset ante Abrahami tempora, *Cap. VIII*, 58. fuisset in coelo apud Patrem suum, *Cap. III*, 13. *VI*, 62. 46. *VII*, 29. fuisset ab aeterno, habuisset gloriam apud Patrem ante mundum conditum, iam vero profectus sit a Patre de coelo et in has terras venisset, sed rediturus sit ad Patrem, a quo exiuerit, ad capessendam eandem gloriam, quam habuisset apud Patrem; *Cap. XVII*, 5. *VI*, 62. 38. *VIII*, 42. *XVI*, 28. Filium talem, qui habeat, quaecunque Pater habeat, *Cap. V*, 26. qui faciat, quaecunque faciat Pater, *vers.* 17. 19. *sqq.* qui colendus sit pari modo, vt Pater, sic, vt, qui Filium non colat, Patrem non colat, *vers.* 23. inter quem et Patrem intercedat indiuidua societas et paritas attributorum, operum, cultus, adeoque naturae. Quisquis videt me viuentem, agentem, morientem, videt Patrem, effigiem Patris, amorem Patris, consilia Patris, instituta Patris in beandis hominibus; *Cap. XIV*, 9. Pater est in me, ego in Patre; *Cap. X*, 38. *XIV*, 20. quae dico, non mea sunt, sed Patris, quae facio, non mea sunt, sed Patris; *Cap. XIV*, 20. quae Pater habet, ea omnia mea sunt; *Cap. XVI*, 15. ego et Pater vnum sumus, *Cap. X*, 30. nihil est inter nos non commune, a Patre proficiscuntur omnia, sed nihil est illius, quod non sit meum, vnum consilium, vna voluntas, vna *ἐνέργεια*, vnum idemque opus; et quale est consortium inter me et Patrem, tale quoque est inter nos et sanctum Spiritum; quod volumus nos, vult sanctus Spiritus; quod facimus nos, idem Spiritus facit. *Cap. XVI*, 13. *sqq.*

Docuit deinde, se venisse in has terras ex delibe-

rato decreto Patris, eo consilio, vt opus seruandi beandique generis humani susciperet; *Cap. VI, 38. sq.* neque adeo venisse se suo instinctu, sed iussu Patris; *Cap. VIII, 42.* seque esse legatum, diuinitus missum de coelo, promissum olim Seruatorem; de quo vt nulla dubitatio esse posset, tanquam talem se manifestatum esse a Ioanne Baptista, *Cap. V, 32. sqq.* tanquam talem se ipsum demonstrasse rebus et factis tot ac tantis, vt, quicunque ea videndi occasionem haberent, allici possent excitarique ad ipsum audiendum et suscipiendum tanquam legatum, de coelo missum et auctoritate diuina agentem, *Cap. V, 36. X, 38. XIV, 11. XV, 24.* tanquam talem denique se esse commendatum a Patre ipso per Scripturas sacras; *Cap. V, 37. sqq.* igitur opus suum non esse humanum, sed plane diuinum, non suum, quam potius Patris; Patrem ipsum misisse, atque hoc opus ipsi demandasse, potestatemque dedisse, docendi, quicquid doceat, faciendi, quicquid faciat; Patrem esse, a quo proficiscatur, quicquid sit salutis humanae, et Filium, per quem hanc salutem donare constituerit, Patri competere in hac re partes primarias; *Cap. XIV, 28.* atque hoc opus se perficere ac perfecisse non suo arbitratu, sed vnice ex voluntate Patris; *Cap. V, 19. 30.* se nihil facere, ne dicere quidem, nisi quod placeat Patri; *Cap. VIII, 29.* quicquid agat, agere per Patrem et ad gloriam Patris; *Cap. V, 19. 30.* quando vitam ponat, ponere e consilio et beneplacito Patris; *Cap. X, 17.* quicquid doceat, docere ex mandato Patris; *Cap. XII, 10.* quicquid loquatur, loqui ex animo Patris; *Cap. XIV, 10.* se tradere, non, quae excogitauerit, aut ab aliis audiuerit didiceritque, siue etiam afflatu aliquo diuino cognita habeat, vt olim prophetae, sed quae audiuerit a Patre in coelis et veluti de coelo in hanc terram deportauerit, et quae Pater tradi voluerit; *Cap. VIII, 38.* atque omnia se tradere sic, vti acceperit a Patre; *Cap. V, 30. VII, 16. 18. VI, 63. VIII, 28.*

neminem enim Deum eiusque consilia abscondita melius nosse et explicare posse, quam qui in coelo fuisset et de coelo venisset; *Cap. III*, 15. *VI*, 46. *VII*, 29. adeoque doctrinam suam, et nominatim de Patre eiusque consiliis, seruandi homines per Filium suum, non esse commentitiam, sed veram, non humanam, sed diuinam, non spuriam, sed puram et integram; *Cap. XII*, 49. 58. *XIV*, 24. sic, vt quae fides habenda sit Patri, eadem habenda sit Filio, et qui Filio fidem deneget, deneget Patri, qui eum misisset, tanquam talem euidenter demonstrasset, eique fidem haberi vellet; *Cap. V*, 24. *VI*, 27. *XII*, 44. huius doctrinae autem et veritatem et salubritatem intellecturum esse quemque sua ipsius experientia, qui eam admittere, eique conuenienter credere et agere voluerit. *Cap. VII*, 16. *sqq.*

De opere suo ipso eiusque consilio docuit haec; scilicet spectare illud vnice ad salutem humani generis; etenim consilium Patris, quo Filium misisset in has terras, esse hoc, vt ex omnibus, quos ipsi dedisset, perire sinat neminem, sed vita aeterna donet omnes, vtque, quisquis Filium cognouerit crediderit que in eum, ab interitu liberetur, vitamque aeternam consequatur; *Cap. VI*, 39. 40. Patrem igitur decreuisse et voluisse, vt *primum* atque ante omnia hoc consilium Patris de seruandis beandisque hominibus per Filium, in his terris manifestaret, eoque in primis spectasse doctrinam, quam tradidisset, quamque discipulis suis prae caeteris tradendam praecepisset; *Cap. XVII*, 4. 6. 26. *deinde*, vt adeo vitam poneret et mortem subiret, eandemque in cruce, et quidem pro hominibus, hac de causa, partim vt exitium ab iis depelleret, partim vero etiam vt acquireret iis et impetraret vitam aeternam, eandemque beatam; igitur mortis suae consilium esse hoc, hanc vim, hunc effectum, vt liberari homines ab exitio, vitaeque aeternae participes fieri possint; hanc suam

mortem esse causam salutis humanae necessariam, Patri acceptissimam et probatissimam, atque ad gloriam eius suamque ipsius illustrissimam; *Cap. III*, 14—16. *VI*, 51. *X*, 15. 17. *denique*, vt hanc vitam, ab ipso omnibus acquisitam, conferret, quicunque eam desideraucrint atque ab eo exspectauerint; *Cap. X*, 27. 28. Patrem enim omnem omnium hominum salutem tradidisse in manus Filii, eique concessisse potestatem in homines omnes, vt vitam aeternam largiretur, quotquot ei attribuisset; *Cap. XVII*, 2. eique mandasse, vt morientes ad hanc vitam adduceret; *Cap. VIII*, 51. *XIV*, 3. mortuos e morte in vitam reuocaret atque viuificaret; *Cap. V*, 25. *sqq.* viuos et mortuos iudicaret et cuique rependeret pro factis; *vers.* 22. etenim placuisse Patri, vt, qui esset seruator et dominus hominum, idem quoque esset eorundem iudex, et qui vitam felicitatemque omnibus impetrasset, eandem quoque desiderantibus impertiret, respuentibus autem denegaret, eosque supplicio addiceret, propterea, quoniam fidem denegarent Filio Dei vnigenito. *Cap. III*, 17. 18. *V*, 27.

Igitur docuit atque professus est, se esse ducem auctoremque felicitatis, humani generis Seruatorem, olim promissum, per quem Pater donare velit, quicquid salutis benignitas eius donare hominibus destinauerit; et quidem ducem atque auctorem felicitatis non terrenae, sed coelestis et aeternae; *Cap. V*, 24. *VI*, 40. *sqq. VIII*, 12. *XIV*, 6. Seruatorem *talem*, qui hominibus et acquirat liberationem a pernicie vitamque aeternam morte sua, et vero etiam eandem largiatur gratia et omni potentia sua; eundemque *vnum*, quem fide suscipere oporteat vnumquemque, qui a pernicie liberari et vitae aeternae particeps fieri velit, quem qui repudiauerit, repudiare salutis auctorem, sibique exitium parare; *Cap. X*, 7. 9. 10. *III*, 18. *XIV*, 6. deinde *verissimum*, per quem, quicunque in eum cre-

diderit, vitam habiturus sit tam certo, quam certo Pater vitam habeat, et Filius vitam a Patre habeat, et dare possit aliis; *Cap. VI*, 56. denique *perfectissimum*, per quem teneri possit felicitas et beatitudo *perfectissima*, hoc est, verissima, copiosissima, constantissima, aeterna, quippe qui et habeat bona, et acquirat bona, et conferat bona, quae beatum reddere possint omni modo et omni tempore quemque, quae qui possideat, nihil habiturum, quo appetat aliquid excellentius atque salubrius, aut indigeat aliqua re, ad vitam beatissimam necessaria, immo vero habiturum bona omnia, e quibus nascatur beatitudo, expletura animum voluptate, semper crescens, nunquam fastidienda, nunquam per infinita saecula satietatem allatura. Filius hominis, inquit, largitur cibum permanentem in aeternum, vitam impertientem humano generi; ego sum panis vitae; ad me quisquis venerit, non esuriet; in me quisquis crediderit, sitiet nunquam; hic panis, quem tribuo, est meum corpus, quod tradam pro vita generis humani; hunc panem quisquis comederit, consequetur vitam aeternam; quisquis sitit, me adeat, vt bibat; quicunque in me crediderit, ex eo promanabunt flumina aquae viuae; veni, vt haberent ζωὴν καὶ περισσόν, reliqua. *Cap. VI*, 27. 35. 55. 51. *sqq. VII*, 37. X, 10.

Docuit denique, vnam, veram et certam rationem tenendae huius felicitatis esse hanc, vt agnosceret quisque fideque amplecteretur et coleret et Patrem, eiusque consilia sapientissima in decernenda, restituenda et conferenda salute humana per suum ipsius Filium, et Iesum Christum tanquam Filium Dei, missum ad salutem reparandam, salutis omnis instauratorem et datorem, ita, vt ab hac gratia Patris et Filii salutem omnem repeteret, expeteret, certo exspectaret, eique

conuenienter sentiret, ageret, totam vitam componeret, quaereretque in primis bona coelestia et salutifera, quae habeat Iesus et largiatur credentibus; *Cap. XVII*, 3. *VI*, 26. *sqq.* tali modo quisquis fide susceperit colueritque Patrem et Filium, eum consecuturum esse vitam aeternam, eius vero iacturam facturum, qui hanc gratiam Patris et Filii repudiauerit; *Cap. V*, 25. hanc talem fidem non esse humanam, sed diuinam, *opus Dei*, *Cap. VI*, 29. Patri gratam et acceptam, *vers.* 40. atque cuique, qui per Christum salvus fieri voluerit, necessariam, saluberrimam, saluificam; *Vers.* 53. *sq.*

Haec fuit summa doctrinae, quam tradidit Dominus per triennium muneris sui, ἡ ἀλήθεια, veritas optima maxima, cui fidem faciebat verbis et factis, *Cap. VIII*, 32. *XV*, 17. *XVII*, 17. ἡ διδαχή, *Cap. VII*, 14. *sq.* ὁ λόγος, *Cap. VIII*, 31. αἱ ἐντολαί, *Cap. XIV*, 21. τὰ ῥήματα, τὰ ῥήματα ζωῆς αἰωνίου, verissima et ad tenendam vitam aeternam efficacissima, vt essent norma ac regula fidei atque vitae omnium hominum et temporum omnium. *Cap. VI*, 63. 68. Haec, auctore Ioanne, docuit Iesus in primis atque ante omnia; haec explicauit vario modo, argumentis demonstrauit, *Cap. V*, 32. *sqq.* inculcauit, fide admitti voluit a disciplinae suae alumnis ad vnum omnibus; quibus qui fidem denegauerit, fidem denegare Deo, et committere scelus in Deum, *Cap. III*, 18. sibique ipsi perniciem adsciscere et non posse non sua ipsius culpa perire; quae adeo negari possunt a nemine, qui nomen Christi profiteri, atque ad salutem per eum adspirare voluerit. Haec tradidit non tantum inculcauitque discipulis, sed voluit etiam ac praecepit, vt hi ipsi discipuli ea putarent esse totius doctrinae christianae capita primaria, necessaria et saluberrima, quae traderent gentibus omni-

bus in vniuerso orbe terrarum tanquam normam credendi agendique perpetuam, iisque tradendis efficerent, vt et ipse innotesceret generi humano, tanquam Filius Dei et Seruator hominum, et Pater glorificaretur, eiusque sapientia et φιλανθρωπία admirabilis in reparanda et conferenda salute humana per Filium suum manifestaretur, atque per hanc eorum praedicationem adducerentur homines omnes, nationes omnes ad fidem in Patrem et Filium, atque per hanc talem fidem adipiscerentur vitam salutemque aeternam; *Cap. XIV*, 15. *XV*, 8. *XVII*, 4. 6. 11. 13. 17. *sqq.* cuius rei causa promisit, discipulis suis immittere sanctum Spiritum, qui eos non tantum institueret accuratius de his capitibus doctrinae, sed etiam idoneos redderet ad ea promulganda inter omnes gentes; *Cap. XIV*, 26. *XV*, 26. *XVI*, 13. *sqq.* hos, aiebat, futuros esse fructus muneris Apostolici, pertinentes non tantum ad illorum temporum, sed omnium temporum homines omnes, fructus perpetuos, nunquam perituros, duraturos vsque ad finem rerum humanarum, saluberrimos generi humano vniuerso; *Cap. XV*, 16. hos tales fructus muneris euangelici desiderabat Dominus ab Apostolis, futurisque doctoribus euangelii omnibus, hos exspectabat, his proferendis, aiebat, eos demum dignos se praestituros esse disciplinae suae alumnos, factorumque suorum aemulos, sibi non tantum, verum etiam Patri carissimos et probatissimos. *Cap. XV*, 8. *sqq.*

Atque hanc fuisse summam doctrinae et institutionis, quam tradidit Dominus in his terris, haec esse vniuersae doctrinae christianae capita primaria et necessaria, essentialia dici solent, Ioannes docuit disertis verbis, *Cap. XII*, 44—50. et per integrum hunc librum, veluti ex ore Domini ipsius, demonstrare voluit.

Verissimus igitur fuit Ioannes, cum diceret, hunc librum scriptum esse eo consilio, vt, quicunque legere eum et scrutari voluerint, agnoscerent, intelligerent, sibique persuaderent et crederent, Iesum esse Christum, humani generis Seruatorem, eundemque Filium Dei, atque hac fide, per et propter eum, assequerentur felicitatem huius et futurae vitae.

INDEX

VERBORVM ET RERVM PRAECIPVARVM.

INDEX

LOCORVM SCRIPTVRAE S. EXPLICATORVM

LIPSIAE
IMPRESSIT BENEDICTVS GOTTHILF TEVBNER.

